130

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
34 Q
21


XVI E 25

19. C.

D. SALVIANI MASSY

LIENSIS EPISCOPI, DE VERO IVDICIO ET PRO uidentia dei, ad S. Saloniū Epiſcopū Vienenſem Libri VIII cura Io. Alexandri Braſſicani Iureconſulti editi, ac eruditis & cum primis utilibus Scholijs illuſtrati.

ANTICIMENON LIB. III. IN QVIBVS QVAE ſtiones ueteris ac noui Teſtamenti, de locis in ſpeciem pugnantibus, incerto Autore.



BASILEAE, IN OFFICINA FROBE NIANA, MENSE AVGVSTO, ANNO M. D. XXX

Cum gratia & priuilegio Cæſareo.

HORTVS SIVE BIBLIOTHECA BRASSICANI
per D. Chaſparem VRSINVM Velium Regium
hiſtoriographum.

Omnia quæ cultæ mandantur ſemina terræ
Aut quæ ſponte ſuo proſerit è gremio
Omniparens tellus, fruges, herbæq; ſalubres
Arborei fœtus, ſtirpium & omne genus,
Aurea quin etiam rutilis pomaria ſyluis,
Seu quid & his ſyluis pulchrius orbis habet,
Balſamaq; & quicquid lucis orientis odoris
Quicquid & in terris naſcitur æthiopum:
Sed graiis, latiisq; magis quod germinat aruis,
Magne Cato imprimis Braſſica nota tibi.
Vnde ſuum egregius duxit cognomen alumnus
Partus Alexander Calliopea tuus,
Ille mihi impertit quicquid ſuus educat hortus
Cui dabo & exiguus quæ meus hortus habet.

AD REVERENDISSIMVM PATREM AC PRINCIpem, dominum CHRISTOPHORVM à Stadion, Epiſcopum Auguſtenſem, optime meritum, dominum ac patronum ſuum incomparabilem, Ioannis Alexandri Braſſicani Iureconſulti, in SALVIANI Maſſylienſis Epiſcopi, De uero iudicio & prouidentia Dei libros octo, Præfatio.

QVOD Marcus ille Antonius Imperator, cognomento Pius & Philoſophus, de ſeipſo ſcripſit, ἄλλοι μὲν ἵππων, ἄλλοι δὲ ὀρνέων, ἄλλοι θηρίων ἐρῶσι, ἐμοὶ δὲ βιβλίων κτήσεως ἐκ παιδαρίου δεινὸς ἐντέτηκε πόθος. Hoc ego de me quamlibet infimo homine citra omnem inuidiam dicere poſſum, quippe qui à puero nihil uel honeſtius æſtimarim, uel antiquius duxerim, quàm optimos quoſque libros, & præcipue ueteres ſcriptores nondum in lucem æditos qua diligentia poſſem conquirere, ac à ſitu tenebriſque uindicare. Nam cum hoc munere ſummi quondam & potentiſſimi quique reges & mirifice delectati, & egregie perfuncti fuerint, ut de Polycrate Samio, Piſiſtrato Athenienſe, Nicocrate Cyprio, Pergami cõpluribus regibus, ac Ptolemæo Philadelpho, Strabo & Athenæus ſcripſere: cui nam officio me rectius addicere (neglecta etiam interea re familiari) potuiſſem, quàm in eam curam incumbére, quã iam olim principes noſtri (atque utinam non alia etiam æque bonis regibus ornamento futura) deſertam reliquerunt: atque ita ſuperiore ætate complures magni ac eruditi uiri, è quorum numero primas habent Rodolphus Agricola Phryſius, Ianus Pannonius Epiſcopus quinque eccleſiarum, Ioannes Trithemius abbas, Conradus Celtis Poëta, Ioannes Cuſpinianus Cæſaris à conſilijs, tametſi reges non eſſent, id quod neminem iſtorum optaſſe ſcio, quod tamen ab illo ſecundum atque proximum eſt, prorſus regio officio, Rempub. literariam in antiquis ſcriptorũ monumentis inueſtigandis ac aſſeruandis plurimum adiuuarũt. Sic Ioannes Capnion Phorcenſis noſter (ut hoc obiter adijciam) cum aliquando Eberardi Barbati principis Vuirtenbergeñ. homine, eius qui poſtea ab inculpata uitæ integritate, morumque pulcherrimis ornamentis, Probi cognomentum obtinuit, ad inuictiſſimũ Cæſarem Fridericum III cum alijs quibuſdam ampliſſimis uiris legatus ueniſſet, & ut fieri cõſueuit, alijs mire ſplendida lautia, ut uocant, nimirum aut equi pulcherrime inſtrati, aut aureæ phialæ, & reliqua id genus dono darentur, hic Capnion antiquiſſima quædã & bene deſcripta Hebraica Biblia, quàm uel immenſum auri pondus à Cæſare accipere maluit. Quanquam autem eiuſmodi antiquiſſimorum ſcriptorum gemmæ raro aut nunquam uenales habeãtur, quibus ego aut quiſquis ille tandem eſt, qui uere regium hoc munus arripiens, Bibliothecam ſuã ornare, ſimul & uniuerſum orbem

Regum officium

R. Agricola

Io. Pannonius

Io. Capnion

ſibi deuincire cupiat: acceſſit tamen aliunde, & nihil mihi tale ſperanti præſidium incomparabile, quod hoc quicquid eſt incõmodi, cũ ipſo quod aiũt horreo ſarciret. Nimirũ ampliſs. præſtãtiſſimorũ hominũ autoritas atq; dignitas. Qui me, ſi quãdo ſeſe dabat opportuna occaſio (oblata eſt aũt tam in legationibus, quàm in alijs honorificis profectionibus nõ ſemel) in conſequendis ijs unionibus ualde quàm benigniter adiuuarunt. Sic gratia, ſic fauore conſecuti ſumus, quod nulla pecunia quæ aliâs nihil non expugnat, perfici poterat. Qui enim aliâs impendiorũ ratio mihi conſtitiſſet, ſi tantũ nummorũ mihi fuiſſet expendendum, quantum ueteres etiam illi reges ac philoſophi in hoc mercatus genere perſoluiſſe dicuntur, quando Tarquinius Priſcus Sibyllinos libros non minore indicatura, quàm trecentis Philippeis, Plato Philolai Pythagorici libros decem milibus denariũm, Ariſtoteles Speuſippi Platonici philoſophi utcunq; paucos talentis tamẽ Atticis tribus emerit. Atq; illos ego philoſophiæ nomini pulchre ſatisfeciſſe arbitror, cum in aſſerendis ijs immortalitate dignis monumentis, immenſam etiã pecuniæ uim liberaliter & plena manu, quod aiunt, expenderent. Nunc cũ nulli ſint ex omni doctorũ claſſe Theologis ditiores, ij profecto debebant hanc ſolidã laudẽ arripere, & congeſtis opibus non uultures irritare, nõ inuidiã in caput ſuũ accerſere, ſed paſſim honorificas Bibliothecas inſtruere, in quibus & honeſte uiuendi inſtrumenta boni quiq; ſcriptores aſſeruarẽtur: & quibus cum paupertate ſubinde colluctandũ eſt, quorum grex eſt innumerabilis, bonorũ librorũ præſidio, poſſent ad honeſtiſſimos quoſq; gradus eluctari. Et quoniã Bibliothecas nullas inſtituimus, aut ſaltem tales inſtituimus, ut præſtiterit illas eſſe ſolo æquatas: uidemus quàm iaceant, quàm extincta ſint bona ſtudia ferè omnia. Videmus quàm ingenia etiã felicia à literis abhorreant: & quod inuitus, uere tamen dico, quàm in Germaniæ quibuſdã ampliſs. etiã urbibus hoc ſit eſſe Germanũ, literas ſcilicet odiſſe. Hoc ſit eſſe prudentiſs. Senatorem, ſtudia ſemel omnia dãnare: hoc ſit eſſe cõpoſitæ uitæ ciuem, ſutores atq; textores πνευματοδιδάκτους ſuſpicere, literatos aũt contemnere. Hęc deniq; ſit optime conſtituta Reſp. in qua minimum ſit literarum atque literatorum. Quanto rectius illi ueteres qui ut ſtudia redderent ornatiora, ut libros facerent commendabiliores, ut doctorum hominum cultum & uenerationem augerent, ut oſtenderent tandem literas nihil aliud eſſe, quàm rem ſacram, Bibliothecis paſſim non alibi quàm in deorum immortalium templis locum dabãt. Nam Aſinius Pollio primus Romæ Bibliothecam in Herculis fano dedicauit. Hanc laudem patrum noſtrorum memoria, ſi non ſuperauit, æquauit tamen inclytus ille ac nunquã ſatis laudatus Pannoniæ rex Matthias, qui Bibliothecam ſuam quam ex omni ſcriptorum genere cõfertiſſimam inſtruxerat, in amœniſſimo etiam templo conſecrauit. Hæc mihi Bibliotheca manum

Qui libros magno emerint

Bibliothecæ in templis cõſecratæ

Pollio

Matthiæ Coruini Pãnoniæ regis Bibliotheca

hic inijcit,oratq́ѝ ſupplex,ut tibi quæ iam nihil niſi uanum nomē obtinuit, priſtinam illam dignitatem atq́ѝ celebritatem ſuam, qua nulli concedebat exponam. Quamobrem optime princeps,id quod magnopere ad te pertinet,libenter hæc ad te ſcripta leges: atq́ѝ hanc meã expromptã in te colēdo ac obſeruãdo uoluntatem,æqui boniq́ѝ facies. Superioribus annis cũ Vuilielmus ex Eberſtein, Cæſareus legatus me ſibi comitē adiũxiſſet, ut unà ſecum ad innocentiſſimum illum Pannoniæ ac Boëmiæ regem LVDOVICVM, proxima impreſſione Turcica miſerrime ſublatum accederem,hoc ego patrocinio ac benignitate magnorũ hominũ illi de meliore nota cōmēdatus,libenter & ex animo feci,ac nulla certe maiore q̃ cognoſcēdæ adhuc minime uaſtatæ Pannoniæ,ac ornandæ Reipub. literariȩ cauſa feci. Rectà Vienna Budã,quæ regni caput,atq́ѝ adeo Pannoniæ regũ definita ac ſumma ſedes eſt,deſcendimus,regnũ hoc adhuc ſartum tectũ uidimus: legatus ibi negotiorũ ſuorũ rationē ſumma cura habuit: mihi uero, ne ſucciſiuis horis planè nihil agerem, inſpiciendæ iſthic Bibliothecæ beneficio ſereniſs. ac inculpatiſs. reginæ Mariæ poteſtas facta eſt. Quid multis? Inſpexi libros omnes. Sed quid libros dico,quot libros tot etiam theſauros iſthic inſpexi, Dij immortales, q̃ iucũdum hoc ſpectaculũ fuiſſe quis credat? Tunc certe nõ in Bibliotheca,ſed in Iouis gremio,quod aiunt,mihi eſſe uidebar. Tantum erat hic antiquorũ,Græcorũ ſimul & Hebraicorũ uoluminũ,quȩ Mathias ille rex,capta iam Conſtantinopoli,euerſiſq́ѝ multis alijs ampliſſimis Græciæ urbibus, ex media Græcia inæſtimandis ſumptibus coëmerat, ac tanquã mancipia ex barbarorũ cataſtis atq́ѝ cõpedibus receperat. Tantum erat hic latinorũ librorũ, & ueterũ & recentiorũ, procul tamen ablegatis omnibus ſophiſticis,ut nuſquã alibi, quod ego quidē ſciam. Siquidem Mathias rex (quē rectè librorũ helluonē appellaueris) quatuor inſignes librarios Florētiæ magnis impendijs alebat,quorũ is unus & unicus labor erat, ut omnes melioris notæ autores & Græcos & Latinos,quos cõmodum ex Grȩcia habere nõ poterat,exſcriberent. Nam ipſa typographice,ut exigua ſunt omniũ rerũ principia, nõdũ tã late patebat: nec tã alte radices egerat, ut ardentiſs. illis & uere regijs uotis regis omniũ excellentiſſimi ſatisfacere poſſet. Vidimus iſthic (id q̃d ex ſyllabo noſtro recenſere poſſumus) & oculata fide uidimus integrũ Hyperidē cũ locupletiſs. ſcholijs, librũ multis etiã cenſibus redimendũ. Vidimus grandē librũ apoſtolicorũ canonũ, opus incõparabile. Vidimus Theodoretũ Cyrēſem in Pſalteriũ integrũ. Vidimus Chryſoſtomi, Athanaſij, Cyrilli, Naziãzeni, Baſilij magni, Gregorij Nyſſeni, Theophanis, Dorothei infinita opera. Vidimus Marcũ monachũ, cognomento Anachoritã. Obmitto Poëtas, Oratores, Philoſophos, atq́ѝ Hiſtoricos, quorũ hic immēſam uim inſpicere licuiſſet. Vidimus autores Græcos innumerabiles, infinitaq́ѝ in Poëtas ferè omnes cõmentaria nemini do

Ludouicus rex Pãnoniæ

Buda.

Maria regina Pannoniæ, Ludouici uxor

Libri qui in Budēſi Bibliotheca ante Turcorũ impreſſionē extabant

ctorum, aut paucis omnino antea uiſa. Sed quod Cicero de coniuratis di-
xit, uixerũt, quos iam ſublatos eſſe ſignificare uoluit: Ita recte diximus nos
uidiſſe, quippe quæ uerear ne poſſimus ullo unquã tempore uidere aut con
ſequi. O Turcorum immanitatẽ, ó barbarorum efferatam inſaniã, ó bono
Pannoniæ quondam præſtantia rum ſtudiorum πανολεθρίαν. Adeo cum uniuerſa Pannonia (quæ cum ad
huc eſſet inoffenſa, poterat omnibus omniũ bonarum rerum dotibus nul-
lum nõ quãtumuis celebre regnum in cõtentionẽ prouocare) miſeris etiam
modis hæc uere aurea Bibliotheca perijt, interijt, ita ut quoties illius mihi
in mentem uenit (uenit autem ſæpiſſime) toties etiam Vergilianum hoc oc
currat, Quis talia fando Temperet à lachrymis.

Mallem ego, ſic me dij ament, hic omniũ obliuiſci quam meminiſſe. Interea ta
Braſſicanus libros aliquot à Ludouico rege opt. conſecutus men animum meum utcunque conſolari ſoleo, quod ex munificentia atque li-
beralitate optimi regis LVDOVICI quoſdã græcos autores cõſecutus
ſum, nec protritos, nec etiã aſpernãdos. Id quod ubi in lucem fuerint editi,
queãdmodum dijs bene uolẽtibus edentur breui, res ipſa indicabit. Abſit o-
mnis circulatoria iactatio, abſint magnifica promiſſa: nos in utriuſque litera-
Quos libros in lucem daturus ſit turæ diſciplinis tã noſtros quam externos ſcriptores tales inuulgabimus, tales
orbi dabimus, tales ſtudioſorum gremijs imponemus, ut omnes quidẽ ad-
mirari, nemo uero pro dignitate ſatis laudare, ornareque poſſit. In præſentia
Saluianus epiſcopus Maſſylienſis rum aũt, ut ex latinis guſtum aliquẽ eruditis præbeã, Saluianũ epiſcopum
Maſſylienſem eruditiſs. ſub tuo, hoc eſt doctiſs. epiſcopi, ac principis beni-
gniſs. nomine prodire uolui, Saluianum inquã & reſtitutum, & è denſiſs. te
nebris erutum, in quo unico licebit intelligere quãtum in alijs eiuſdem inte
Catalogi uirorũ illuſtrium gritatis ac eruditionis proceribus amiſerimus. Quanquã autẽ ex Catalogis
uirorum illuſtrium ſcriptis ab Hieronymo, Gennadio, Iſidoro, ac Ildefon-
ſo (qui ſcripti etiãnum, necdum peruulgati apud nos habentur) ad hæc ex
innumera illa ueterum ſcriptorum nomenclatura, qua Plutarchus, Athenæ
us, Pauſanias, Suidas, Laërtius, Pollux, Stephanus, atque alij ſubinde utuntur,
A. Gellius libro 6. Cap. 17 ſatis appareat quantũ optimorũ utriuſque linguæ autorũ interierit, & A. Gel
lius ſcribat Alexãdriæ milia uoluminũ ſeptingẽta per milites cõbuſta eſſe.
A. Marcellinus lib. 22 Ioannes itẽ Zonaras cognomẽto Monachus, græcus ille quidẽ at ſynceræ
fidei hiſtoricus referat Byzantij ſub Zenone centũ & uiginti librorũ milia
grauiſs. incẽdio perijſſe: ego tamẽ iureiurãdo affirmare auſim nos hac etiã
infeliciſs. ætate lõge plus diſpendij accepiſſe, quam uel cogitatione cõſequi aut
oratione poſſit aliquis exprimere: quippe qui Budenſem Bibliothecã, quã
do in rem præſentẽ uentũ eſt, nõ ſemel excuſſerim, & exactiſs. diligentia in-
ſpexerim, & iã infeliciſſime, nec ſine magno Chriſtianorũ omniũ malo per
Oculi dolorem augent ditã atque deletã eſſe cõpertiſſimũ habeã. Augent dolorẽ oculi, quod uere di
xit Cicero, qui ea quæ cæteri audiunt, aliquãdo uiderũt: nec auertere ab illa
incredibili pernicie, ſiue, ut uerius dicã, internitione cogitationẽ ſinunt. Sed
dolori

dolori ſatis datũ ſit, quandoquidē reparari nullo pacto poteſt id quod ita miſere perijt,& quod ab ipſis etiam hoſtibus miſerationem extorquere debuiſſet. Ad Saluianũ noſtrũ, imò tuũ potius redeo, in cuius laudibus, quæ ſunt ampliſſimæ, ordine prædicandis ταυτὸν πάσχομεν (liceat enim nobis ijſdem uerbis uti, quibus Chryſoſtomus uſus eſt in eruditiſſimo illo encomio Ignatij) οἷον ἄν εἴτις εἰς λειμῶνα εἰσελθὼν καὶ πολλὴν μὲν τὴν ῥοδωνίαν ἰδὼν, πολὺ δὲ τὸ ἴον, καὶ τὸ κρίνον τοσοῦτον, καὶ ἕτερα δὲ ἠρινὰ ἄνθη ποικίλα τε καὶ διάφορα, ἀπορήσει τί πρῶτον ἴδῃ, τί δεύτερον, ἑκάστου τῶν ὁρωμένων πρὸς ἑαυτὸ καλοῦντος τὰς ὄψεις,&c. Quid enim primum in eo admirer,quid poſtea comprobem, quid poſtremo laudibus inæſtimandis uehendum arbitrer, planè ſum animi dubius, niſi ſatis laudatum exiſtimes, ſi tantum nobiles illos uerſus illi tribuas,

ἀνδρῶν Σαλβιανὸς μὲν ἐνὶ πρωτοῖσι λεγέσθω
καὶ πύματος, καὶ μέσος ὁ γὰρ προφερέστατος ἀνδρῶν.

Theocriti uerſiculi de Ptolemæo pauliſper immutati

Principio ſi ad uitæ ſanctimoniam & inculpatiſſimã integritatē reſpicias, quis hoc Saluiano uel ſanctius, uel incorruptius de ijs omnibus rebus quas maxime cõueniebat eſſe ſublatas è medio,ſcripſit? Quis Chriſtianos ſibi peruerſe blãdiētes, ita nominis ſui rationē habere admonuit? Quis ita probabilibus argumentis docuit nos,omnes tandem calamitates,pericula, & excidia non à deo pati,ſed noſtro uitio, ſtultitia atque peruerſitate mala tanquam Cęcias nubes in caput noſtrum aduocare. Id quod & Iupiter ille Homericus conqueritur,

Ω πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται
Εξ ἡμέων γάρ φασι κακ' ἔμμεναι, οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ
Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν, ὑπὲρ μόρον, ἄλγε' ἔχουσι.

Iam quis planius oſtēdit nullos omnino homines ita ſummi ſui imperatoris præcepta uel minima illa pro nihilo ducere atq; Chriſtianos? Quis certius probauit nos eſſe reliquis omnibus utcũq; barbaris,& incultis gētibus improbiores:q deũ etiã ipſum incredibili pietate ſingulis expoſitũ,inuitũ & nolētē(utcũq; perditi ſimus) in perniciē noſtrã nõ aliter ꝙ Theſſalæ mulieres lunã è cœlo deducētes excitamus. Omitto ꝙ grauiter ille diuites ac potētes in ordinē redigat,ꝙ illos de cœlo detrahat, ꝙ officij ſui meminiſſe doceat, quãdo ex ijs turpiſſima uiuēdi exēpla, ſi ſint impotētes & improbi,in uniuerſos omniũ mores defluãt. Rurſus q̃ ſolicite pauperũ,hoc eſt innocentię cauſam agit:quàm unũ aliquē ex multis omnibus flagitijs coopertũ,nõ nominatim perſtringit,ſed ita alloquit̃,ita corripit,ut fermè cũ omnibus loqui uideat̃:quoniã de uitijs ijs loquit̃,quæ neſcio an nõ in omnibus abũde reperiri poſſint: probat autē non tantũ appoſite ſacrarũ literarũ præſidio, uerũ etiam feliciter quicquid ſemel inſtituit:& ut in caſtigando mirus eſt artifex,ita & in docendo formãdoq; magiſter eſt acerrimus. Adhæc ſuæ ætatis excidia quædã,& poſt excidia etiam creſcentia uitia ſic ob oculos ponit, ſic luculēter exponit,ſic hiſtorica fide narrat,ut mihi uidere uidear hoc cor-

ruptiſſimũ ſeculum tanquam in tabula graphice expreſſum: adeo ſtrenue à nobis deſudatum eſt, ne ſuperiorum etiam ætatum peruerſiſſimis hominibus uideremur ex aliqua parte eſſe meliores. Socratis autẽ Platonici ſententiam de cõmunibus uxoribus atq; liberis, utcũq; ab Attico Græco philoſopho defenſam, nemo, quãtum ego quidem iudicare poſſum, uel uerius confutauit, uel rectius euerti poſſe prorſus inuictis ac honeſtiſs. argumentis oſtendit. Atq; hæc ad iudiciũ integritatemq; ſummi ſcriptoris attinent. De eruditione modis omnibus abſoluta nemo rectius iudicabit, q̃ qui libros illius legerit, meditataq; diligentia non ſemel euoluerit. Sacras certe literas ſic accõmodate, ſic eleganter, ubicunq; tandem uſus erat, inſeruit, ut ſi dei multum autoritatis accederet, elegantiæ uero atq; uenuſtati nihil interea gratiæ uel dignitatis decederet, ut uere poſſim hoc Lucilij de illo dicere, Quàm lepidæ lexes compoſtæ ut Teſſerulæ omnes.

Sermo ſcholaſticus Gennadius illi ſermonem ſcholaſticũ & apertũ tribuit, quo nomine mirũ in modũ cõmendari meretur. Si apertus eſt (ut eſt egregie dilucidus) quæ maior illi laus accedere potuiſſet? quoniam ſumma uirtus orationis eſt perſpicuitas: ſi ſcholaſtico ſermone præcellit, neq; hoc uulgare, aut aſpernandũ fuerit ornamentũ, præcipue ſi ita nitidũ, ſi purũ, ſi eruditũ ac explicatum ſermonẽ Gennadius intellexerit. Nã nihil minus eſt illius oratio q̃ ſcholaſticã, ſi ita inelaboratã, frigidã, ac eruditis auribus minime ferendã uelis intelligere. In alijs ſui aut paulo ſuperioris ſeculi ſcriptoribus, Seuerino cognomẽto Boëthio, Caſſiodoro, Claudiano Mamerco epiſcopo Vienẽſi, Sidonio Apollinari, Euodio, ac alijs nõnullis nõ ubiq; puritatẽ latini ſermonis agnoſcimus: in hoc noſtro planè nihil eſt q̃d ferri nõ poſſit, niſi quod paucis quibuſdã dictionibus ſuo ſeculo, ut puto, familiaribus raro admodũ utitˀ: atq; ita utitˀ, ut nõ ingenij, ſed ætatis ſuę uitio uſus eſſe uideatˀ. Et cũ reliquis Gallis peculiaris ſit quædã grandiloquentia, illius oratio ſic eſt cõſtituta, ut nuſquã ſupra modũ aſſurgat, nuſquã in illa emineant uenæ, nuſquã oſſa numerentˀ, ſed temperatus ac bonus ſanguis impleat omnia mẽbra: deniq; neruos ipſos & robur tegat, & uenuſtas cõmẽdet. Quãobrem ut illũ ipſum nõ arbitror omnibus eſſe præferendũ: ita neminẽ etiã ex illis antiquioribus illi præfero. Quippe qui & erudita pietate, & iuxta pia eruditione, ſummos etiã illos antiſtites (neminẽ autẽ in inuidiã uoco) multis ſtadijs prætererit. Ne uero uel impudẽtius de illo iudicare, uel arrogãtius pronũtiare uidear, exponã ordine, quãta ille felicitate atq; dexteritate ſcribendi uſus ſit. Verũ itaq; iudiciũ & attentã dei prouidentiã aſſerturus, nõ tantũ ſacrarũ literarũ munimentis, uerũ etiã omniũ meliorũ artiũ præſidijs utitˀ: & in hunc modũ utitˀ, ut dubites an fortior ſit in demoliendis impiorũ argumentis, q̃ expeditus in noſtris aſtruẽdis: qui certe nerui, ut Lactantio Firmiano, ita & multis alijs defuiſſe uidentˀ. Ad hæc, ut multa paucis colligã, quis ordinis elegãtiam,

tiam, quis exquiſitos tráſitus, quis explicatiſſima arguméta, quis felicíſs. epi phonemata, quis annominatióes feſtiuas, quis ſualorij generis oés partes, quis cótétiones arduas, nec minus iucúdas, quis ſentétias graues, quis excla mationes uehemétiſs. quis inſignia antitheta, quis inſtructiſs. dilémata, q̃s Iſocratis omnia ſchemata, táta felicitate, copia, ſimul ac uenuſtate exhibuit? Intelligis optime princeps ac idé huius ætatis epiſcoporú incóparabile ornamétú, niſi fallar, qualé ad te ſcriptoré quibuſuis dotibus adornatú mittá: ſed lóge cómédatioré tibi futurú, ſi pro mea deprędicatione, q̃ minime uel eruditioni, uel ſanctimonię illius ſatisfecit, húc ipſum id q̃d perpetuo cóſueuiſti, plegeris. Neq; em̃ ignoramus utcúq; tacitú hoc eſſe cupias, quátú ſtudij ſacris illis & uere bonis autoribus impédas, ut ſi multi eſſent tui ſimiles epiſcopi, futurú equidé aliquádo ſperaré, ut & res Chriſtiana tráquillior eſſet, & principes Chriſtiani aliquádo ſui officij uellét meminiſſe. Núc cú, neſcio qua tádé Ate, oía permiſcéte, nulla plané ſit omniú ordinú cócordia, nemini certe mirú uideri debet, ſi tyránus interea Turcus nobis aut ſtertétib. aut nuſq; niſi ad iteſtiná diſcordiá expgefactis, exurit uillas, incédit pagos, abigit pecora, pterit ſegetes, cóſtuprat uirgines, infantes iterimit, ſenes occidione occidit, trahit í captiuitaté iuuenes, diripit tépla, latrocinijs ac prędationibus omnia uaſtat atq; cófundit. Et q̃ merito debebat omniú bonorú animos pmouere, nihil aliud agit, q̃ ut Chriſti gloriá ab ipſis radicibus & pinus in moré, quod aiút, euertat: Chriſtianoſq; oés nó tátú à nominis ſui poſſeſſione, quá metuo, ne bona pars iá amiſerimus, uerú etiá à religionis honeſtiſs. cultu, cui iam pauci ſumus addicti, ſemel abducat. Digreſſus ſum aliquantiſper, ſed ut cauſſæ ratio, uitæq; tuæ inculpata ſynceritas deſyderabat, quæ lógius etiá diuerticulú excuſare poterat. Núc Saluianú tuú accipe, princeps optime, tuú inquá, tibi tuoq; feliciſſimo nomini inſcriptú: qué ſi tibi, uti iure optimo meret̃, placuiſſe intellexero, curabo quanta fide potero, ut & alia quæ adhuc in Bibliotheca noſtra ſunt innumera, & præcipue græca, nempe Chryſoſtomi diuerſa in ſanctos encomia, Origenis librorú Epitome per Gregorium Theologú & Baſiliú magnú digeſta, Seueriani Gabalorú Epiſcopi in Geneſim conciones XIIII. Gregorij Nyſſeni in Geneſim enarrationes, Baſilij Magni Hexaëmeron integrú, & lóge copioſius q̃ uel ab Argyropylo, uel ab Euſtachio ad Syncleticá Germaná in linguá latiná cóuerſum ſit, Nazianzeni ac Baſilij multa núquá adhuc uiſa uel edita, Philonis libri tres περὶ τοῦ βίου μωσέως, & eiuſdé alter, qui inſcribit̃, βίος πολιτικοῦ ὅπερ ἐστὶ περὶ ἰωσήφ, ad hæc liber eiuſdé, cui titulus eſt, περὶ ἀρετῶν, ἤτοι ἀνδρείας καὶ εὐσεβείας, καὶ φιλανθρωπίας, καὶ μετανοίας, &c. ſub tui nominis auſpicio ad cómuné omniú utilitaté in lucé ueniant. Felicem te profecto, tua ſi bona noris: hoc eſt, ſi uideas tuo fauore ac beneficio tantum commodorum ad ſtudioſos atq; doctos omnes promanaſſe: feliciore auté multo, ſi & alia græca,

Chriſtophorus à Stadion epiſcopus Auguſtenſis

Turcorú inæſtimanda tyrannis

Græci libri nódum inuulgati in Bibliotheca Braſſicani

quæ

quæ ad meliorum artium cognitionem attinent, tibi nominatim inſcripta, nuncupatacp inuulgauero: hoc eſt, Prodi, Io. Philoponi, cognomento Grā matici, ac Manuelis Moſchopuli cōmentarios in Heſiodū, ad hæc in Opia ni halieutica cōmētarios utiliſs. Iamblichū Chalcidēſem philoſophū in re bus Pythagoricis, eiuſdē protrepticas orationes, Diodorū Siculū in hiſto riis, non illis quidē quas Pogius latinas fecit: Arithmeticam & Geometriā Nicomachi, Heronis Alexandrini librū περὶ βελοποιίας, & Græci autoris innominati libros uere aureos XX de re ruſtica: ac alia præterea multa quæ nunc cōmemorare nolo, ne uidear librariæ meæ ſupellectilis, forte non ita contemnendæ, catalogū contexere: nam & de latinis planè nihil hic dici mus, quorū adhuc apud nos eſt, ut ille ait, Beata pleno Copia cornu. At me tandē longe feliciſſimū optime princeps, ſi cōſecutus fuero id quod inſtitui: quod certe fiet ſi Saluianū iam tuū, & me qui iam olim in ære tuo ſum cū Hendecaſyllabis noſtris, nō ita felicibus, etiā atq; etiā cōmendatos habueris. (Quēadmodū etiā doctiſſimū atq; optimū patrē meū D. Ioannem Braſſicanū, iam inde ab ineunte ætate, tanquā iiſdē ſtudiorū ſacris tecum initiatū, & amaſti ſynceriter, & perpetua benignitate ſubleuaſti.) Quare & dignitatē ſplendoremcp tuū ornabis, & ſtudiis ferè iacētibus ſignum quoddā tanquā Pharū aliquā turrim eriges, & me in hoc uere ferreo ſeculo tua autoritate defendes, teſtimonio prouehes, benignitate ad edēda etiam alia maiora excitabis. Vale principū excellentiſs. Epiſcoporū doctiſs. ac inter utroſq; optime, Viennæ Auſtriæ, Martii die I. Anno M. D. XXX

Io. Braſſicanus

R. D. CHRISTOPHORO EPISCOPO AVGVSTENSI IOannes Alexander Braſſicanus iis Hendecaſyllabis diuum Saluianum inſcribit atque dedicat.

Saluus incolumiſcp Saluianus
Exemptus tenebris, ſitucp turpi
In lucem uenit omine auſpicato.
Saluus incolumiſcp Saluianus
Clauſus carcere, & impeditus arcto
Nuper compede, prodit expeditus,
Iam dextro Ioue, tum bona ſalute
Tandem ad ſe redit ille Saluianus.
Saluus incolumiſcp Saluianus
Magnus ſcriptor, Epiſcopus probatus
Antiquum reparatus in decorem
In lucem uenit omine auſpicato.
Saluus incolumiſcp Saluianus
Vitæ regula, Epiſcopum magiſter

Dignus

Dignus nomine & hoc honore dignus,
Amico, medicoq́ꝫ conuocato
Herbis Braſſica & hic tuis petitis,
Herbis quas Cato maxime approbabat,
Dijs ſit gratia. mortuus reuixit.
Saluus incolumisq́ꝫ Saluianus
Scriptorum decus elegantiorum
In lucem uenit omine auſpicato.
Saluus incolumisq́ꝫ Saluianus
Dignus quem ſtudijs modisq́ꝫ cunctis
Mirentur, celebrent, legant frequentes
Quot ſunt aut alijs erunt in annis
Magni iudicio, & uiri periti.
Secli Chriſtophore ô tui perenne
Sydus, & ſtudijs decus perenne
Rectis, hunc precor accipe explicata
Fronte, hunc delitias tuas putabis,
Illum plus oculis tuis amabis
Meras delitias meros lepores,
Inſcriptum ſimul & tibi dicatum
Saluum incolumemq́ꝫ Saluianum.
Gemma Chriſtophore ô tuæ æuitatis,
Vera nobilis eruditione
Clara nobilis & domo, & parentum
Rectis moribus undecunqꝫ magne,
Nunc pro mœonio uides Poëta
Semper conſilio deûm potenti
Coniungi paribus pares amicos.
Quod ſi grandia ſenſa, & expolitum
Dicendi genus undecunqꝫ terſe
Quæras, hoc dabit ille Saluianus
Et dextra ſimul & manu ſiniſtra
Saluus incolumisq́ꝫ Saluianus.
Quod ſi iudicium dei æuiterni
Curam perpetuam, piumq́ꝫ amorem,
Qualem crimina noſtra uix merentur
Quæras, hoc dabit ille Saluianus,
Magna, Iuppiter, & bona ſalute
Saluus incolumisq́ꝫ Saluianus.
Quod ſi tempora & hæc male inquinata

Viuo picta colore, & eleganter
Præſenti quaſi reddita in theatro
Attentis oculis uelis uidere.
Hoc dulci ſemel explicabit ore
Iam uere integer ille Saluianus.
Mella hæc Neſtoris æſtimabis eſſe
Nepenthes Helenæ æſtimabis eſſe:
Tam curas adimit, leuatq; amaras
Dictis quis nihil eſt magis uenuſtum,
Præ quis ſint Caſiæ & roſæ inuenuſtæ,
Saluus incolumisq; Saluianus.
At tu ſigna animi dabis benigni
Si totis animis amare pergas
Per quem præſidio tuo eſt dicatum
Certum μνημόσυνον tui clientis,
Vitæ redditus & ſuo nitori
Saluus incolumisq; Saluianus.

GENNADIVS PRESBYTER IN CATALOGO VIRORVM ILLVSTRIVM.

Saluianus Maſſylienſis presbyter, diuina & humana literatura inſtructus, & ut abſq; inuidia loquar, Epiſcoporũ magiſter, ſcripſit ſcholaſtico & aperto ſermone multa, ex quibus iſta legi,

De uirginitatis bono ad Marcellum presbyterum Lib. III
Aduerſus auaritiam Lib. IIII
De præſenti iudicio Lib. V
Et pro eorum merito ſatisfactionis ad Salonium Epiſcopum Lib. I
Expoſitionis extremæ partis Eccleſiaſtis ad Claudianum Epiſcopum Vienenſem Lib. I
Epiſtolarum Lib. I
In morem Græcorum de principio Geneſis uſq; ad conditionem hominis compoſuit uerſu quaſi Hexametro Lib. I
Homilias Epiſcopus factus multas, Sacramentorum uero quantas nec recordor: uiuit uſque hodie in ſenecture bona.

IOVIANVS PONTANVS

Saluianus Gallicæ gentis Epiſcoporũ magiſter de Chriſto ita ſcripſit, rebusq; Chriſtianis, ut nihilominus hiſtorias plurimas, resq; temporum illorum geſtas, iiſdem & cõiunxerit, & inter differendum explicauerit. Dum enim Dei Opt. Max. res, myſteriaq; admirabilia comprobare nititur, & ſuorum & præteritorum temporum res in exemplum adducit.

SALVIANI MASSYLIENSIS EPISCOPI DE VERO IUDICIO ET PROuidentia dei,& ipſius gubernatione hominum & rerum mundi huius, libri octo, ad ſanctum Salonium epiſcopum Vienenſem.

PROOEMIVM.

SANCTO Epiſcopo Salonio SALVIANVS Epiſcopus in domino ſalutem. 1
Omnes admodum homines, 2
qui pertinere ad humani officij culturam exiſtimarũt, ut
aliquod linguarum opus ſtudio ingeniorum excuderẽt,
id ſpiritali cura elaborarunt, ut ſiue utiles ac probas, ſiue
inutiles atque improbas materias ſibi delegiſſent, ſeriem
tantum rerum nitore uerborum illuſtrarẽt, cauſiſq; ipſis quas loqui uellent
loquendo lucem accenderent. Itaq; ad hanc ſe partem ex utroq; genere li-
terarum ſcriptores mundialium negociorum plurimi contulerunt, nõ ſatis 3
conſiderantes quàm probabilibus materijs ſe impenderent, dummodo ea
quæcunq; dicerent, aut compto, aut blando carmine canerent, aut luculen-
ta oratione narrarent. Omnes in ſcriptis ſuis cauſas tantum egerũt ſuas, &
proprijs magis laudibus quàm aliorum utilitatibus conſulentes, non id fa-
cere adniſi ſunt ut ſalubres ac ſalutiferi, ſed ut ſcholaſtici ac diſerti haberen 4
tur. Itaq; ſcripta eorum aut latinitate ſunt tumida, aut falſitate infamia, aut 5
uerborum fœditatibus ſordida, aut rerum obſcœnitate uitioſa: ut uere cum
ingeniorum tantum laudem cupientes tam indignis rebus curam impen-
derent, non tam illuſtraſſe mihi ipſa ingenia, quàm damnaſſe uideantur. *Qui ingenia ſua dãnarint.*
Nos autem qui rerum magis quàm uerborũ amatores utilia potius quàm
plauſibilia ſectamur, neq; id quærimus, ut in nobis inania ſeculorum orna
menta, ſed ut ſalubria rerum emolumenta laudentur: in ſcriptiunculis no-
ſtris non lenocinia eſſe uolumus, ſed remedia, quæ ſcilicet non tam ocio-
ſorum auribus placeant, quàm ægrotorum mentibus proſint, magnum ex
utraq; re cœleſtibus donis fructum reportaturi. Si enim hæc ſalus noſtra
ſanauerit quorundam non bonam de deo noſtro opinionem, fructus non
paruus erit quod multis profui. Sin autem id nõ prouenerit, & hoc ſaltem
ipſum infructuoſum nõ erit quod prodeſſe tentaui. Mens enim
boni ſtudij ac pij uoti, etiam ſi effectum nõ inuenerit
cepti operis, habet tamen præmium uolun
tatis. Hinc ergo exordiar.

SALVIANI MASSYLIENSIS EPISCOPI DE VERO IVDICIO ET PROVIDENTIA DEI, LIBER PRIMVS.

INCVRIOSVS à quibuſdã & quaſi negligens humanorum actuum deus dicitur, utpote nec bonos cuſtodiẽs, nec cohercẽs malos, & ideo in hoc ſeculo bonos plerũq; miſeros, malos beatos eſſe. Sufficere quidem ad refellenda hæc, quia cũ chriſtianis agimus, ſolus deberet ſermo diuinus. Sed quia multi incredulitatis paganicæ aliquid in ſe habent, etiam paganorum forſitan, electorũ atq; ſapientum, teſtimonijs delectarentur. Probamus igitur ne illos quidem de incurioſitate ac negligentia iſta ſenſiſſe, qui uerę religionis expertes nequaquam utiq; deum noſſe potuerunt, quia legem per quam deus agnoſcitur

Pythagoras neſcierunt. Pythagoras philoſophus, quem quaſi magiſtrum ſuum philo-
1 ſophia ſuſpexit, de natura ac beneficijs dei diſſerẽs, ſic locutus eſt: Animus
2 per omnes mundi partes commeans atq; diffuſus, ex quo omnia quæ naſcuntur animalia uitam capiunt. Quomodo igitur mũdum negligere deus dicitur? quẽ hoc ipſo ſcilicet ſatis diligit, quod ipſum ſe per totũ mundi cor-
Plato in Timæo pus intendit. Plato & omnes Platonicorum ſcholæ moderatorem rerum omnium confitentur deum. Stoici cum gubernatoris uice intra id quod re-
Gubernatori ſimilis deus gat ſemper manere teſtantur. Quid potuerunt de affectu ac diligentia dei
3 rectius religioſiusq; ſentire, quàm ut eũ gubernatori ſimilem eſſe dicerent? Hoc utiq; intelligentes, quod ſicut nauigans gubernator nũquam manum ſuam à gubernando, ſic nunquam penitus curam ſuam deus tollit à mundo. Ac ſicut ille & auras captans, & ſaxa uitans, & aſtra ſuſpiciens, totus ſit ſimul tam corporis quàm cordis officio operi ſuo deditus. Ita ſcilicet deum noſtrum ab uniuerſitate omnium rerum, nec munus dignantiſſimæ uiſionis auertere, nec regimen prouidentiæ ſuæ tollere, nec indulgentiam benigniſſimæ pietatis auferre. Vnde etiam illud fabuloſe myſtico autoritatis
Maro in Georgicis exemplo, quo ſe nõ minus philoſophum Maro probare uoluit quàm Poëtam, dixit, Deum nãq; ire per omnes Terraſq; tractuſq; maris, cœlumq;
Tullius de natura deorum. profundum. Tullius quoq;: Nec uero deus ipſe, inquit, qui intelligitur à nobis alio modo intelligi poteſt, quàm mens ſoluta quædam & libera & ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens & mouens. Alibí quoque: Nihil enim, inquit, præſtantius deo: igitur mundum regi neceſſe eſt. Nulli igitur naturæ obediens aut ſubiectus deus: omnẽ ergo regit ipſe naturam, niſi forte nos uidelicet ſapientiſſimi ita ſentiamus, ut cum à quo omnia regi dicimus, & regere ſimul & negligere credamus. Cum ergo o-

mnes

mnes etiam religionis expertes, & quadam neceſſitate compulſi,& ſentiri omnia à deo, & moueri, & regi dixerint: quomodo nunc eum incurioſum quidam ac negligentem putant, qui & ſentiat omnia per ſubtilitatem, & moueat per fortitudinem,& regat per poteſtatẽ, & cuſtodiat per benignitatem. Dixi quid de maieſtate ac moderamine ſummi dei principes & philoſophiæ ſimul & eloquentiæ iudicarint. Ideo autem nobiliſſimos utriuſq; artis magiſtros protuli, quo facilius uel omnes alios idem ſenſiſſe,uel certe ſine autoritate aliqua diſſenſiſſe monſtrarem. Et ſanè inuenire aliquos,qui ab iſtorum iudicio diſcrepauerint,præter Epicureorum,uel quorundã Epicurizantium deliramenta non poſſum: qui ſicut uoluptatem cum uirtute, ſic deum cum incuria ac torpore iunxerunt,ut appareat eos qui ita ſentiunt ſicut ſenſum Epicureorum atq; ſententiã,ita etiam uitia ſectari. Non puto, quod ad probandum nũc rem tam perſpicuam etiam diuinis uti in hoc loco teſtimonijs dei debeamus,maxime quia ſermones ſacri ita abũde & euidenter cunctis impiorum propoſitionibus contradicunt, ut nedum ſequentibus calumnijs eorum ſatisfacimus, etiam ea quæ ſupradicta ſunt plenius refutare poſſimus. Aiunt igitur à deo omnia prætermitti, quia nec coherceat malos,nec tueatur bonos, & ideo in hoc ſeculo deteriorem admodum ſtatum eſſe meliorum: bonos quippe eſſe in paupertate,malos in abũdantia: bonos in infirmitate, malos in fortitudine: bonos ſemper in luctu, malos ſemper in gaudio: bonos in miſeria & abiectione, malos in proſperitate & dignitate. *Epicurei*

Primũ igitur ab ijs qui ita hoc eſſe uel dolent uel accuſant,illud requiro: de ſanctis, hoc eſt de ueris ac fidelibus Chriſtianis, an de falſis & impoſtoribus doleant. Si de falſis, ſupeſfluus dolor, qui malos doleant non beatos eſſe: cum utiq; quicunq; mali ſunt, ſucceſſu rerum deteriores fiant,gaudentes ſibi nequitiæ ſtudium bene ſuccedere. Et ideo uel ob hoc ipſum miſerrimi eſſe debent,ut mali eſſe deſiſtant,uindicantes improbiſſimis quæſtionibus nomen religionis, & præferentes ad ſordidiſſimas negociationes titulum ſanctitatis: quorum negocijs ſi miſeriæ comparentur,minus ſunt miſeri quàm merẽtur: quia in quibuslibet miſerijs cõſtituti, nõ ſunt tamen tam miſeri quàm mali. Nequaquam ergo pro his dolendum,quod non ſunt diuites ac beati,multo autem pro ſanctis minus: quia quãuis uideantur ignorantibus eſſe miſeri, tamen nõ poſſunt eſſe aliud quàm beati. Superfluum autem eſt,ut eos quiſpiam uel infirmitate,uel paupertate, uel alijs iſtiuſmodi rebus exiſtimet eſſe miſeros, quibus ſe illi confidunt eſſe felices. Nemo enim aliorum ſenſu miſer eſt,ſed ſuo. Et ideo non poſſunt cuiuſquam falſo iudicio eſſe miſeri,qui ſunt uere ſua cõſcientia beati. Nulli enim,ut opinor, beatiores ſunt, quàm qui ex ſententia ſua atque uoto agunt. Humiles ſunt religioſi, hoc uolunt: pauperes ſunt, pauperie delectãtur: ſine ambitione, am- *Suo ſenſu quiſque miſer*

 bitum

bitum reſpuũt:inhonori ſunt, honorem reſpuunt:lugent, lugere geſtiunt:
2.Cor.12 infirmi ſunt, infirmitate lætantur. Cum enim inquit Apoſtolus, infirmor
tunc potens ſum. Nec immerito ſic arbitratur, ad quem deus ipſe ſic loqui-
tur: Sufficit tibi gratia mea, nam uirtus in infirmitate perficitur. Nequa-
Afflictio infirmitatum quam ergo nobis dolenda eſt hæc afflictio infirmitatum, quam intelligi-
mus matrem eſſe uirtutum. Itaq; quicquid illud fuerit, quicunque uere reli-
gioſi ſunt, beati eſſe dicendi ſunt: quia inter quantumlibet aſpera nulli bea-
tiores ſunt, quàm qui hoc ſunt quod uolunt. Solent quamuis eſſe nonnul-
li, qui turpia atque obſcœna ſectantes, & ſi iuxta opinionem ſuam beati
ſunt quia adipiſcũtur quod uolunt, re tamen ipſa beati nõ ſunt, quia quod
uolunt nolle debuerunt. Religioſi autem hoc cunctis beatiores ſunt, quia
& habent hoc quod uolunt, & meliora quàm quæ habent omnino habere
non poſſunt. Labor itaq;, ieiunium, & paupertas, & humilitas, & infirmitas
nõ omnibus ſunt onerosa tolerantibus, ſed tolerare nolentibus. Siue enim
Animus tolerantis grauia hæc ſiue leuia, animus tolerantis facit. Nam ſicut nihil eſt tam leue
quod ei graue non ſit, qui inuitus facit, ſic nihil eſt tam graue, quod non ei
qui id libenter exequitur, leue eſſe uideatur, niſi forte antiquis illis priſcæ uir
4 tutis uiris, Fabijs, Fabritijs, Cincinnatis graue fuiſſe exiſtimamus, quod
Fabij Fabritij Cincinnati pauperes erant qui diuites eſſe nolebant, cum omnia ſcilicet ſtudia ſua, o-
mnes conatus ſuos ad cõmunia emolumenta conferrent, & creſcentes Rei-
pub. uires priuata paupertate ditarent. Nunquid parcam illam tunc agre-
ſtemq; uitam cum gemitu & dolore tolerabant? cum uiles ac ruſticos cibos
ante ipſos quibus exercebantur focos ſumerent, eosq; ipſos capere niſi ad
ueſperam non liceret. Nunquid ægre ferebant, quod auara illos à diuite
conſcientia auri talenta nõ premerent, cum etiam argenti uſum legibus co-
hercerent? Nũquid illecebræ & cupiditatis pœnam putabant, quod diſten
Cornelius Rufinus ta aureis nummis marſupia non haberent, cum patritium hominem, quod
5 ad decem uſque argenti libras diues eſſe uoluiſſet, indignum curia iudica-
rent? Non deſpiciebant tunc puto pauperes cultus, cum ueſtem hirtam ac
breuem ſumerent, cum ab aratro arceſſerentur ad faſces, & illuſtrandi habi
tu conſulari, illis fortaſſe ipſis quas aſſumpturi erant imperialibus togis ma
didum ſudore puluerem detergerent. Itaq; tunc illi pauperes magiſtratus
Diues poteſtas opulentam Rempub. habebant: nunc autem diues poteſtas pauperem fa-
cit eſſe Rempub. Et quæ rogo inſania eſt, aut quæ cæcitas, ut egeſtuoſa ac
mendicante Repub. diuitias poſſe credant ſtare priuatas? Tales ergo tunc
ueteres Romani erant, & ſic illi tunc contemnebant diuitias, neſcientes de-
um, ſicut nunc non ſpernunt ſequentes dominum. Quãquam quid ego de
illis loquor, qui cura imperij propagandi, contemptum propriæ facultatis
ad publicas opes conferebant: & licet priuatim pauperes eſſent, diuitijs ta-
Crates men abundabant communibus: cum etiam Græci quidã ſapientiæ ſecta-
tores

tores ſine ullo publicæ utilitatis affectu,propè omni ſe rei familiaris uſu,aſ/
ſequendæ gloriæ auiditate nudauerint.Nec ſolum hoc,ſed etiam uſque ad
contemptum doloris ac mortis, doctrinæ ſuæ culmen erexerunt, dicentes
ſcilicet etiam in catenis atq; ſupplicijs beatum eſſe ſapiētem. Tantam uim
uirtutis eſſe uoluerunt,ut non poſſit eſſe unquam uir bonus niſi beatus. Si
ergo illi à quibuſdam nunc etiam ſapientibus uiris miſeri nō putantur, qui
nullos laboris ſui fructus niſi ex præſenti tantum laude capiebant: quanto
magis religioſi ac ſancti uiri miſeri non putandi ſunt, qui & præſentis ſecu
li oblectamenta capiunt,& beatitudinis futuræ præmia conſequentur? Di/
xit quidam ex iſtis de quibus querimur, cuidam ſancto uiro ſecundum ue
ritatis regulam ſentiēti,id eſt quod deus omnia regeret, ac pro humano ge
nere neceſſariam moderationem ſuam & gubernaculum temperaret. Qua
re ergo,inquam,tu infirmus es,hoc utiq; iudicio? hoc eſt ſi deus ut putas in
hac præſenti uita omnia regit,ſi deus cūcta diſpenſat,qua ratione fortis ac
ſanus eſt homo quem peccatorē ſcio: & tu infirmus,quem ſanum eſſe non
ambigo? Quis tam profundi cordis uirum non admiretur, qui merita reli/
gioſorū atq; uirtutes tam magnis retributionibus dignas putat, ut in præ/
ſenti hac uita carnes atq; fortitudines corporum,præmia putet eſſe debere 7
ſanctorum? Reſpondeo igitur non unius tantum religioſi nomine,ſed uni
uerſorum. Quæris igitur quiſquis ille es,qua ratione infirmi ſunt ſancti ui/
ri. Reſpondeo breuiter,quia ideo ſancti uiri infirmiores ſe eſſe faciunt,quia
ſi fortes fuerint,ſancti uix eſſe poſſunt. Opinor enim omnes omnino homi *Fortes & in/*
nes cibis ac poculis fortes eſſe,infirmos autem abſtinētia,ariditate,ieiunijs. *firmi*
Nō ergo mirum eſt, quod infirmi ſunt,qui uſum earum rerū reſpuunt, per
quas alij fortes fiunt. Et eſt ratio cur reſpuant,dicente Paulo apoſtolo de ſe
ipſo: Caſtigo corpus meum,& in ſeruitutem redigo,ne forte cum alijs præ/ *1.Cor.9*
dicauerim ipſe reprobus efficiar. Si infirmitatem corporis appetendam ſi/
bi etiam Apoſtolus putat,quis ſapienter euitat? Si fortitudinē carnis Apo
ſtolus metuit, quis rationabiliter fortis eſſe præſumit? Hæc ergo ratio eſt
quæ homines Chriſto dedit. Sed infirmi ſunt. Et uolunt eſſe. Abſit aūt ut
hoc argumento religioſos putemus à deo negligi, per quod confidimus
plus amari. Legimus Timotheum apoſtolum carne infirmiſſimum fuiſſe, *1.Tim.5*
nunquid negligebatur à domino, aut ob infirmitatem Chriſto nō placuit,
qui ad hoc infirmus eſſe uoluit ut placeret? quē etiā ipſe apoſtolus Pau/
lus licet nimis iam infirmitatibus laborantem, non tamen niſi puſillulū ui/
ni ſumere ac delibare permiſit. Hoc eſt,ita eum uoluit infirmitati ſuæ conſu
lere,quod noluit tamē ad fortitudinē peruenire. Et hoc cur ita? Cur? Abſq;
dubio niſi quia,ut ipſe dicit, Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum,ſpiritus au *Gal.5*
tem aduerſus carnem. Hæc enim ſibi inuicem aduerſantur, ut non quæcun
que uultis illa faciatis. Non imprudenter quidam hoc loco dixit, quid ſi re/

pugnante corporis fortitudine, quæ optamus facere non poſſumus? Infir/
8 mãdum nobis ſit carne, ut optata faciamus. Infirmitas enim carnis, inquit,
Infirmitas carnis uigorem mentis exacuit: ut affectis artubus uires corporũ in uirtutes trans
ferantur animorum, non turpibus flammis medullæ æſtuent, non male ſa/
nam mentem latentia incentiua ſuccendant, non uagi ſenſus per uaria oble
ctamenta laſciuiant: ſed ſola exultet anima, læta corpore affecto, quaſi ad/
uerſario ſubiugato. Hæc ergo, ut dixi, religioſis uiris cauſa infirmitatis eſt,
eamq́ eſſe nec tu, ut arbitror, iam negas. Sed ſunt fortaſſe, inquis, alia ma/
iora, id eſt quod multa in uita iſta aſpera atq; acerba patiuntur, quod capi
Captiuitas untur, quod torquẽtur, quod trucidãtur. Verũ eſt. Sed quid facimus quod
Tormenta & prophetæ in captiuitatem abducti ſunt, & apoſtoli etiam tormenta to/
lerarũt? Et certe dubitare nõ poſſumus, quod tunc deo maxime curæ erãt,
cum pro deo iſta paterentur. At forſitan hoc ipſo magis probare te dicis,
quod deus in ſeculo iſto omnia negligat, & futuro totum iudicio reſeruaue
rit, quia ſemper boni omnia mala paſſi ſunt & ferunt. Non infidelis qui/
dem uidetur aſſertio, maxime quia futurum dei iudicium cõfitetur: ſed nos
ita iudicandũ humanum genus diximus, ut tamẽ etiã nunc omnia deum,
pro ut rationabile putat, regere ac diſpenſare credamus: & ita in futurũ iudi
caturum affirmemus, ut tamen ſemper etiam in hoc ſeculo iudicaſſe doceã
Gubernatio eſt iudicium mus. Dum enim ſemper gubernat deus, ſemper iudicat, quia gubernatio
ipſa eſt iudicium. Quot modis hoc uis probemus? ratione, an exemplis, an
Ratione probat teſtimonijs? Si ratione, quis tam expers humanæ intelligentię eſt, & huius
ipſius de qua loquimur ueritatis alienus, qui nõ agnoſcat & uideat pulcher
rimum mundi opus, & inæſtimabilem ſupernarũ infernarumq́ rerum ma
gnificentiã ab eodẽ regi à quo creata ſit: quemq́ elementorũ fabricatorem
eundem etiã gubernatorem fore: qui cuncta ſcilicet qua poteſtate ac maie/
ſtate condiderit, eadem etiã prouidentia ac ratione moderetur. Præſertim
etiã cum in his quæ humano actu adminiſtrantur, nihil penitus ſine ratio/
ne cõſiſtat, omniaq́ ita à prouidentia incolumitatem, quaſi corpus ab ani/
ma uitã, trahant. Ideoq́ in hoc mundo non ſolũ imperia atq; prouincias,
atq; rem ciuilem & militarẽ, ſed etiã minora officia & priuatas domos, pe/
cudes deniq; ipſas, & minutiſſima quæq; domeſticorũ animantiũ genera,
non niſi humana ordinatione atq; conſilio, quaſi quadã manu & guberna
culo cõtineri. Et hæc omnia ſine dubio uoluntate ac iudicio ſummi dei, ſcili
cet ut eo exemplo omne genus humanũ particulas rerum & membra rege
ret, quo ipſe ſummũ totius mũdani corporis gubernaret. Sed in principio,
inquis, creaturarũ hęc ſunt à deo ſtatuta atq; diſpoſita. Cæterũ patrata uni
uerſitate rerũ atq; perfecta, remouit à ſe cunctã terreſtrium curã, & ablega/
uit: laborem uidelicet forte fugiens à ſuo loco amãdauit, & moleſtiã fatiga/
tionis euitans, aut occupatus negocijs alijs, partem rerũ reliquit, quia totum

obire non poſſit. Remouēt igitur à ſe, inquis, curam mortaliū deus. Et quæ
ergo nobis diuinæ religionis eſt ratio, quæ uel cauſa Chriſtum colendi, uel
ſpes propiciandi? Si enim negligit deus in hoc ſeculo genus hominum, cur
ad cœlū quotidie manus tendimus, cur orationibus crebris miſericordiam 9
dei quærimus, cur ad eccleſiaſticas domos currimus, cur ad altaria ſupplica-
mus? Nulla eſt enim nobis ratio precandi, ſi ſpes tollitur impetrandi. Vi-
des ergo quàm ſtulta atq; inanis ſit huius perſuaſionis aſſertio, quæ utique
ſi recipitur nihil penitus de religione ſeruatur. Sed ad illud forte confugies,
ut dicas nos metu futuri iudicij deum colere, & ideo omniū præſentiū offi-
ciorum cultu elaborare, ut in die futuri ſeculi mereamur abſolui. Quid ergo
ſibi uult apoſtolus Paulus, præcipiens quotidie in eccleſia ac iubens, ut offe- *1. Tim. 2*
rantur iugiter deo noſtro orationes, obſecrationes, poſtulationes, gratiarū
actiones: & hęc omnia quā ob cauſam? quam utiq; niſi ut ipſe dicit, ut quie- *Ibidem*
tam & tranquillam uitam agamus in omni caſtitate. Pro pręſentibus, ut ui-
demus, domino ſupplicari iubet. Vtiq; non iuberet, niſi exorare confideret.
Quomodo ergo aliquis pro obtinendis futuri temporis bonis, apertas dei
aures: pro præſentibus autem clauſas atq; obſtructas putat? Aut quomo-
do nos in eccleſia ſupplicantes, præſentem nobis ſalutem à deo poſcimus, ſi
audiendos nos penitus nō putamus? Nulla ergo nobis uota pro incolumi-
tatibus ac proſperitatibus noſtris faciēda: quin ut modeſtia ſupplicationis
uocem conciliet poſtulantis, dicendū nobis eſt fortaſſe, Domine nō proſpe-
ritatē uitæ iſtius petimus, nec pro bonis præſentibus ſupplicamus: ſcimus
enim aures tuas his obſecrationibus clauſas eſſe, & auditū te ad preces hu-
iuſmodi non habere: ſed pro his tantūmodo petimus quę ſunt futura poſt
mortē. Eſto igitur poſtulatio talis utilitate nō careat, quomodo ratione ſub
ſiſtit? Si enim deus à reſpectu huius ſeculi curā remouit, & poſtulantium
precibus aures ſuas clauſit: abſq; dubio qui nō audit nos pro præſentibus,
non audit etiā pro futuris: niſi forte credimus pro precum diuerſitate aures
ſuas Chriſtum uel tribuere, uel negare: id eſt ut claudat eas cū rogātur præ
ſentia, aperiat cū futura. Sed de his dicendum amplius non eſt. Tam ſtulta
enim ſunt & tam friuola, ut cauendū ſit, ne id ipſum quod pro honore dei
dicitur, iniuria dei eſſe uideatur. Tanta quippe eſt maieſtatis ſacræ & tam *Maieſtatis ſa-*
tremenda reuerentia, ut non ſolum ea quæ ab illis contra religionem hor- *cræ reuerētia*
rere, ſed etiam ea quæ pro religione nos ipſi dicimus, cum grandi metu ac
diſciplina dicere debeamus. Igitur ſi ſtulte atq; impie creditur quod curam
humanarum rerum pietas diuina deſpiciat, ergo non deſpicit. Si autem
non deſpicit, regit. Si autem regit, hoc ipſo quod regit iudicat: quia regimen *Hoc ipſo*
eſſe nō poteſt, niſi fuerit iugiter in rectore iudicium. Sed parū eſſe fortaſſe *quod regit*
quiſpiā putet, quod hæc ratio declarat, niſi probet̄ exēplis. Videamus qua *iudicat* *Probat ab*
liter mūdum à principio deus rexerit, & ita cum omnia ſemper gubernaſſe *exemplis*

monſtrabimus, ut ſimul etiam iudicaſſe doceamus. Quid enim ſcriptura
Gen. 2 dixit? Formauit igitur deus hominē de limo terræ, & inſpirauit in eum ſpi-
raculum uitæ. Et quid poſtea? Poſuit eum, inquit, in paradiſo uoluptatis.
Quid deinceps? Dedit ſcilicet legem, præceptis imbuit, inſtitutione forma-
uit. Quid autem poſt hoc ſecutū eſt? Præterijt homo mandatum ſacrū, ſen
tentiam ſubijt, paradiſum perdidit, pœnam damnationis excepit. Quis nō
in ijs omnibus gubernatorem deū uideat & iudicem? Cōſtituit enim Adā
in paradiſo innocentem, expulit reum. In conſtitutione ordinatio eſt, in ex-
pulſione iudicium. Quādo enim eum in loco uoluptatis poſuit, ordinauit:
quādo autē reum de regno expulit, iudicauit. Ergo hoc de primo homine,
hoc eſt de patre. Quid de ſecundo, id eſt de filio? Factū eſt, inquit ſcriptura
& 4 ſacra, poſt multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera domi-
no. Abel quoq; obtulit de primitijs gregis ſui, & de adipibus eius. Et reſpe
xit dominus Abel & munera eius, ad Cain uero & ad munera eius non re
ſpexit. Priuſq; de euidentiori iudicio dei dicam, puto etiā quod in his quæ
iam diximus quædā cenſura iudicij eſt. In hoc enim quod unius ſacrificiū
deus ſuſcepit, alterius excluſit, euidentiſſime utiq; & de unius iuſtitia ac de
iniquitate alterius iudicauit. Sed hoc parū eſt. Cum igitur futuro facinori,
uiam ſternens, fratrē in ſolitudinē trahit, ſecretis patrocinantibus ſcelus per
agit, impijſſimus pariter & ſtultiſſimus, qui ad perpetrandū maximum ne
phas ſufficere ſibi credidit, ſi aſpectus uitaret hominū, fratricidiū, deo teſte,
facturus. Vnde puto, quod hæc in illo iam tunc opinio fuerit, quæ nunc in
multis eſt, deum terreſtria nō reſpicere, & actus ſceleratorū hominum non
uidere. Nec dubiū eſt cū poſt facinus admiſſum, dei ſermone cōuentus, ni-
hil ſe de fratris cæde ſcire reſponderit: adeo inſcium facti ſui deū arbitraba
tur, ut crederet feraliſſimū nephas tegi poſſe mendacio. At aliter expertus
eſt q̃ putabat. Nam deū à quo non exiſtimauit uideri ſceleta cū occideret,
ſenſit uidere cum damnaretur. Hinc nunc requirere uolo ab illis qui negant
res humanas uel reſpici à deo uel regi, uel iudicari, an cuncta in his quæ di-
ximus ediuerſo ſint. Puto enim quod præſens eſt, qui ſacrificio intereſt, &
regit qui Cain poſt ſacrificia caſtigat, ſolicitus eſt qui ab interfectore inter-
fectū requirit, & iudicat qui percuſſorem impiū iuſta animaduerſione con-
demnat. In quo quidem etiam illud non incommode, uerum ne miremur,
nunc ſanctos homines quædam aſpera pati, cum uideamus quod iam tūc
deus etiam per maximum nephas primum ſanctorum ſinit occidi. Quæ
quidem qua ratione patiatur, neque humanæ imbecillitatis eſt plena inda
gine cognoſcere, neq; nunc temporis diſputare. Itē probare ſatis eſt, omnia
iſtiuſmodi non negligentia aut incuria dei fieri, ſed conſilio ac diſpoſitione
permitti. Nequaquam enim iniuſtum poſſumus dicere, in quo diuinū eſſe
iudicium non poſſumus denegare, quia ſumma iuſtitia eſt uoluntas dei.
Neq;

Necp enim ideo iniuſtum eſt quod diuinitas agit, quia capere uim diuinæ iuſtitiæ homo non ualet. Sed ad propoſitum reuertamur. Videmus ergo in his quæ dicta ſunt nihil de incuria actum, ſed quia quædam ex his diſpoſitio diuina ordinauit, quædam patientia ſubſtinuit, quædam ſubſtantia iudicauit. Sed non ſatis forte quidam exiſtimant hæc quæ dicimus nos probaſſe per paucos, uideamus an id ipſum manifeſtare poſſimus etiã per uniuerſos. Aucta igitur ac multiplicata humani generis multitudine ſimul & iniquitate, Videns deus, inquit ſcriptura ſacra, quod multa malitia eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit deum quod hominem feciſſet in terra, & tactus dolore cordis intrinſecus, Delebo, inquit, hominẽ quem creaui à facie terræ. Conſideremus quemadmodum in his omnibus & ſollicitudo domini pariter & ſeueritas indicetur. Primum enim ait: Videns autem deus: ſecũdo, tactus dolore cordis intrinſecus: tertio, delebo, inquit, hominem quem creaui. In hoc ſiquidem quod uidere omnia deus dicitur, cura eius oſtenditur. In hoc quod dolet, terror irati. In hoc quod punit, ſeueritas iudicãtis. Pœnituit ergo, inquit ſcriptura, deum quod hominem feciſſet in terra: non quod deus ſit obnoxius huic motui, aut illi ſubiaceat paſſioni, ſed ſermo diuinus ad inſinuãdam plenius nobis ueram ſcripturarum intelligentiam, quaſi humano affectu nobiſcum loquens, ſub nomine pœnitentis dei, uim demonſtrauit irati. Ira eſt autem diuinitatis, pœna peccantis. Quid ergo poſt hoc ſecutum eſt? Cum, inquit, uidiſſet terram deus eſſe corruptam, dixit ad Noë: Finis uniuerſæ carnis uenit coram me, repleta eſt terra iniquitate à facie eorũ, & ego diſperdam eos cum terra. Et quid poſtea? Rupti ſunt, inquit, omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cœli apertæ ſunt, factacp eſt pluuia ſuper terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Et paulo poſt: Cõſumpta eſt omnis caro quæ mouebatur ſuper terrã. Et deinceps: Remanſit autem ſolus Noë, & qui cum eo erant in arca. Hic nunc requirere ab illis uolo, qui incurioſum rerum humanarum appellant deum, in illo tempore uel curaſſe eum terreſtria credant uel iudicaſſe. Puto enim non iudicauit tantum, ſed etiam dupliciter iudicauit. Nam & dum ſeruat bonos, pium ſe retributorem: & dum condemnat malos, ſeuerum iudicem comprobauit. Sed hæc forſitan apud ſtultos, quia ante diluuium, id eſt quaſi alio quodam ſeculo geſta ſunt, minus autoritatis habere uideantur, quaſi uero alius deus tunc fuerit, aut poſtea eandem mũdi curam habere noluerit. Poſſum quidem diuino munere per ſingulas poſt diluuium generationes probare quæ dico, ſed & enormitas uetat, & tamen certa quædam & maiora ſuffiiunt: quia cum idem ſit abſque dubio maiorum pariter & minorum deus, id profecto intelligendum eſt in minoribus, quod in maioribus comprobatur. Igitur cum poſt diluuium generationi hominum benedixiſſet

deus,

Gen. 6

Sermo diuinus humano quodam affectu nobiſcum loquitur

Gen. 6

& 7

Ante diluuiũ

deus,immenſamq́ue hominum multitudinem benedictio ipſa generaſſet:
Gen.12 loquitur ad Abraham dominus de cœlo, iubens ut deſerat terram ſuam,
inquirat alienam. Vocatur,ſequitur,adducitur,collocatur,fit de paupere lo-
cuples,de ignoto potens,infimus peregrinatione, excellentiſſimus dignita-
te. Sed ne hæc tamen quæ ei data à domino fuerant, muneris tantum ui-
derentur fuiſſe nõ meriti,qui lætabatur proſperis,probatur aduerſis.Sequi
tur quippe labor,periculum,timor,uexatur commigratione, fatigatur exi-
lio, contumelia afficitur, uxore priuatur: immolari ſibi filium deus iuſſit,
pater obtulit, & quantum ad defunctionem cordis pertinet, immolauit.
Rurſum exilia,rurſum metus, Phyliſtinorum inuidia, Abimelech rapina,
multa quidem mala, ſed tamen pacia ſolatia. Nam etſi à plurimis affici-
Dei uaria no tur, tamen de omnibus uindicatur. Quid igitur in cunctis iſtis quæ me-
mina ac mu- morauimus, num deus non eſt & inſpector, & inuitator, & ductor, & ſo-
nera. licitus, & ſponſor, & protector, & munerator, & probator, & ſublimator,
& ultor, & iudex? Inſpector quippe eſt dum ex omnibus unum elegit,
quem meliorem uidit. Inuitator dum uocat, ductor dum ad ignota per-
ducit, ſolicitus dum ad ilicem uiſitat, ſponſor dum futura promittit, pro-
tector quia inter gentes barbaras protexit: munerator, quia locupletauit:
probator,quia tentari aſperis uoluit: ſublimator, quia potentiorem omni-
bus fecit:ultor, quia cum de aduerſarijs ultus eſt: iudex, quia dum ulciſci-
Gen.18 tur iudicauit. Subiungit autem huic hiſtoriæ deus, dicens: Clamor So-
domorum & Gomorræ multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggraua-
tum eſt nimis. Clamor, inquit, Sodomorum & Gomorræ multiplicatus
eſt. Pulchre clamorem dixit in ſe habere peccata. Grandis abſque dubio
Peccata homi peccantium clamor eſt,qui à terra aſcendit ad cœlum.Quare autem pecca-
num clamant ta hominum quaſi clamare teſtatur? Scilicet quia cędi aures ſuas deus dicit
clamoribus peccatorum, ut non differatur pœna peccantium. Et uere cla-
mor & grandis clamor eſt,quando pietas dei, peccatorum clamoribus uin
citur, ut peccantes punire cogatur. Oſtendit ergo dominus quàm inuitus
puniat etiam grauiſſimos peccatores, dicens, quod clamor Sodomorũ ad
ſe aſcenderit: hoc eſt dicere, Miſericordia quidem mea mihi ſuadet ut par-
cam,ſed tamen peccatorum clamor cogit ut puniam. Cum ergo iſta dixiſ-
Gen.19 ſet,quid conſecutum eſt? Mittuntur angeli Sodomam, proficiſcuntur, in-
troeũnt,bonorum fouentur officio,malorum uexantur iniuria,cęcantur im
probi,ſaluantur probi. Loth cum affectibus pijs urbe educitur, urbs cum
habitatoribus concrematur impijs. Interrogo hic,utrum nam cum deus ex
iudicio Sodomitas punitos à deo dicit, iniquum deum arguit? Si autem
cum iudicio malos perdidit,iudicauit utique.Equidem iam quaſi ad inſtar
futuri iudicij iudicauit. Cũ enim ad ſupplicium malorũ gehennã in futurũ
arſuram eſſe manifeſtum ſit, Sodomã & uicinas eius urbes cœleſti flãma
conſum-

conſumpſit. In præſenti autem illud quod futurum eſt deus uoluit declarare iudicium, quando ſuper impium populum gehennam miſit è cœlo. Sicut etiam Apoſtolus dicit, quod deus ciuitates Sodomam & Gomorram euerſione damnarit, exemplum ponens impie acturis: quamuis id ipſum quod ibi actum eſt, plus habuerit miſericordiæ quam ſeueritatis. Quod enim pœnam eorum tam diu diſtulit, miſericordiæ fuit: iuſtitiæ, quod aliquādo puniuit. Et ideo cum angelos Sodomam deus mitteret, hoc nobis probare uoluit, quod etiam malos puniret inuitus. Scilicet ut cum legeremus quæ à Sodomis angeli pertuliſſent, & uideremus ſcelerum immanitatem, criminum turpitudinem, libidinum obſcœnitatem: probaret utique nobis deus quod ipſe eos noluerit perdere, ſed ipſi extorſerint ut perirent. Poſſum innumera proferre, ſed uereor ne dū ſatis rem probare nitimur, hiſtoriam texuiſſe uideamur. Moſes in deſerto poſitus gregem paſcit, rubum ardere cōſpicit, deum ex rubo audit, præcepta accipit, poteſtate exaltatur, ad Pharaonem mittitur, uenit, loquitur, contemnitur, uincit. Ægyptus percutitur, Pharaonis inobedientia uerberatur, & quidem nō uno modo: ſed ut plus ſacrilegus torqueatur, diuerſitate ſupplicij. Et quid? poſtremo decies rebellat, decies uerberatur. Quid ergo diximus? Puto quod in his omnibus & curare pariter res humanas deum, & iudicare, cognoſcas. In Ægypto quippe, tunc enim non ſimplex tantum, ſed multiplex conſtat dei fuiſſe iudicium. Quotieſcunque enim rebellantes Ægyptios percuſſit, totiens iudicauit. Sed poſt iſta quæ diximus, quid ſecutum eſt? Iſraël dimittitur, paſcha celebratur, Ægyptios ſpoliat, diues abſcedit. Pharaonem pœnitet, exercitum contrahit, ad fugientes peruenit: caſtris iungitur, tenebris ſeparatur: ſiccatur pelagus, Iſraël graditur, officioſa undarum patientia liberatur: Pharao ſequitur, mare ſuper eum uoluitur, fluctu operiente deletur. Puto iam non obſcurum, in his quæ acta ſunt, dei eſſe iudicium. Et quidem non iudicium tantum, ſed etiam moderationem atque patientiam. Patientię enim fuit, quod Ægyptij rebellantes ſæpe percuſſi ſunt: iudicij, quod contumaciæ pertinaces morte damnati. Igitur poſt rerum geſtarum ordinem uictrix ingreditur eremum ſine bello gens Hebræorum. Agit iter ſine itinere, uiatrix ſine uia, primo dei diuino conſilio honorabilis, ductu cœleſti potens, ſequens mobilem columnam, nubilam die, igneam nocte, congruas colorum diuerſitates pro temporum diuerſitate ſumentem: ſcilicet ut diei lumen lutea obſcuritate diſtingueret, & caliginem noctis flammeo ſplendore claritatis irradiaret. Adde huc fontes repente natos, adde medicatas aquas, uel datas uel immutatas, ſpeciem ſeruantes, naturam relinquentes. Adde aperta erumpentibus uijs montium capita, adde ſcaturientia nouis puluerulenta arua torrentibus, adde illos itinerantium caſtris alitum greges dei pietate indulgentiſſima, non uſibus tantum

hominum,

2. Pet. 2

Malos inuitus punit

Exo. 13

hominum,ſed etiam illecebris ſeruiẽtes:datũ per quadraginta annos aſtris quotidie famulantibus cibum,rorantes iugiter eſcis dulcibus polos, nõ ad uictum tantum,ſed etiam ad delitias perfluentes. Adde homines in nullis membrorum ſuorum partibus acceſſus & deceſſus humanorũ corporum neſcientes, ungues non auctos, dentes non imminutos, capillos ſemper æquales,non attritos pedes, non ſciſſas ueſtes, calceamenta non rupta, redundantem hominum honorem uſq; ad induuiarum uilium dignitatem. Adde huc erudiendæ gentis officio deſcendentem ad terras deum, accommodantem ſe terrenis uiſibus dei filium, innumeræ multitudinis plebem in conſortium diuinæ familiaritatis admiſſam, ſacræ amicitiæ honore pollentem. Adde huc tonitrua,adde fulgura,terribiles buccinarum cœleſtium ſonos,tremendum undiq; totius aëris fragorem, polos ſacris clangoribus mugientes,ignes, caligines,nebulas deo plenas,loquentem cum Moſe dominum,legem diuino ore reſonantem, inciſas dei digito literas,rupices paginas,ſaxeum uolumen,diſcẽtem populum, & docentem deum, ac mixtis penè hominibus atque angelis unam cœli ac terræ ſcholam. Sic enim ſcriptum eſt,quod cum retuliſſet Moſes uerba populi ad dominũ, dixit ei do-
Exo.19 minus: Iam nunc ueniam ad te in caligine nubis, ut audiat populus me loquentem ad te.Et paulo poſt,ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura,& nubes denſiſſima operire montem. Et iterum: Deſcenditq; dominus ſuper montẽ Synai in ipſo montis uertice,ac deinceps loquebatur cum Moyſe uidentibus uniuerſis, quod columna nubis ſtaret ad hoſtium tabernaculi,ſtabantq; & ipſi & adorabant per fores tabernaculorũ ſuorum. Loquebatur dominus ad Moſen facie ad faciem,ſicut loqui ſolet homo ad amicum ſuum.Quæ cum ita ſint, uidetur ne hominis habere curam deus? Hæc tanta tribuens,hæc tanta præſtans, participem ſermonis ſui homunculum uilem faciens, & quaſi in conſortium ſacræ ſodalitatis admittens, aperiẽs ei plenas diuitijs immortalibus palmas ſuas, alens eos nectaris poculo, paſcens cœleſti cibo? Quam rogo maiorem eis gubernandi ſui præſtare curam,quem maiorem præſtare potuit affectum, quàm ut cum præſentis ſeculi uitam agerent,ſpem iam futuræ beatitudinis poſſiderent?Sed reſpondeatur forte hoc loco,habuiſſe quondam hanc hominum curam deum,cæterũ nunc penitus non habere. Vnde hoc ita credimus?forſitan quia ut illi tunc mannam quotidie non comedimus,cum agros triticeos plenos meſſibus demetamus, quia coturnices humanis ſe manibus ingerẽtes non apprehendimus, cum omnia auium,pecudum, beſtiarum genera deuoremus:quod ſalientes rupibus aquas apertis oribus non accipimus, cum uinarias domus uinearum fructibus irrigemus. Addo ego amplius aliquid, quod nos ipſi qui illos deo fuiſſe curæ,& nos ideo negligi dicimus,ſi accipere pro præſentibus bonis præterita poſſemus, reſpueremus penitus condi-

tionis

tionis iſtius optionem. Nollemus enim hæc quæ nunc habemus amittere, ut poſſemus ea quibus tunc illi uſi ſunt poſſidere: non quod nos nunc meliora habeamus quàm gens illa tunc habuit, ſed quia & illi qui quotidiano tunc cœli ac dei miniſterio paſcebantur, antiquam uentris ingluuiem bonis præſentibus præferebant: turpiſſima ſcilicet ciborum carnalium recordatione mœſti, & fœtidiſſimo ceparum atq; alliorum amore ægreſcentes: non quod potiora eſſent quibus antea uſi erant, ſed quæ non erant deſiderabant. Nos magis laudamus illa quæ tunc fuerunt, quàm iſta quæ nunc ſunt: nõ quia ſi eligẽdi facultas eſſet ſemper habere illa mallemus, ſed quia uſitatum hoc eſt humanæ menti, cum intueatur illa magis ſemper quæ deſunt. Et quia, ut ille ait, aliena nobis, noſtra plus alijs placent. Accedit quoque illud, quod generale fermè eſt omni homini, ut deo ſemper ingratus ſit, inſitoq; hoc, & quaſi natiuo malo ſe cuncti inuicem uincunt, ut beneficijs dei detrahant, ne debitores ſe eſſe cognoſcant. Sed hæc hactenus, nunc ad negocij dudum cepti ordinem reuertamur. Quamuis ut reor, non mediocriter probauerimus quæ propoſuimus, addamus tamen adhuc, ſi placet, quippiã, quia melius eſt plus probare aliquod quàm neceſſe eſt, quàm minus forſitan quàm negocio debeatur. Liberatus quondam de Pharaonis iugo populus Hebræorum, ad Syna montem præuaricatus eſt, & ſtatim à domino pro errore percuſſus. Sic enim ſcriptũ eſt: Percuſſit ergo dominus populũ pro errore uituli quem fecit Aaron. Quod potuit maius & euidentius de peccatoribus deus ferre iudicium, quàm ut ſtatim conſequeretur pœna peccantes? Et tamen cum omnis populus reus fuerit, cur nõ eſt in omnes miſſa damnatio? quia pius ſcilicet dominus partem percuſſit ſententiæ ſuæ gladio, ut partẽ corrigeret exemplo, probaretq; omnibus ſimul & cohercendo cenſuram, & indulgẽdo pietatem. Cenſura enim fuit, quod caſtigauit: pietas, quod pepercit, quamuis utrũq; impari modo. Plus ſiquidem tunc pietati datum eſt quàm ſeueritati. Ideo utiq; quia cum indulgentiſſimus dominus propiorem ſe ſemper miſerationi præſtet quàm ultioni, licet in cohercenda tunc Iudaici exercitus parte iudicio & ſeueritati cenſura diuina aliquid attribuerit, maiorem tamen ſibi populi portionem pietas uindicauit: ſpecialiter quidem hoc & peculiari tunc innumeræ plebis miſericordia, ne omnes ſcilicet quos reatus complectebatur, pœna conſumeret. Cæterum erga quaſdam perſonas, ut legimus, ac familias cenſura dei inexorabilis eſt: ſicut illud, ubi ociante ſabbatis populo, is qui colligere ligna uſurparat, occidi iubetur: quamuis enim opus ipſum hominis uideretur innoxium, faciebat tamen eum diei obſeruatio criminoſum: uel cum duobus lite certantibus, unus qui blaſphemarat, morte mulctatur. Sic enim ſcriptũ eſt: Ecce autem filius mulieris Iſraelitidis, quẽ pepererat de uiro Ægyptio, inter filios Iſraël iurgatus eſt in caſtris cum uiro Iſraelite. Cumq; blaſphe

Mimus Publianus — *Exo.19 & 32* — *Deus erga quoſdã inexorabilis* — *Num.15* — *Leuit.24*

maſſet nomen domini,& maledixiſſet ei,adductus eſt ad Moſen.& paulò poſt,Miſerunt,inquit,eum in carcerem, donec uiderent quid iuberet dominus,qui locutus eſt ad Moyſen,dicens:Educ blaſphemũ extra caſtra,& ponant omnes qui audierunt, manus ſuper caput eius, & lapidet eũ populus uniuerſus.Nunquid nõ præſens dei eſt manifeſtumq́ iudicium,& prolata quaſi iuxta humani examinis formam,cœleſti diſceptatione ſententia? Primum enim qui peccauerat comprehenſus eſt.Secũdo quaſi ad tribunal adductus.Tertio accuſatus,deinde in carcerem miſſus. Poſtremo cœleſtis iudicij autoritate punitus. Porrò autem nõ punitus tantum, ſed punitus ſub teſtimonio,ut damnare ſcilicet uideretur reum iuſtitia,non poteſtas:exemplo ſcilicet ad cunctorum emendationem proficiente,ut ne quis poſtea admitteret,quod omnis in uno populus uindicaſſet.Hac igitur ratione atque iudicio omnia deus & nunc agit,& ſemper egit, ſcilicet ut correctioni omnium proficeret quicquid ſinguli tuliſſent.Sicut etiam & illud fuit cum Abiu

Num 26 & Nadab,ſacerdotalis ſanguinis uiri,cœleſti igne cõſumpti ſunt.In quibus

Leuit.10 utiq́ non iudicium tantũ,ſed præſens deus oſtendere uoluit,impendensq́

1.Para.24 iudicium, ſic enim ſcriptum eſt. Quod cum egreſſus ignis à domino deuoraſſet holocauſtum, arreptis Nadab & Abiu filij Aaron turribulis poſuerunt ignem & incenſum deſuper, offerentes coram domino ignem alienum,quod eis præceptum non erat. Egreſſusq́ ignis à domino,deuorauit eos,& mortui ſunt coram domino.Quid enim aliud q̃ extẽtam ſuper nos dexteram ſuam,& imminentẽ iugiter gladiũ uoluit oſtendere,qui errorem ſupradictorum ſtatim in ipſo opere puniuit: nec peractum prius penè eſt facinus peccantium,quàm ulciſceretur pœna peccatũ: quamuis nõ tantum hoc in hac re actum ſit,ſed etiã multa alia.Cum enim in illis tunc nõ mens impia,ſed facilitas nimium inconſulta punita ſit: declarauit profecto dominus quo ſupplicio digni eſſent,qui contemptu diuinitatis aliquid admitterent,quando etiã illi adeò eſſent, qui ſola mentis inconſideratione peccantes:aut quàm rei eſſent qui contra iuſſionem domini ſui facerent, cũ etiam illi taliter plecterentur qui iniuſſa feciſſent. Porrò autẽ etiam ex hoc cõſulere deus uoluit noſtræ correctioni per cenſuram ſalubris exempli,ut omnes

Laici laici intelligerent quantũ iram dei timere deberent,cum à pręſenti pœna filios ſacerdotis nec meritum parentis eriperet,nec miniſterij ſacri priuilegiũ uindicaret.Sed ego quid de his dico?quorũ incõſiderantia quodammodo

Num.12 deum tetigit,& ad cœleſtem iniuriam redundauit.Maria contra Moſen lo

& 20 quitur,nec punitur tantũ, ſed more iudicij punitur. Primũ ad iudiciũ uocatur.Deinde arguitꝰ.Tertio uerberatur.In obiurgatione excipit uim ſententiæ.In lepra autẽ patitur piaculum criminis, quamuis cohertio iſtiuſmodi nõ Mariam tantũ,ſed etiam Aaronem humiliauit. Quia etſi deformari lepra ſummũ antiſtitem non oportuit, & ipſum tamẽ domini caſtigatio flagellauit,

gellauit,nec ſolum: hac in pœna quam Maria patitur, Aaron etiam quaſi culpæ particeps cohercetur: Maria enim ſupplicio afficitur, ut Aaron confuſione mutetur. Porrò autem ut inexorabilem in quibuſdam agnoſceremus formam diuini eſſe iudicij,ne illius quidem interceſſu,qui læſus fuerat,indulſit.Sic enim legimus ad Aaronem & Mariam dixiſſe dominum: Quare igitur non timuiſtis detrahere ſeruo meo Moſi?iratusq́ abijt,& ecce Maria apparuit candens lepra quaſi nix,clamauitq́ ad dominum Moſes,dicens:Obſecro domine ſana eã.Cui dominus reſpondit:Si pater eius ſpuiſſet in faciem illius, non debuerat ſaltem decem dierum rubore ſuffundi?Separetur ſeptem diebus extra caſtra,& poſtea reuocabitur.Sufficiunt igitur de hoc genere diuiſionis, & de parte ſermonis,iſta quæ diximus.Infinitum enim eſt de omnibus diſputare,quæ nimis longum eſt etiam ſine diſputatione numerare.Sed adhuc tamẽ aliquid addamus: pœnitet gentem Hebræorum de Ægypto receſſiſſe,percutitur:dolet deinde fatigari ſe labore itineris, affligitur:carnes deſiderat,uerberatur.Et quia quotidie mãnam edens explere ex illecebris uentris cupit ingluuiem, optata quidem cupiditate ſaturatur,& in ipſa tamẽ ſaturitate torquetur.Adhuc enim,inquit ſcriptura,eſca erat in ore ipſorum,& ira dei aſcendit in eos,& occidit plurimos eorum,& electos Iſraël impediuit. Nam contra Moſen rebelles extinguntur:Core conuiciatur, obruitur: Datan & Abiron murmurãt,deuorantur. Aperta eſt enim,inquit, terra, & deglutiuit Datan,& operuit ſynagogam Abiron.Ducenti quoq́ & quinquaginta,ut ſacer ſermo teſtatur,principes uiri,qui tempore conſilij per nomina uocabantur, ſurrexerunt contra Moſen.Cumq́ ſtetiſſent aduerſus Moſen & Aaron,dixerunt:Sufficiat nobis quia omnis multitudo ſanctorum eſt,& in ipſis eſt dominus,cur eleuamini ſuper populum domini?Et quid poſt hæc?Ignis,inquit,egreſſus à domino,interfecit CCL uiros,qui offerebant incenſum.Sed cum hæc tanta fierent,cœleſtis cura non profuit:adhibita eſt ſæpiſſime cohertio,ſed emendatio non eſt ſecuta. Sicut enim nos cum aſſidue flagellamur,nõ corrigimur: ita & illi,cum cæderentur ſæpiſſime, nõ emendabantur.Quid enim ſcriptũ eſt?Murmurauit autẽ omnis multitudo filiorum Iſraël ſequenti die contra Moſen & Aaron,dicens:Vos interfeciſtis populũ domini.Et quid poſtea? Percuſſa ſunt ſtatim, & diuino igne conſumpta XIIII milia hominũ & ſeptingenti.Cum omnis ergo tunc populi multitudo peccauerit,cur nõ eſt in omnibus uindicatum? præſertim cum ex illa quam ſupra dixi ſeditione Core nullus euaſerit. Cur ibi cunctum peccãtium cœtum interfici deus uoluit,hic tantũmodo portionem? ſcilicet quia plenus & iuſtitia & miſericordia dominus,& pietati ſuę multa donat per indulgentiam,& ſeueritati per diſciplinam.Et ideo præſtitit diſciplinæ,ut proficeret cunctorum emendãtioni,pœna omnium noxiorum. Hic autẽ miſericordiæ ſuæ tribuit,ne uniuerſus

Marginal notes: Num.12 (beside "Quare igitur"); Exo.16 (beside "ſputatione numerare"); Pſal.77 (beside "tate ſaturatur"); Num.16 (beside "eorum,& electos").

uerſus populus deperiret. Et tamen cum tam miſericorditer egerit, quia in parte plebis caſtigatio toties repetita non profuit, ad ultimum omnes morte damnauit: quæ res & timori, & emendationi noſtræ ſimul proficere deberet, ſcilicet ne qui illorum exemplo penitus non corrigimur, illorum fortaſſe exitu puniamur. Nō enim dubium eſt, quid actum de eis fuerit: nam cum uniuerſa gens Hebræorum ad hoc de Ægypto exierit, ut terram repromiſſionis intraret, præter duos tātum ſanctos nullus intrauit. Sic enim

Num. 14 ſcriptum eſt: Locutus eſt dominus ad Moyſen & Aaron, dicens: Vſquequo multitudo hæc peſſima murmurat contra me? Viuo ego, ait dominus, ſicuti locuti eſtis audiente me hodie, ſic faciam uobis. In ſolitudine hac iacebunt cadauera ueſtra. Et quid poſtea? Paruulos, inquit, ueſtros, de quibus dixiſtis quod prædæ hoſtibus forent, introducam ut uideant terram quæ uobis diſplicuit. Veſtra cadauera iacebunt in ſolitudine. Et quid deinde? Omnes, inquit, mortui ſunt, atque percuſſi in conſpectu domini. Quid eſt quod in his omnibus non ſit? uis uidere rectorem? Ecce & præſentia corrigit, & futura diſponit. Vis uidere iuſtum & ſeuerum iudicem? ecce noxios punit. Vis uidere iuſtum & pium? ecce innocentibus parcit. Vis uidere in omnibus iudicem? ecce ubique iudicium eſt. Nam ut iudex arguit, & ut iudex regit. Iudex præmiſit ſententiam, iudex noxios punit, iudex innoxios munerat.

SALVIANI MASSYLIENSIS EPISCOPI DE VERO IVDICIO ET PROVIDENTIA DEI, LIBER SECVNDVS.

SVFFICIVNT igitur de exemplis iſta quæ diximus, quibus utique iugiter deus noſter & contemplator ſollicitiſſimus, & gubernator piiſſimus cōprobatur. Sed cogitat de imperitioribus forte aliquis, Si ſic aguntur nunc à deo omnia ut tunc acta ſunt, quid eſt quod mali præualent, affliguntur boni: & tunc cum iram mali ſenſerint, & miſericordiam boni, nūc uidentur ſentire quodammodo iram, & mali gratiam? Paulo poſt ad iſta reſpondeam: Nunc quia tria hæc, id eſt præſentiam dei, gubernationem, atque iudicium, tribus his probaturum me promiſi, hoc eſt ratione, exemplis, ac teſtimoniis: quia ratione & exemplis iam ſatis fecimus, ſupereſt ut teſtimoniis declaremus. Quamuis exempla ipſa

Teſtimonium quæ diximus haberi pro teſtimoniis debeant, quia recte teſtimonium eſſe dicitur, quo rerum ueritas approbatur. Quid igitur ex illis rebus quę ſupra

dicta ſunt,per teſtimonia ſacra primum probari debet, prꝗſentia,an guber
natio,an ne iudicium? Præſentia opinor,quia uel recturus eſt, uel iudicatu-
rus. Præſens igitur abſque dubio eſſe debet,ut uel regere quicquid illud eſt
uel iudicare poſſit. Loquens in ſuis uoluminibus ſermo diuinus ſic ait: In *Prouerb.15*
omni loco oculi domini contemplantur bonos & malos. Ecce habes præ-
ſentem, ecce intuentem, ecce in omni loco cura ac prouiſione uigilantem.
Idcirco enim bonos ab eo conſiderari & malos dixit,ut probaret ſcilicet ni-
hil ab eo negligi, quem oſtenderet uniuerſa rimari. Quod ut plenius ca-
pias, audi quod in alio ſcripturarum loco idem teſtatur ſpiritus ſanctus.
Oculi, inquit, domini ſuper timentes eum, ut eripiat à morte animas eo- *Pſal.32*
rum,& alat eos in fame. Ecce cur aſpicere iuſtos homines deus dicitur, uti-
que ut conſeruet,ut protegat. Aſpectus enim diuinitatis propitiæ, munus *Aſpectus pro-*
eſt conſeruationis humanæ. Nam & alibi idem diuinus ſpiritus ſanctus: *pitiæ diuinita*
Oculi,inquit,domini ſuper iuſtos,& aures eius in preces eorum. Vide qua *tis*
benignitate agere cum ſuis deum ſcriptura dicit. In hoc ſiquidem quod ait, *Pſal.33*
oculos domini ſuper iuſtos eſſe,affectus aſpicientis oſtenditur. In hoc au-
tem quod aures in precibus paratas, ſemper exaudientis largitas demon-
ſtratur. Quamuis per id quod dicit, diuinas aures in precibus ſemper eſſe
iuſtorum,non audientia tantum dei, ſed quædam quaſi obedientia dei de
ſignetur. Quomodo enim in precibus iuſtorum diuinæ aures ſunt? Quo-
modo? niſi ut ſemper audiant,niſi ut ſemper exaudiant,niſi ut prompte au
dita tribuant, niſi ut ilico exaudita concedant. Semper ergo ad audiendas
ſanctorum preces paratæ domini noſtri aures,ſemper atttētæ ſunt. Quàm
beati eſſemus omnes, ſi quàm promptam erga nos dei audientiam legi-
mus,tam prompte ipſi deum audire uellemus. Sed forſitan dicis,hoc quod
aſpicere deus legitur iuſtos, parum prodeſſe cauſæ: quia non ſit generalis
diuinitatis intuitus, qui iuſtis tantum ſpeciali benignitate tribuatur. Iam
quidem ſuperius ſacer ſermo teſtatur, quia oculi domini contemplantur
malos & bonos. Sed ſi hoc etiam nunc uis plenius probari, reſpice quid ſe-
quatur, hoc enim ſubditur: Vultus autem domini ſuper facientes mala,ut *Pſal.33*
perdat de terra memoriam eorum. Vides abſque dubio quia non poteſt
quæri,quod non aſpiciat etiā iniuſtos deus:quippe cū intelligis generalem
quidem eſſe in omnes dei uiſionem,ſed meritorum fieri diſparilitate diuer-
ſam: boni quippe aſpiciuntur ut conſeruentur, mali ut diſperdantur: cum
quibus utique partem & ipſe habens qui homines à deo aſpici negas, non
ſolum uideri te à domino euidenter intellige, ſed periturum quoque indu-
bitanter agnoſce. Nam cum ad hoc ſit uultus dei ſuper facientes mala, ut
perdat de terra memoriam eorum de generatione omni: neceſſe eſt ut qui
aſpicere dei uultum perfidia negas, aſpicientis iram perditione cognoſcas.

Ratio aſpi- Igitur de præſentia ac de aſpectu dei iſta ſufficiunt. Videamus an qui nūc
ciendi reſpicit regat,cum utiq; ipſa ratio aſpiciēdi cauſam in ſe habeat gubernan-
di:quia ad hoc nō reſpicit,ut cū aſpexerit negligat, qui ſcilicet per id ipſum
non negligere intelligitur,quia reſpicere dignatur: præſertim cum ſuperius
ſacer ſermo teſtatus ſit, malos ad perditionem à deo aſpici, bonos ad ſalu-
tem. Hoc ipſo utiq; diſpenſatio diuini gubernaculi demonſtratur, hoc eſt
enim iuſta gubernatione regere, & ſingulos quoſq; homines pro meritorū
diuerſitate tractare.Sed accipe tamen de hac re plenius teſtimonium:dicit
Pſal.79 ad deum patrem in Pſalmo ſpiritus ſanctus:Qui regis Iſraēl intende. Iſra
Iſrael el uidens deum interpretatur: quem utiq; cum Chriſtiani fide & corde ui-
deant,qui fideliter credunt,licet gubernator omnium ſit deus, illis tamē pe
culiariter regimē præſtari à deo dicitur,qui regi peculiariter à diuinitate me
reantur. Vnde & tu quicunq; ille es, ſi Chriſtianus es, neceſſe eſt ut regi te
à deo credas. Si autem gubernari te à deo cum cæteris Chriſtianis omni-
no non putas,neceſſe eſt extra omnes Chriſtianos te eſſe cognoſcas. Sed
ſi illud,ut ſupra iam diximus,magis quæris,quod ad homines omnes,non
quod ad ſolos pertineat Chriſtianos: ecce euidenter dicit uolumē ſacrum,
cuncta quotidie nutu diuinitatis regi, & inceſſabiliter à deo omnia guber-
Sap.12 nari.Ipſe enim,inquit, diligit conſilium & diſciplinam. Nec eſt enim alius
deus,cuius cura eſt de omnibus.Cum ſis ergo,inquit,iuſtus,iuſte omnia di
ſponis,& cum magna reuerētia diſponis nos.Ecce habes iugiter diſponen-
tem deum,iugiter gubernantem:quamuis in iſto ſcripturæ loco non guber
natio tātum ſacra,ſed etiā dignitas declaretur humana. In hoc enim quod
ait,diſponit nos, uis diuinæ gubernationis: In hoc autem, quod cum ma-
gna reuerentia,culmen humanæ oſtenditur dignitatis.Alibi quoq; in pro-
Hiere.23 pheta:Nunquid non cœlum,inquit,& terram ego impleo?Cur autem cun
& 42 cta impleat,ipſe declarat.Quia uobiſcum ſum,inquit,ut ſaluos faciam uos.
Ecce enim non modo regimen ſuum dominus & impletionem, ſed etiam
uim ac beneficium ipſius adimpletionis oſtendit. Hunc enim modum in
ſe habet diuinitatis impletio,ut ſaluet ea quæ adimplentur. Et ideo in apo
Act.17 ſtolorum Actibus beatiſſimus Paulus:In ipſo,inquit,& uiuimus, & moue
mur, & ſumus. Plus abſque dubio, quàm gubernator eſt uitæ,in quo mo-
tus ipſe inuentus eſt.Non enim dixit, ab ipſo nos, ſed in ipſo moueri, do-
cens ſcilicet inſitam intra uirtutes ſacras omnium noſtrum eſſe ſubſtan-
tiam: quia in ipſo profecto uiuimus à quo hoc ipſum ducimus, quod ſu-
Matth.28 mus. Sed & Saluator ipſe in Euangelio: Ecce ego, inquit, uobiſcum ſum
omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi.Non ſolum nobiſcum
ſe eſſe dixit, ſed etiam omnibus diebus eſſe nobiſcum. Tu eum ô ingra-
tiſſime homo, qui ſine ceſſione nobiſcum eſt, nec curam, nec reſpectum
habere

habere dicis? Quid facit ergo nobiſcum? Nunquid ad hoc nobiſcum eſt, ut
non reſpiciat & negligat? Et quomodo ſibi utrunque conuenit, ut qui pie/
tati præſtat præſentiam, impietati tribuat incuriam? Ecce enim, inquit, uo/
biſcum ſum omnibus diebus uſqꝫ ad conſummationem ſeculi. Præclare ſci *Ironicῶs*
licet affectum dei interpretatum, ſi nos calumniamur ab eo iugiter negli/
gi, cum ille nos à ſe teſtetur iugiter non relinqui. Ille per hoc oſtendere uo/
luit, quod à nobis affectu & protectione iugiter non diſcederet, quia à no/
bis etiam præſentia non abeſſet: nos in contemptum noſtri diuinam uerti/
mus charitatem, nos amoris teſtimonia in odij argumenta mutamus. Hoc
enim quod præſentem ſe eſſe dicit, odij magis teſtimonium eſſe uolumus,
quàm amoris. Nam ſi abſentem ſe dominus futurum eſſe dixiſſet, minus
cauſari forſitan de incuria poteramus abſentis: maioris contemptus res eſt
atqꝫ faſtidij, ſi nos iugiter negligit, qui à nobis iugiter non recedit: & plus in
ſe odij noſtri habet, ſi ad hoc nobiſcum ſemper permanet, ut qui nos præ/
ſentia nunquam deſerit, ſemper repudiet affectu. Sed abſit hoc de pijſſimo
ac miſericordiſſimo deo credi, ut ad hoc ſemper nobis uoluerit aſſiſtere, ut
nos maiore faſtidio negligere uideretur aſſiſtens. Abſit hoc ſcelus dici. Ne/
mo enim puto uel in toto humano genere tam malus eſt, qui ideo cũ ullo
hominũ uelit eſſe quia nõ amet, & ad hoc tantũ uti præſentia ſua cupiat, ut
maiore odio poſſit deſpicere pręſentem. Ipſa uel doceat nos humana natu
ra uel uincat: ſi nõ ideo cũ quocunqꝫ homine eſſe cupimus, quia eũ cũ quo
eſſe cupimus diligimus. Et quia utiqꝫ diligimus, prodeſſe ei præſentiam no
ſtram cupimus, quẽ amamus. Quod ergo etiã malo homini auferre nõ poſ
ſumus, à deo tollimus, & peiorẽ peſſimis hominibus deũ facimus, ꝗ ad hoc
futurũ nobiſcũ ſe eſſe dixerit, ut faſtidioſius nos negligeret cum fuiſſet. Sed
hæc hactenus: ſupereſt ut quia teſtimonijs ſacris & reſpici, ac regi à deo o/
mnia iam probauimus, etiam iudicari plurima in hoc ſeculo à diuinitate do
ceamus. Dauid ſanctus cũ à Nabale Carmelio cõtumeliæ pertuliſſet iniuri *1. Reg. 25*
am, quia ſe ipſe ulciſci diſtulit, ultionẽ ſtatim deo executore percepit. Extin/
cto itaqꝫ paulo poſt aduerſario ſuo, & manu cœleſti obruto ſic locutus eſt:
Benedictus dominus ꝗ iudicauit cauſam obprobrij mei de manu Nabal.
Eundẽ quoqꝫ cũ fugaſſet è regno filius perſecutor, iudex in breui dominus
uindicauit. Nec uindicauit tãtũ, ſed cumulatius uindicauit q̃ ipſe uoluit qui
uindicabať, ut oſtẽderet ſcilicet deus grauiorẽ ſibi eſſe iniuriã iniuſta tolerã *Iniuſta toleran-*
tiũ, q̃ tolerãtibus ſuã. Nam qui ſupra uotũ eius uindicat qui uindicať, quid *tium iniuria*
aliud uult intelligi, q̃ ſe ipſum in eo quẽ ſic ulciſciť uindicare? Acto itaqꝫ in *deo grauis*
crucem nõ manufactã filio patricida, uindictã ei diuinitus attributã ſic nun
ciatam refert ſermo diuinus: Bonum apporto nunciũ domine mi rex: iudi/ *2. Reg. 18*
cauit enim pro te hodie dominus de manu omniũ qui ſurrexerũt cõtra te.

Vides quomodo non rebus tantum, ut ſupra diximus, & exemplis, ſed ipſo nomine atque appellatione iudicij, deum etiam præſenti ſeculo iudicare, diuinæ per ſacros teſtes literæ probant. Sed forſitan dices id ſpecialiter ſancto uiro à deo præſtitum, ut de aduerſarijs eius protinus iudicaret. Dies me deficiet, ſi de præſentibus in hoc mundo ſententijs dei atque iudicijs dicere uelim. Sed tamen ut euidenter agnoſcas, cenſuram ſuam & examen ſacrum non tam perſonis præſtare, quàm cauſis, audi quod iudex deus, qui pro Dauid ſeruo ſuo ſententiam aſſidue euidentem dedit, contra Dauid ipſum ſæpius uindicarit. Et quidem hoc non in multorum hominum negocio, aut quod forſitan potuiſſet deum magis mouere ſanctorum, ſed in cauſa & unius hominis & barbari: & ubi tantum uirum perſona penitus aggrauauerat, niſi cauſa mulctaſſet: interfecto Vria Etheo, homine gentis impiæ & nationis inimicæ, ſtatim fit ad Dauid ſermo diuinus: Vriam Etheum percuſſiſti gladio, & uxorem illius accepiſti uxorem tibi, & interfeciſti eum gladio filiorum Ammon. Quam ob rem non recedet gladius de domo tua uſque in ſempiternum. Itaque hæc dicit dominus: Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo. Tu enim feciſti abſcondite. Ego uero faciam uerbum iſtud in conſpectu omnis Iſraël, & in conſpectu ſolis huius. Quid dicis tu, qui non ſolum non iudicari quæcunque agimus, ſed nec reſpici à deo omnino credis? Vides ne etiam à ſecreto illo, quo Dauid ſemel lapſus eſt, nequaquam dei oculos abfuiſſe? Vnde & tu qui, ad ſolatium arbitror peccatorum tuorum, conſiderari actus noſtros à deo non putas, ex hoc ipſo & aſpici te à Chriſto ſemper intellige, & puniendum forſitan propédiem eſſe cognoſce, quia etiam Dauid ſanctum uides unum errorem ſuum, nec ſecreto occultorum penetralium potuiſſe contegere, nec à præſentibus pœnis priuilegio ſaltem maiorum operum uindicare. Quid enim ait ad eum dominus? Tollam uxores tuas in conſpectu tuo, & gladius non recedet à domo tua uſque in ſempiternum. Vides quàm præſens accipiat tantus uir pro uno tantum errore iudicium: protinus culpam damnatio eſt ſecuta, & damnatio ſtatim puniens, nihil reſeruans, atque ilico cohercens reum, non in futurum differens reatum. Et ideo non dixit, quia feciſti hoc, uenturum iudicium dei ſenties, & futuro gehennæ igne torquebere: ſed præſentia, inquit, tormenta ſenties, atque imminentem iam ceruicibus tuis diuinæ ſeueritatis gladium ſuſtinebis. Et quid poſt hæc? agnoſcit ſcilicet reus culpam, humiliatur, compungitur, confitetur, luget, pœnitet: gemmas regias abdicat, crepantia auro textili indumenta deponit, purpura exuitur, diademate exoneratur, cultu & corde mutatur: totum

2. Reg. 11 (margin, beside "uinus: Vriam Etheum…")

regem

regem cum ornatibus ſuis abijcit: prouidum pœnitentem cum patrocinio ambitioſi ſqualoris aſſumit, ieiunio exigitur, ariditate ſiccatur, fletu effunditur, ſolitudine carceratur. Et tamen rex tanti nominis, ſanctitate maior quàm poteſtate, prærogatiuis meritorum antecedentium ſupereminens, cum tanto habitu ſupplicet non euadit. Et hic tantus tam grandis fructus pœnitentiæ eſt, quod æternis quidem piaculis non addicitur, ſed in præſenti tamen ueniam non meretur. Denique quid pœnitenti propheta ait? Quia blaſphemare feciſti inimicos nomen domini, propter uerbum hoc filius qui ex te natus eſt, morietur. Præter pœnam acerbæ orbitatis, etiam hunc addi pijſſimo patri intellectum ſummi ſupplicij deus uoluit, ut dilectiſſimo filio cauſa mortis pater ipſe exiſteret qui doleret, cum utique natum ex crimine puerum crimen ipſum occideret quod creaſſet. Hoc ergo primum eſt diuinæ animaduerſionis exordium. Primum utique, non ſolum: ſecuta nanque ærumnarum ingentium longa ſeries, atque à domo eius iugis admodum malorum continuatio non receſſit. Thamar amoris furore corrumpitur, Amon ab Abſolone iugulatur. Scelus quidem grande ab uno fratre committitur, ſed peius tamen ab alio uindicatur. Inter hæc pater Dauid facinore utriuſque punitur: duo filij peccant, ſed tres duorum ſcelere perduntur. In Thamar enim uirginitas amittitur, in Amone etiam Abſolonis perditio lugetur. Et quidem neſcias quem de filijs duobus tam bonus pater potiſſimum amiſerit, illum qui manu fratris occiſus eſt in hoc ſeculo, an illum qui ſua perijt in futuro. Iam uero hinc iuxta uerbum dei inæſtimabilis mali cumulus: inſidias diu pater à filio patitur, regno pellitur, & ne occidatur profugus abſcedit. Impurior neſcias an cruentior filius: quia interficere patrem non poteſt patricidio, fœdat inceſtu: & quidem inceſtu, præter inceſti nephas, per induſtriam accumulandi ſceleris elato: cum utique facinus, quod etiam ſecreta abominabile facerent, perſecutor parentis publice perpetraret: ſcilicet ut feraliſſimo crimine non pater tantum abſconſus deformaretur, cum oculi etiam totius orbis publico fœdarentur inceſtu. Iam ſi addenda eſt & ipſius fugæ facies, quale illud fuit, cum tantus & ex tanti nominis cunctis regibus altior, mundo maior, omnes admodum ſuos cum pauciſſimis ſuis fugeret, in comparatione dudum ſui egeſtuoſus, in comparatione ſui ſolus: fugiens cum metu, cum dedecore, cum luctu: operto, inquit ſcriptura, capite, & nudis pedibus incedens: ſuper iſtis, prioris ſtatus à ſe ipſo exulans, pœnæ iam poſt ſe uiuens: deiectus uſque in ſeruorum ſuorum uel quod graue eſt contumeliam, uel quod grauius miſericordiam, ut uel ſibi comparetur, uel maledicere publice non timeret. Ita dei iudicio à ſe alter effectus, ut ei quem timuerat totus orbis, unus in faciem inſultaret inimicus. Vbi ſunt qui à deo reſpici res humanas negant? Ecce quoties

Pœnitentiæ fructus — 2. Reg. 12 — 2. Reg. 13 — 2. Reg. 15

teſtes ſacri in perſona unius hominis non reſpexiſſe tantummodo deum, uerum etiam iudicaſſe docuerunt. Et cur hæc omnia? cur uniq́ꝫ, niſi ut intelli geremus eandem futuram ſemper in mundo cenſuram & cohertionẽ dei

Sancti etiã castigati quę fuiſſet, & ideo etiam ſanctos homines quodam iudicio dei legimus ca ſtigatos, ut iudicandos nos deo iudice etiam præſenti ſeculo noſceremus: quia ſicut deus ſemper eſt, ſic iuſtitia dei ſemper: ſicut omnipotentia domi ni indeficiens, ſic cenſura indeuitabilis: ſicut deus iure perpetuus, ſic iuſtitia perſeuerans: & ideo omnes admodum ſancti in libris ſacris inter diſcrimi num imminentium motus, & perſecutorum gladios, conſtituti, præſens iu

Pſal. 42 dicium dei poſtulant. Sic enim iuſtus dicit in Pſalmo: Iudica me deus, & di ſcerne cauſam meam de gente non ſancta. Quod ne ad futurum dei iudi cium trahi poſſit, ſubdit ſtatim: Ab homine iniquo & doloſo eripe me. Pręſens utique iudicium dei poſtulat, qui liberari ſe de manu perſecutoris im plorat. Et bene pro conſcientia bonæ cauſæ non tam ſuffragium domini quàm iudicium deprecatur, qui bonæ cauſæ ſemper optimum ſuffragium tribueret, ſi cum iuſtitia iudicaretur. Alibi quoque hoc euidentiſſime indi

& 34 cat, Iudica domine nocentes me, expugna impugnantes me. Apprehende arma & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi. Vides etiam hoc loco non futuri examinis ſeueritatem, ſed cenſuram præſentis iudicij poſtulari. Hoc eſt enim quod ait: Apprehende ſcutum, & corripe gladium, ſcutum ſcilicet ad protectionem, gladium ad ultionem. Non quia hoc iudicans deus ege at apparatu, ſed quia in hoc ſeculo hæc terribilium rerum nomina, terribi

Humanarũ rerum significationes lium iudiciorum ſunt inſtrumenta, ad humanam intelligentiam humana rum rerum ſignificationibus loquens, quia iudicari ac uindicari ſe de aduer ſarijs precabatur, per inſtrumenta terrenæ iſtius ultionis, iram diuinæ ani maduerſionis expreſſit. Denique alibi propheta idem, quid inter præſens & futurum iudicium dei eſſet, oſtẽdit. Quid enim de cenſura præſentis exa

Pſal. 9 minis dicit ad dominum? Sedes ſuper thronum qui iudicas æquitatem. Quid autem de futuro æternoq́ꝫ iudicio? Iudicabit, inquit, orbem terræ in

& 95 æquitate. Et iterum: Iudicabit populos cum iuſtitia: ipſis ſcilicet uerbis præ ſentis temporis & futuri, tempus iudicij utriuſque diſtinxit. Vt enim præ ſens iudicium oſtenderet, Iudicas poſuit: ut autem futurum diſtingueret à præſentibus; ſubiecit poſtea, Iudicabit. Hæc igitur de cura erga nos dei & gubernaculo & iudicio, ratione, exẽplis, teſtimonijs ſatis eſt probaſſe, ma xime quia etiam quæ poſt hoc ſecutura ſunt, ad ipſum omnia pertinebunt.

Nunc ſi à deo, cuius negocium agimus, uires ad agendum acce perimus, ea quę contra hæc ab aduerſarijs dici ſolent, & proferre ſimul & refutare tentabimus.

SALVIANI MASSYLIENSIS EPISCOPI DE VERO IVDICIO ET PROVIDENTIA DEI, LIBER TERTIVS.

BENE ſe res habet,iacta ſunt fundaméta operis pia mo/
litione cœpti,& diuini officij amore ſuſcepti.Et ideo non
ſunt ſolubili luto poſita, nec temporali lapide cōſtructa,
ſed ſacrarum expenſarū confectione ualida,& diuini ma
giſterij arte firmata . Quæ ut ipſe in Euangelio deus di/ *Matth.7*
cit,nec uentis poſſint furentibus cōcuti,nec alluuione flu/
minum ſubrui,nec pluuiarum infuſione diſſolui. Cum enim hoc opus ma/
nus quodammodo diuinorum uoluminum inſtruxerit , & cœleſtium ſcri/
pturarum compago ſolidarit, neceſſe eſt tam firma hæc per dominum Ie/
ſum Chriſtum eſſe quæ facta ſunt,quàm firma illa ſunt quæ fecerunt ædi/
ficium. Itaque hoc naturam ſtatus ſui de ſtirpe ſumet , & labefactari ſaluis
autoribus ſuis non poteſt . Sicut enim in terrenis ædificijs deijcere parietes *Simile*
nullus poteſt , niſi prius lapides & cementa deiecerit : ſic ædificium quod
ſtruximus diſſoluere nullus ualet,niſi id unde ſtructum & conſummatum,
ante diſſoluerit . Quod quia labefactari utique nequaquam poteſt , recte
etiam à nobis incolumitas ædificij præſumitur , cuius ſtatus ſubſidijs im/
mortalibus continetur.Quæritur itaq;,cū hæc ſint ita,ſi totum quod in hoc
mundo eſt,cura & gubernaculo , & iudicio dei agitur , cur melior multo ſit
barbarorum conditio quàm noſtra . Cur inter nos quoq; ipſos ſors bono/
rum durior quàm malorum,cur probi iaceant,improbi cōualeſcant, cur ini
quis uel maxime poteſtatibus uniuerſa ſuccumbant.Poſſum quidem ratio
nabiliter & ſatis conſtanter dicere: Neſcio ſecretum, & cōſilium diuinitatis
ignoro,ſufficit mihi ad cauſæ huius probationē dicti cœleſtis oraculū.De/
us à ſe, ut libellis ſuperioribus iam probauimus, omnia dicit aſpici, omnia
regi,omnia iudicari.Si ſcire uis quid tenendū ſit,habes literas ſacras:perfe/
cta ratio eſt hoc tenere quod legeris . Qua cauſa autē deus hæc de quibus
loqmur ita faciat, nolo à me requiras. Homo ſum, nō intelligo ſecreta dei, *Homo ſum*
inueſtigare non audeo,& ideo etiam attentare formido: quia & hoc ipſum *Sacrilega*
genus quaſi ſacrilegæ temeritatis eſt,ſi plus ſcire cupias quàm ſinaris:ſuffi/ *temeritas*
cit quod tibi deus à ſe agi ac diſpēſari cuncta teſtatur.Quid me interrogas
quare alter maior ſit,alter minor: alter miſer, alter beatus: alter fortis, alter
infirmus : qua cauſa quidem hæc deus faciat non intelligo, ſed ad pleniſſi/
mam rationem abunde ſufficit,quod à deo agi iſta demonſtro.Sicut enim
plus eſt deus,quàm omnis humana ratio: ſic plus mihi uideri debet quàm
ratio,quod à deo agi cuncta cognoſco . Nihil ergo in hac re opus eſt , no/
uum aliquid audire , ſatis ſit pro uniuerſis rationibus autor deus : nec licet
ut de his quæ diuino aguntur arbitrio,aliud dicas iuſtum, aliud iniuſtum:

quia

quia quicquid à deo agi uides atque conuinceris, neceſſe eſt plus quàm iu/
ſtum eſſe fatearis. Hæc ergo de gubernaculo dei atq; iudicio expeditiſſime
ac fortiſſime dici poſſunt. Neq; enim neceſſe eſt, ut argumentis à me pro/
betur, quod hoc ipſo quia à deo dicitur, comprobatur. Itaq; cũ legimus di/
ctum à deo, quia aſpiciat iugiter omnem terram, hoc ipſo probamus quod
aſpiciat, quod aſpicere ſe dicit. Cum legimus quod regat cuncta quæ fecit,
hoc ipſo approbamus quod regit, quia ſe regere teſtat᷑. Cũ legimus quod
præſenti iudicio uniuerſa diſpẽſet, hoc ipſo eſt euidẽs quod iudicat, quia ſe
Humana di/cta teſtibus egent iudicare confirmat. Alia enim omnia, id eſt humana dicta, argumentis &
teſtibus egent: dei autem ſermo ipſe ſibi teſtis eſt: quia neceſſe eſt quicquid
incorrupta ueritas loquitur, incorruptum ſit teſtimonium ueritatis. Sed ta/
men cum per ſcripturas ſacras ſcire nos quaſi de arcano animi & mẽtis ſuæ
quædã uoluerit deus noſter, quia ipſum quodãmodo ſcripturæ ſacræ ora/
culũ dei mens eſt, quicquid uel agnoſci per ſuos, uel prædicari deus uoluit,
non tacebo: unum quamuis prius quàm loqui ordiar: ſcire cupiam, cũ Chri
ſtianis mihi loquendum, an cum paganis ſit. Si enim cum Chriſtianis, pro
baturum me quod ago, eſſe non dubito. Si autem cũ paganis, probare con
temno: non quia deficiam in probatione, ſed quia profuturũ quod loquor
Prauus audi/tor eſſe deſpero. Infructuoſus quippe eſt & inanis labor, ubi nõ recipit proba/
tionem prauus auditor. Sed tamẽ quia eſſe nullum omnino arbitror Chri
ſtiani nominis hominem, qui non ſe Chriſtianũ uideri uelit: ego cũ Chri/
ſtiano agam. Quamuis enim quis impiæ ac paganicæ infidelitatis ſit, mihi
tamen ſatis eſt, à Chriſtiano probari q̃d dico. Cauſaris igit᷑, quid ſit iſtud,
quod Chriſtiani qui deum credimus, omnibus miſeriores ſumus. Sufficere
mihi ad reſpondendum hoc loco poterat, quod Apoſtolus ad eccleſias di/
1.Pet.4 cit: Nemo moueat᷑ in tribulatione, ipſi eñ ſcimus qui in hoc poſiti ſumus.
Rom.5 Et ideo cum in hoc poſitos nos eſſe Apoſtolus dicat, ut ærumnas, ut miſe/
rias, ut triſtitias perferamus: quid mirum eſt ſi mala cuncta perferimus, qui
ad toleranda uniuerſa militamus? Sed quia multi iſta nõ ſapiunt, & putãt
homines Chriſtianos hæc quaſi ſtipẽdia fidei ſuæ à deo capere debere, ut
quia ſint cunctis gentibus religioſiores, ſint cunctis etiam fortiores, acquie/
ſcamus opinioni eorum atq; ſententiæ. Sed uideamus quid ſit deum fideli
Deum fideli/ter credi ter credi. Qui enim tam magnam credulitatis & fidei mercedem in hoc ſe/
culo eſſe uolumus, qualis credulitas aut fides eſſe debeat, conſiderare debe/
mus. Quid eſt igitur credulitas aut fides? opinor hominem fideliter Chri/
Simile ſto credere, id eſt fidelem deo eſſe, hoc eſt fideliter dei mandata ſeruare. Si
cut enim ſerui hominum diuitũ aut procuratores, quibus uel ſupellectilis
copioſa uel cellaria opulenta creduntur, fideles abſq; dubio dici nõ queũt,
ſi res traditas deuorarẽt: ſic profecto etiam Chriſtiani homines fideles nõ
ſunt, ſi bona ſibi à deo aſſignata corrumperent. Quæritur forſitan, quæ ſunt
bona

bona quæ deus Chriſtianis hominibus aſſignet. quæ? niſi omnia per quæ *Bona Chriſti/*
credimus, id eſt per quæ omnia Chriſtiani ſumus. Primum ſcilicet legem, *anis attributa*
deinde prophetas, tertio Euangelium, quarto apoſtolicas lectiones. Poſtre
mum generationis nouæ munus, ſancti baptiſmatis gratiam, diuini chri/
ſmatis unctionem: ſcilicet ut ſicut apud Hebræos quondam, id eſt peculia/
rem ac propriam dei gẽtem, cum iudiciarius honor in poteſtatem regiam
deſcẽdiſſet, probatiſſimos ac electiſſimos uiros per primogenitum regum
uocauit in regnum: ſic omnes homines Chriſtiani cum poſt chriſma ec/
cleſiaſticum omnia dei mandata feciſſent, ad capiendũ laboris præmium
uocarentur ad cœlum. Cum ergo iſta ſint omnia per quæ fides conſtat, ui/
deamus quis tanta hæc fidei ſacramenta cuſtodiat, ut fidelis eſſe uideatur:
quia infidelis, ut diximus, ſit neceſſe eſt, qui fidei commiſſa non ſeruat. Et
quidem non quæro, ut cuncta faciat quæ teſtamenta duorum temporum
iubent, remitto cenſuram legis antiquæ, remitto has prophetarum minas,
etiam quæ omnino remitti non poſſunt, uel apoſtolicorum librorum ſeue/
riſſimam inſtitutionem, uel Euangelicorum uoluminum plenam omni per
fectionis genere doctrinam. Pauciſſimis ſaltem pręceptis dei quis obſequa *Dei præcepta*
tur interrogo, nec illa dico quæ ita multi refugiunt, ut penè execrentur: tan/ *uel minima*
tum apud nos honor & reuerentia dei proficit, ut quæ indeuotione non fa *neminem ob/*
cimus, etiam odio digna eſſe dicamus. Denique hoc quod ſaluator cogita/ *ſeruare*
re nos de craſtino prohibuit, quis audire dignatur? quod contentos ſingu/ *Matth. 10*
lis tunicis iubet eſſe, quis recipit? quod ambulare excalceatos præcipit, quis
non modo faciendum, ſed uel ferendum arbitratur? Itaq; & ego iſta præ/
tereo. In hoc enim fides per quam confidimus recidit, ut quæ dominus no
bis ſalutaria eſſe uoluit, nos ſuperflua iudicemus. Diligite, inquit ſaluator, *Matth. 5*
inimicos ueſtros, benefacite his qui uos oderunt, & orate pro perſequenti/
bus & calumniantibus uos. Quis hæc omnia facit, quis pro inimicis ſuis
orat, iſtaq; quæ deus iuſſit, non dico uotis, ſed uerbis ſaltem agere digna/
tur? Aut etiam ſi quis ſe cogit ut faciat, facit tamen ore, non mente. Præſtat
quidem uocis officium, ſed animi non mutat affectum: ac per hoc etiam ſi
pro aduerſario ſuo orare ſe cogit, loquitur, non precatur. Longum eſt de
ſingulis dicere, ſed adhuc tamen aliquid addam, ut intelligamus nos non
modo non omnibus dei obtemperare uerbis, ſed nullis penè illius obedire
mandatis. Et ideo Apoſtolus clamat: Nam qui ſe exiſtimat aliquid eſſe cũ *Gal. 6*
nihil ſit, ſe ipſum ſeducit. Hoc enim ad crimina noſtra addimus, ut cum in
omnibus rei ſimus, etiam bonos nos & ſanctos eſſe credamus, ac ſi in no/
bis cumulentur iniquitatis offenſę, etiam præſumptione iuſtitiæ. Qui odit, *1. Ioan. 3*
inquit Apoſtolus, fratrem ſuum, homicida eſt. Intelligere ergo poſſumus
multos eſſe homicidas qui ſe innoxios putant, quia ut uidemus homicidiũ
non ſola tantummodo occidentis manu, ſed etiam odientis animo perpe/

 tratur.

tratur. Vnde eſt quod ſaluator mandati huius normam cenſura adhuc ſe
Matth.5 ueriore cumulauit, dicēs: Qui iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa, reus erit iudicio.
Ira mater eſt odij. Et ideo ſaluatot excludere iram uoluit, ne ex ira odiū na
ſceretur. Si ergo non ſolum odium, ſed etiam ira nos uideri iudicio reos fa-
ciet, euidenter agnoſcimus, quod ſicut nullus omnino eſt immunis ab ira-
cundia, ſic nullus omnino immunis eſſe poterit à reatu. Proſequitur autem
dominus, quaſi fibras præcepti iſtius, & omnes penitus frutices ac ramuſcu
Ibidem los ſecans, ait: Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. Qui dixe-
Racha con rit fratri ſuo, racha, reus erit cōcilio. Racha quod genus ſit contumeliæ mul-
uicium ti neſciunt: fatuitas autem quàm iniurioſe obijciatur, optime norūt. Et ideo
ſcientia ſua potius homines quàm ignorantia utentes, malunt reatus ſuos
per id conuicium quod ſciunt, diuinis ignibus: quàm per id quod neſciunt,
humanis concilijs expiari. Quæ cum ita ſint, & cum hæc omnia quæ iuben-
tur à domino, non modo à nobis omnino non fiant, ſed penè in diuerſum
Lucæ 14 omnia fiant, quando maiora illa faciemus? Qui enim, inquit ſaluator, non
renunciauerit omnibus quæ poſſidet, nō poteſt meus eſſe diſcipulus. Et qui
1.Ioan.2 non tulerit crucem ſuam, & ſecutus me fuerit, non eſt me dignus. Et qui ſe
Chriſtianū dicit, debet quemadmodū Chriſtus ambulauit ſic & ipſe am-
bulare: quæ nō modo illos, qui uoluptates & pompas ſeculi ſequuntur, ſed
ne illos quidem implere certum eſt, qui ſecularis amoris ius derelinquunt.
Nam & qui renunciare diuitijs uidentur, nō ſic renunciant, ut penitus renū
Crucem ciaſſe uideantur. Et qui putantur crucem portare, ſic portant, ut plus habe-
portare ant in cruce dignitatis, quàm in paſſione ſupplicij. Et omnes tamen iſti, etiā
ſi aliquid horū bona fide implerēt, illud abſq; dubio nullus efficeret, ut per
uiam uitę iſtius ſic incederet, ſicut ſaluator inceſſit. Qui ſe enim, inquit Apo
ſtolus, dixit in Chriſto manere, debet quemadmodū Chriſtus ambulauit
ſic & ipſe ambulare. Sed dura quidam forſitan putant apoſtolorū eſſe præ
cepta. Dura planè exiſtimanda ſunt, ſi plus ab alijs officiorū exigūt, quàm
ſibi ſumunt. Porrò autem ſi multo minus cæteris imperatur quàm ſibi, nō
modo non graues magiſtri, ſed parentes indulgentiſſimi iudicādi ſunt, qui
onera quæ ceruicibus filiorum per amoris indulgentiam detrahūt, ſibi per
affectum religionis imponunt. Quid enim ab uno ex ipſis ad apoſtolos ec
Gal.4 cleſiaſticos dicitur? Filioli, inquit, mei quos iterū parturio donec formetur
1.Cor.11 Chriſtus in uobis. Et rurſum: Imitatores, inquit, mei eſtote ſicut & ego
Chriſti. Nobis hoc imperat, ut ſe imitemur: qui ſibi hoc impoſuerat, ut
Chriſti eſſet imitator. Et quod quidem ipſe Chriſtum imitatus ſit, nullum
dubium eſt: Chriſtus enim ſe pro nobis ſubdidit mundo, & ſe ipſe pro
Chriſto. Chriſtus pro nobis tedia & labores grauiſſimos pertulit, & ipſe
pro nobis & pro Chriſto. Chriſtus pro nobis contumelias paſſus eſt, &
hoc ipſe pto Chriſto: Chriſtus pro nobis paſſionem mortemq; tolerauit;

& hoc ipſe pro Chriſto. Et ideo non ſine cauſa meritorum ſuorũ cõſcius dicit: Certamen bonum certaui, fidem ſeruaui, de reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitię. Itaq; cum ille Chriſtum ſic imitatus ſit, uideamus quis noſtrũ Apoſtoli imitator appareat. Scribit enim de ſeipſo primũ, quod nulli unq̃ dederit offenſionem, ſed in omnibus exhibuerit ſe ſicut dei miniſtrũ, in patientia multa, in tribulationibus, in plagis, in carceribus, in lacerationibus. Et alibi dũ ſe alijs cõparat, ſic ait: In quo quis audet, in inſipientia dico, audeo & ego: ut minus ſapiens dico, plus ego, in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas una minus accepi. Ter uirgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragiũ feci. Sanè etſi de cæteris quas dicit uirtutibus apoſtolicis nihil facimus, in hoc tamen uno, ubi Apoſtolus ter naufragaſſe ſe dicit, etiam uincere poſſumus. Nõ eñ ter tantũmodo naufragauimus, quorũ penè omnis uita naufragiũ eſt. Intãtũ quippe uitioſe ab omnibus uiuit̃, ut propè nullus chriſtianorũ ſit, qui nõ iugiter naufragare uideatur. Sed dicit fortaſſe aliquis, nõ id eſſe nunc temporis, ut pro Chriſto perferamus, quæ tunc apoſtoli pertulerunt. Verũ eſt, non enim ſunt principes pagani, non tyranni perſecutores, non ſanguis ſanctorũ funditur, nec fides ſupplicijs comprobatur. Cõtentus deus noſter eſt, ut ei pax noſtra ſeruiat, ut ſola ei immaculatorum actuũ puritate & uitæ incontaminabilis ſanctitate placeamus. Quo plus ei fides & deuotio noſtra debet, quia minora à nobis exigit, & maiora conceſſit. Et ideo cũ & principes Chriſtiani ſint, & perſecutio nulla ſit, & religio non inquietetur, qui ad probandũ fidem experimentis durioribus nõ cõpellimur, inferioribus ſaltem officijs domino plus placere debemus. Probat enim etiã in maioribus, ſi res exigat, executorem ſe idoneum fore, à quo minora cõplentur. Dimittamus ergo illa quæ beatiſſimus Paulus pertulit, imò quæ in libris poſtea de religione conſcriptis omnes admodũ Chriſtianos legimus pertuliſſe: qui ad cœleſtis regiæ ianuã gradibus pœnarũ ſuarum aſcẽdẽtes, ſcalas ſibi quodammodo de eculeis cataſtisq; fecerunt. Videamus ſi in illis ſaltẽ religioſę deuotionis obſequijs, quæ minora atq; cõmunia in ſumma quiete & omni tempore omnes Chriſtiani obire poſſumus, præceptis dominicis reſpondere tentamus. Iubet Chriſtus ne litigemus. Quis iubenti obtemperat? Nec ſolum iubet, ſed in tantum hoc iubet, ut ea ipſa nos de quibus lis eſt relinquere iubeat, dũmodo litibus exuamur. Si quis enim, inquit, uoluerit tecũ iudicio cõtendere, & tunicam tuam tollere, relinque ei & pallium. Interrogo qui ſint qui ſpoliantibus aduerſarijs cedant, imò qui ſint qui aduerſarios ſuos non ſpoliare conentur. Tam procul enim abeſt, ut cũ tunicis etiam alia relinquamus, ut ſi quo modo poſſumus, palliũ ſimul aduerſarijs tunicaſq; tollamus. Tam deuote enim mandatis dominicis obedimus, ut non ſufficiat nobis, quod ad-

2.Tim.4 — *2.Cor.6* — *& 11* — *Naufragamus ubiq; nos Chriſtiani* — *Deus nunc minora à nobis exigit*

uerſarijs noſtris etiã minima ueſtimentorum noſtrorũ parte non cedimus, niſi eis quantũ in nobis eſt, ſi res ſinat, cuncta rapiamus. Iungitur autẽ præcepto huic par & cõſimile mandatũ, quo ait dominus: Qui percuſſerit te in dextrã maxillam, præbe ei & alterã. Quantos putamus eſſe, qui dicto huic uel aures modeſte præbeant, uel certe etiãſi id facere uidenẽt, animis acquieſcant? Aut quotus quiſq; eſt, qui ſi ictum unũ acceperit, nõ multos pro uno reddat? tantũ ab illo abeſt, ut cędenti maxillam præbeat, ut tum ſe uincere putet, nõ quando aduerſariũ uapulando, ſed quando cædẽdo ſuperauerit.

Matth. 5 Quæ uultis, inquit ſaluator, ut faciant uobis homines, eadẽ & uos facite illis ſimiliter. Huius ſententię partẽ tã bene nouimus, ut nunquã prætereamus: partem ſic prætermittimus, quaſi penitus neſciamus. Nã quid ab alijs præſtari nobis uelimus, optime nouimus: quid autẽ ipſi alijs debeamus præſtare, neſcimus. Atq; utinam neſciremus, minor eſſet ignorantiæ reatus, ſecundũ illud:

Lucæ 12 Qui neſcit uoluntatẽ domini ſui, uapulabit paucis: qui autẽ ſcit & non facit eam, uapulabit multis. Nũc autẽ maior in hoc offenſa eſt, quod partẽ ſententiæ ſacræ pro cõmodorũ noſtrorũ utilitate deligimus, partem pro dei iniuria prætermus. Exaggerat quoq; hoc dei uerbũ officio prędicationis ſuæ apoſtolus Paulus, dicens:

1. Cor. 10 Nemo quod ſuũ eſt quærat, ſed quod alterius. Et iterũ: Non quæ ſunt, inquit, ſinguli cogitantes, ſed ea quę aliorũ. Vides quàm fideliter præcepta Chriſti fuerit executus, ubi cum ſaluator ſic nos pro alijs ſicut pro nobis iuſſerit cogitare, ille plus aliorũ nos cõmodis iuſſit conſulere quàm noſtris: boni ſcilicet domini bonus famulus, & ſingularis magiſtri præclarus imitator, qui in ueſtigijs domini ſui ambulans, patentiora quodãmodo & expreſſiora pedibus ſuis fecit domini ſui eſſe ueſtigia.

Boni domini bonus famulus.

Quid ergo horũ facimus Chriſtiani, quod Chriſtus, an quod Apoſtolus iubet? Puto omnino, quod neutrũ. Tantũ abeſt, ut aliorũ cõmodis aliquid cũ propria incõmoditate præſtemus, ut omnes uel maxime noſtris cõmodis cũ aliorum incõmodo cõſulamus. Sed eligere forſan maiora quæq; uidemur quæ nullus impleat, & ut ipſi putant implere omnino nõ poſſint, & præterire alia, quæ & impleri queant, & ab omnibus impleãtur. Sed primum illud conſiderandũ eſt, quia nulli ſeruorũ licet, ex his quę dominus ſuus imperat eligere pro arbitrio, & inſolẽtiſſima abuſione quod placuerit aſſumere, quod diſplicuerit repudiare: maxime cũ & terreſtres domini nequaquã æquo animo tolerandũ putant, ſi iuſſiones ſuas ſerui ex parte audiant, & ex parte contemnant, & pro libidine ſua quæ putauerint facienda faciãt, quæ putauerint cõculcanda cõculcent. Si enim pro arbitrio ſuo ſerui dominis obtemperant, ne in ijs quidem in quibus obtemperauerint obſequuntur. Quando enim ſeruus ex domini ſui iuſſu ea facit tantũmodo quæ uult facere, iam non dominicam uoluntatem implet, ſed ſuam. Si ergo nos qui homunculi imbecilli ſumus, contemni tamen à ſeruis noſtris omnino nolumus.

Arguit à minori

mus.

mus: quos etſi nobis ſeruitutis conditio infirmiores, humana tamen ſors reddit æquales: quàm inique cœleſtem dominum contemnimus, qui cum homines ipſi ſimus, contemnendos nos tamen à noſtræ conditionis hominibus non putamus: niſi tanti fortaſſe conſilij ac tam profundæ intelligentiæ ſumus, ut qui pati iniurias ſeruorum nolumus, ſubditum iniurijs noſtris deum eſſe uelimus: & quæ ipſi toleratu humano indigna credimus, deum à nobis digne hæc tolerare credamus. At per hoc ſi qui ſunt, ut ad ſuperiora redeamus, qui de maioribus nos dei præceptis dicere exiſtiment, & minora reticere, ſuperflue queri intelligendi ſunt. Neque enim iuſta cauſatio eſt, cur præferantur aliqua, ubi facienda ſunt omnia. Sicut enim dominorum carnalium ſeruis eligere, ut iam dixi, omnino non licet, quæ ex præceptis ſeruilibus faciant, aut quæ non faciant, Sic nos qui ſerui noſtri domini ſumus, illicitum omnino exiſtimare debemus, ut uel illa quæ placent, pro animi oblectatione ſumamus, uel illa quæ diſplicent, pro ſuperbiæ abuſione calcemus. Sed acquieſcamus tamen ijs, qui ex præceptis dominicis idcirco forſitan nos uolunt maiora dicere, quia ſe putant minora complere: non quia ſufficiat ad ſalutem, ſi maioribus ſpretis minora faciamus, ſecundum illud: Quicunque totam legem ſeruauerit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus: ac per hoc licet nobis non ſufficiat parua ac minima quæque facere, acquieſco tamen ego minora dicere, ut oſtendam maximam Chriſtianorum omnium partem, ne exigua ſaltem ac minima feciſſe. Iuſſit ſaluator noſter, ut Chriſtiani non iurarent. Plures inuenies qui ſæpius periurent, quàm qui omnino non iurent. Iuſſit quoque, ut nemo malediceret. Cuius ſermo non maledictio eſt? Prima enim ſemper tela irarum maledicta ſunt, & quicquid non poſſumus imbecilli, optamus irati, ac ſic in omni animorum indignantium motu uotis malis pro armis utimur. Vnde unuſquiſque hominum euidentiſſime probat, quicquid fieri aduerſarijs ſuis optat, totum ſe uelle facere ſi poſſet. Sed uidelicet quia omnes hac improbitate linguarum facile utimur, qui iuſſis dominicis obtemperamus, idcirco etiam apud deum facile hoc putamus eſſe qui iuſſit, Maledici, inquit ſermo diuinus, regnum dei non poſſidebunt. Hinc ergo intelligere poſſumus quàm grauis ſit & pernicioſa maledictio, quando etiam ſi alia bona adfuerint, ſola excludit à cœlo. Inuidiam iuſſit procul eſſe à nobis: at nos econtra, non extraneis tantum, ſed etiam proximis inuidemus. Nec ſolum inimicos, ſed etiam amicos liuore perfundimus, adeo propè in omnium ſenſu hoc malum regnat, adeo eſuriendi libido terminum habet, detrahendi libido terminum non habet. Nam ſæpe admodum cibo, nũquam detractione ſaturamur. Sed forſitan leuis pœna iſtius labis eſt, Detrahens, inquit ſcriptura ſacra, eradicabitur. Grauis profecto & tremenda animaduerſio, ſed tamen nulla correctio dura: modo enim

Iniuſta cauſatio (margin, beside "Neque enim iuſta cauſatio")

Iaco. 2 (margin, beside "offendat autem in uno")

Ephe. 5, *1. Cor. 6* (margin, beside "Maledici, inquit ſermo diuinus")

Rom. 1 (margin, beside "Detrahens, inquit ſcriptura ſacra")

ūnuſquiſq; hominum alium lacerare non deſinat, tanti putat ut etiam ſibi ipſe non parcat: ſed digna plane mali iſtius retributio eſt, quæ ſolum perſequitur autorem: illi enim nihil nocet penitus cui detrahit, tantūmodo illum punit à cuius ore procedit. Sed delirare, opinor, uidemur iſta repetendo, & fero ut nos delirare uideamur. Nunquid delirauit dominus, qui præcepit, Omnis enim, inquit per Apoſtolum ſuum, clamor auferatur à uobis cum omni malitia? Vtrunq; quidem hoc in nobis iugiter perſeuerat, ſed tamen magis malitia quàm clamor. Clamor quippe non ſemper eſt in oribus noſtris, malitia autē ſemper in cordibus noſtris: ac per hoc puto quod etiam ſi in nobis clamor deſineret, tamen malitia permaneret. Sine murmuratione quoq; & querela nos deus noſter eſſe præcepit. Quando hæc in humano genere non fuerunt? Si æſtus eſt, de caliditate cauſamur: ſi pluuia, de inundatione cōquerimur. Si infœcundior annus eſt, accuſamus ſterilitatem: ſi fœcundior, uilitatem: adipiſci abūdatiam cupimus, & eandem adepti accuſamus. Quid dici hac re improbius, quid contumelioſius poteſt? etiam in hoc de miſericordia dei querimur, quia tribuat quod rogamus. Abeſſe à ſeruis ſuis omne omnino, etiam oculorum, ſcādalum deus pręcepit. Et ideo ſi quis, inquit, uiderit mulierem ad cōcupiſcendum, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Hinc intelligere plene poſſumus, quàm caſtos nos eſſe ſaluator iuſſerit, qui etiam licentiam uiſionis abſcidit. Sciens enim feneſtras quodammodo eſſe noſtrarum mentium, lumen oculorum, & omnes improbas cupiditates in cor per oculos, quaſi per naturales cuniculos, introire: extinguere eas penitus foris uoluit, ne intus orirentur, & letaliter creſcentibus fibris conualeſcerent fortaſſe in animo, ſi germinaſſent in uiſu. Idcirco itaq; ait dominus, petulcos impudicorum hominum intuitus noxia adulterij nō carere, ſcilicet ut qui bona fide fugeret adulterium, cuſtodiret aſpectum. Perfectæ ſiquidem ac ſynceriſſimæ ſanctitatis uolens cultores ſuos facere ſaluator, iuſſit ab ijs cautiſſime etiā minima uitari: & ut quàm pura eſt pupilla oculi, tam pura eſſet Chriſtiani hominis uita: & ſicut ſalua intuitus incolumitate, pulueris labem in ſe oculus non reciperet: ſic uita noſtra labem in ſe penitus impudicitiæ non haberet. Vnde eſt illud etiam quod in ſequentibus ait dominus: Si ſcandalizat te oculus tuus, erue eum. Et ſi ſcandalizat te manus tua, abſcinde eam. Expedit tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Si igitur iuxta dei uerbum in gehennam ſcandalis trahimur, recte profecto ut gehennam uitare poſſimus, etiam manibus noſtris oculiſq; multamur: non quod membris ſuis quis priuare ſe debeat: ſed quia tam neceſſariæ nobis ſunt quædam domeſticorum obſequiorum neceſſitudines, ut his quaſi oculis, interdum autem quaſi manibus utamur, recte nobis præſentium miniſteriorū officia ſubtrahimus, ne ęterni ignis tormenta patiamur. Vbi enim de mini-

Inuidia ſolum autorem perſequitur · *Ephe. 4* · *Phil. 2* · *Math. 5* · *Oculi feneſtra* · *Minima etiā uitanda* · *Mar. 9*

de miniſterio agitur, & uita, rectius profecto Chriſtiano eſt, miniſterio carere, quàm uita. Itaq; cũ in omnibus his quæ diximus, obedire nos ſibi dominus noſter iuſſerit, ubi ſunt qui aut in uniuerſis mandatis deo, aut certe uel in pauciſſimis obſequantur? ubi ſunt qui aut inimicos diligant, aut perſequentibus benefaciant, aut malos in bono uincant, qui maxillas cędentibus præbeant, qui ſpoliantibus res ſuas ſine lite concedant? Quis eſt apud quem delectationi penitus nihil liceat, qui cõuitio ſuo neminem lædat, qui ſilentio os coherceat, ne in amaritudinem maledictionis erumpat, quis eſt qui faciat hæc minima? ut non dicã illa, de quibus diximus paulo ante, maiora. Quæ cum ita ſint, & cum à nobis nil penitus dominicæ iuſſionis fiat, quid eſt quod nos queramur de deo, cum queri magis deus de omnibus poſſit. Quæ ratio eſt ut doleamus nos nõ audiri à deo, cum ipſi deum non audiamus: & ſuſurremus non reſpici à deo terras, cum ipſi non reſpiciamus ad cœlum: & moleſtum ſit deſpici à domino preces noſtras, cum præcepta eius deſpiciantur à nobis. Fac nos pares domino noſtro, quis eſt iuſtæ querimoniæ locus, hoc pati quenquam quod fecerit? ſaluo eo quod probare facile poſſum, nequaquã nos pati illa quę facimus, & mitius multo nobiſcum deum agere, quàm nos cum deo. Sed interim tamen hac agamus lege qua cœpimus. Sic enim etiam ipſe dominus dicit: Clamaui ad uos, & non audiſtis me, & uos clamabitis ad me, & non exaudiam uos. Quid enim dignius aut quid iuſtius? non audiuimus, non audimur: non reſpeximus, non reſpicimur. Quis rogo ex carnalibus dominis hac cum ſuis lege agere cõtentus eſt, ut contemnat tantummodo ſeruos ſuos, qui fuerat ab eis ipſe contemptus? quanquam nos non hac ſolum iniuria contemnamus deum, qua contemni à ſeruis ſuis curiales ſolent, quia ſeruorum hic contemptus eſt maximus, ſi nõ faciant quod iubetur. Porrò autem nos omni ſtudio, omni niſu, non ſolũ iuſſa non facimus, ſed cõtra id facimus quod iubemur. Iubet enim deus, ut omnes nobis inuicem chari ſimus, omnes autem nos mutua infeſtatione laceramus. Iubet deus, ut cuncti egentibus ſua tribuant, cuncti admodum aliena peruadũt. Iubet deus, ut omnis qui Chriſtianus eſt etiam oculos caſtos habeat: quotus quiſque eſt, qui non ſe luto fornicationis inuoluat: & quid plura? graue & luctuoſum eſt, quod dicturus ſum. Ipſa dei eccleſia, quæ in omnibus debet eſſe placatrix dei, quid eſt aliud quàm exacerbatrix dei? aut præter pauciſſimos quoſdam, qui mala fugiunt, quid eſt aliud penè omnis cœtus Chriſtianorum, quàm ſentina uitiorum? Quotum enim quenque inuenies in eccleſia non aut ebrioſum, aut helluonem, aut adulterum, aut fornicatorem, aut raptorem, aut ganeonem, aut latronem, aut homicidam? & quod omnibus peius eſt, propè hæc cuncta ſine fine. Interrogo enim Chriſtianorum omnium conſcientiam, ex his uel flagitijs, uel ſceleribus quæ nunc diximus, quotus quiſque ho-

Prouerb. 1
Mich. 3
Pſal. 17

Eccleſia dei exacerbatrix

minum non aliquid eſt eorum ? aut quotuſquiſque non totum ? facilius quippe inuenias qui totum ſit,quàm qui nihil. Et quod diximus nihil, nimis forſitan grauis uideatur eſſe cenſuræ. Plus multo dicam, facilius inuenias reos malorum omnium,quàm non omnium: facilius maiorum criminum, quàm minimorum: id eſt facilius qui & maiora crimina cum minoribus,quàm qui minora tantum ſine maioribus perpetrarint. In hanc enim probroſitatem morum propè omnis eccleſiæ plebs redacta eſt, ut in cuncto populo Chriſtiano genus quodammodo ſanctitatis ſit, minus eſſe uitioſum. Itaque eccleſias, uel potius templa atque altaria dei minoris reuerentiæ quidam habent, quàm cuiuslibet minimi ac municipalis iudicij domum. Siquidem intra ianuas non modo illuſtrium portarum, ſed etiam præſidum aut præpoſitorum, non omnes paſſim intrare præſumunt, niſi quos aut iudex uocauerit, aut negocium traxerit, aut ipſa honoris proprij dignitas introire permiſerit: ita ut ſi quiſpiam ingreſſus inſolenter fuerit, aut cædatur, aut propellatur, aut aliqua uerecundia atque exiſtimationis ſuæ labe mulctetur. In templa autem, uel potius in altaria atque in ſacraria dei, paſſim omnes ſordidi ac flagitioſi ſine ulla penitus reuerentia ſacri honoris irrumpunt: non quia non omnes ad exorandum deum currere debeant, ſed quia qui ingreditur ad placandum, non debet egredi ad exacerbandum. Neque eiuſdem officij eſt, indulgentiam poſcere, & iracundiam prouocare. Nouum ſiquidem monſtri genus eſt, eadem penè omnes iugiter faciunt, quæ feciſſe ſe plangunt. Et qui intrant eccleſiaſticam domum, ut mala antiqua defleant, exeunt, & quid dico exeunt, in ipſis penè hæc orationibus ſuis ac ſupplicationibus moliuntur. Aliud quippe ora hominum, aliud corda agunt: & dum uerbis præterita mala plangunt, ſenſu futura meditantur: ac ſic oratio eorum rixa eſt magis criminum, quàm exoratrix, ut uere illa in eis ſcripturæ maledictio cõpleatur, ut de oratione ipſa exeant condemnati, & oratio eorum fiat in peccatum. Denique ſi uult quiſpiam ſcire quid in templo huiuſmodi homines cogitauerint, uideat quid ſequatur. Siquidem conſummatis ſolennibus ſacris, ſtatim ad conſuetudinaria omnium ſtudia diſcurrunt, alij ſcilicet ut furentur, alij ut inebrientur, alij ut fornicentur, alij ut latrocinentur: ut euidenter appareat hoc eos eſſe meditatos, dum intra templum ſunt, quod poſtquàm egreſſi fuerint exequuntur. Sed uidelicet hæc cuncta mala, & omnium uitiorum probroſitatem, quam ſupra dixi, ad ſeruos fortaſſe quidam & ad abiectiſſimos quoſque homines referendam putant: cæterum nomen ingenuum hac flagitiorum labe non pollui. Quid autem aliud eſt cunctorum negociantium uita, quàm fraus atque periurium? Quid aliud eſt curialium, quàm iniquitas? Quid aliud officialium, quàm calumnia? Quid aliud militantium, quàm rapina? Sed putas forſitan, quod hoc etiam de perſonis iſtiuſmodi fieri poſſit.

Templorum contemptus

Nouum monſtri genus

Vitia ad ſeruos relegata.

Negociatores

poſſit. Hic eſt, inquis enim, eorum actus quæ & profeſſio, ac per hoc nihil mirum eſt, ſi agunt quod profitentur: quaſi uero aut agere ullum deus res malas uelit aut profiteri, aut nulla ſit penitus ſacræ maieſtatis offenſa, ſi maximum ſcelus minores uideantur agere perſonæ: præſertim cum in hac hominum multitudine quo maior eſt peccantium turba, eo maior eſt diuinitatis iniuria. Sed omnis, inquis, nobilitas ab his ſceleribus immunis eſt. Parum eſt id quidem, quia non aliud uidetur nobilitas in toto mundo, quàm unus homo in grandi populo. Sed uideamus tamen ſi uel ipſum parum ſit carens crimine: ac primum conſideremus quid de huiuſmodi hominibus ſermo dicat diuinus. Arguens quippe Apoſtolus dei populum, ſic ait: Audite fratres mei dilectiſſimi: Nónne deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni quod promiſit deus diligentibus ſe? uos autem exhonoraſtis pauperem. Nónne diuites per potentiam opprimunt uos, nónne ipſi blaſphemant bonum nomen quod inuocatum eſt ſuper nos? Grande hoc teſtimonium Apoſtoli eſt, niſi forte immunes ſe ab eo nobiles putẽt, quia ſunt ſoli diuites nominati. Sed aut ijdem ſunt nobiles, qui & diuites: aut ſi ſunt diuites præter nobiles, ſunt tamẽ & ipſi quaſi iam nobiles: quia tanta eſt miſeria huius temporis, ut nullus habeatur magis nobilis, quàm qui eſt plurimum diues. Sed ſiue de alterutris, ſiue de utriſque Apoſtolus dixerit, facile de hoc componi poteſt. Non enim intereſt de qua hoc potiſſimum parte dictum ſit, quod utrique certum eſt conuenire. Quis enim eſt uel nobilium omnino, uel diuitum, horrens crimina? quamuis in hoc feſellerim. Multi enim horrent, ſed pauciſſimi euitant. In alijs quippe horrent, quod in ſe admittunt, mirum immodum & accuſatores eorundem criminum & excuſatores. Execrantur publice, quod occulte agunt: ac per hoc damnare ſe cæteros putant, ipſos ſe magis propria animaduerſione condemnant. Sed relinquamus iſtos, qui magis rei ſunt. Quis eſt omnino diues uel nobilis, aut innocentiam ſeruans, aut à cunctis ſceleribus manus abſtinens? quanquam ſuperflue à cunctis dixerim. Vtinam uel à maximis, quia uolunt ſibi id forte quaſi maiores priuilegium dicare, ut iure ſuo crimina uel minora committant. Itaque de peccatis faciliorib⁹ nihil dico. Videamus an à duobus illis quaſi capitalibus malis ullus immunis ſit, id eſt uel ab homicidio, uel à ſtupro. Quis enim eſt aut humano ſanguine nõ cruentus, aut cœnoſa impuritate non ſordidus? unum quidem ex his ad pœnam æternam ſufficit, ſed propè nullus diuitum non utrunque commiſit. Sed cogitat forte aliquis de hoc numero: Ego iam iſta non facio. Laudo ſi non facis, ſed tamen ante feciſti, & non eſt nunquam omnino feciſſe, facere ceſſaſſe. Quod ſi ita eſſet, quid prodeſſet tamen unũ à ſcelere deſiſtere, & multos in ſceleribus permanere? Non ſanat unius conuerſio crimina plurimorum: nec ſufficit ad placandum deum, quod unus

Nobilitas

Iaco. 2

Nullus habetur nobilis, niſi qui diues

unus peccata deſerit, quẽ uniuerſitas totius humani generis offendit: præ-
ſertim cũ is qui cõuertatur ut mortem æternã poſſit euadere, magnos pro-
fecto cõuerſionis ſuæ fructus capiat ſi euadat, nedum contingere ei poſſit,
ut ab alijs pœnam damnationis auertat: quia & hoc intolerabilis ſuperbiæ
atq; immanis piaculi eſt crimen, ſi tam bonũ ſe aliquis eſſe credat, ut etiam
malos exiſtimet per ſe poſſe ſaluari. Loquẽs deus de terra quadã, uel de po-
Ezech.14 pulo peccatore, ſic dicit: Si fuerint tres uiri iſti in medio eius, Noë, & Dani-
el, & Iob, nõ liberabunt filios & filias, ipſi ſoli ſalui erunt. Neminẽ reor tam
impudentem fore, qui ſe his talibus uiris audeat cõparare: quia quãuis nũc
placere aliquis deo ſtudeat, hoc ipſum tamen genus maximę iniuſtitię eſt,
Innumeros ſi ſe iuſtũ præſumat: ac per hoc ſublata eſt omnis ſpes falſæ opinionis, qua
perditos non credimus innumerã perditorũ hominũ multitudinẽ ſuffragio paucorũ bo-
poſſe ſuffra- norum à pręſentibus malis poſſe defendi. Cũ enim nullus ipſis quos ſupra
gijs paucorũ bonorũ suble- diximus par ſit, quæ eſſe ſpes illis poteſt, quod liberari & extranei, & innu-
uari meri, & mali à pauciſſimis bonis poſſint? cũ illi familiariſſimi deo ſancti nę
hoc quidẽ à domino promeruerũt, ut in filijs ſuis uel membra ſoluerent: &
Filij membra rectè. Nam licet omnes admodũ filij mẽbra parentũ eſſe uideantur, nõ pu-
parentum tandi tamen ſunt membra eorũ eſſe à quibus affectu cœperint diſcrepare:
quia morũ degenerantiũ prauitate pereũt in talibus beneficia naturę. Quo
Chriſtianorũ fit ut etiã nos qui nos Chriſtianos eſſe diximus, perdamus uim tanti nomi-
nomen nis, uitio prauitatis. Omnino enim nihil prodeſt nomẽ ſanctũ habere ſine
moribus: quia uita à profeſſione diſcordans, abrogat illuſtris tituli honorẽ,
per indignorũ actuũ uilitatẽ. Vnde cũ penè nullã Chriſtianorũ omniũ par-
tẽ, penè nullũ eccleſiarũ omniũ angulũ nõ plenũ omni offenſione, & omni
letaliũ peccatorum labe uideamus: quid eſt in quo nobis de Chriſtiano no-
mine blandiamur? Cum utiq; hoc ipſo magis per nomẽ ſacratiſſimum rei
ſimus, quia à ſancto nomine diſcrepamus. Nam & ideo plus ſub religionis
titulo deum lędimus, quia poſiti in religione peccamus.

SALVIANI MASSYLIENSIS EPISCOPI DE VERO IVDICIO ET PROVIDENTIA DEI, LIBER QVARTVS.

Chriſtiani qui DISCEDATVR itaq; ab illa, quã ſupra diximus, Chri-
ſtiani nominis prærogatiua, ut putemus quia ſumus cun-
ctis gẽtibus religioſiores, debere nos eſſe fortiores. Nam
cum, ut diximus, hæc ſit hominis Chriſtiani fides, fideli-
ter Chriſti mãdata ſeruare: fit abſq; dubio, ut nec fidem
habeat qui infidelis eſt: nec Chriſtum credat, qui Chriſti
mandata cõculcat: & aperte hoc totũ in id reuoluit, ut qui Chriſtiani nomi-
nis opus non agit, Chriſtianus nõ eſſe uideat. Nomen enim ſine actu atq;
officio

officio ſuo nihil eſt. Nam ſicut ait quidam in ſcriptis ſuis: Quid eſt aliud
principatus ſine meritorum ſublimitate, niſi honoris titulus ſine homine?
Aut quid eſt dignitas in indigno, niſi ornamentum in luto? Itaqꝫ ut iiſdem
uerbis etiam nos utamur, quid eſt aliud ſanctum uocabulum ſine merito,
niſi ornamentum in luto? Sicut etiam per diuinas literas ſacer ſermo teſta-
tus eſt, dicẽs: Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra & fatua. Et in *Prouer.11*
nobis itaqꝫ Chriſtianum uocabulum, quaſi aureum decus eſt: quo ſi indi-
gne utimur, fit ut ſues cum ornamento eſſe uideamur. Denicꝫ qui uult ple- *Vocabula ni-*
nius ſcire, uocabula nihil eſſe ſine rebus, reſpiciat quomodo innumerabiles *hil ſunt ſine*
populi ceſſantibus meritis etiam nomina perdiderũt. Duodecim Hebræo *rebus*
rum tribus cum electæ quondam à deo eſſent, duo nomina ſacroſancta ac
ceperunt: populus enim dei, & Iſraël appellatæ ſunt. Sic quippe legimus:
Audi populus meus, & loquar: Iſraël, & teſtificabor tibi. Ergo Iudæi ali- *Eſa.1*
quando utrunque, nunc neutrum. Nam nec populus dei dici poteſt, qui
cultum dei iam olim reliquit: nec uidens deum, qui dei filium denegauit, ſi-
cut ſcriptum eſt: Iſraël uero non me cognouit, & populus me non intelle-
xit. Propter quod alibi etiam deus noſter de Iudæorum plebe loquitur ad
prophetam, dicens: Voca nomen eius non dilecta. Et iterum ad Iudæos *Oſee 1*
ipſos: Vos non eſtis populus meus, & ego non ſum deus ueſter. Cur au-
tem hoc de eis ipſe diceret, ipſe alibi euidenter oſtendit. Sic quippe ait: De- *Hiere.2*
reliquerunt uenam aquarum uiuentium dominum. Et iterum: Verbum, in *& 8*
quit, domini proiecerunt, & ſapientia nulla eſt in illis. Quod quidem ti-
meo ne non magis tunc de eis dici potuerit, quàm de nobis nunc dici poſ-
ſit: quia nec uerbis dominicis obtemperamus, & qui uerbis domini non ob
ſequimur, ſapientiam profectò in nobis penitus non habemus: niſi fortaſ-
ſe credimus, ſapiẽter nos deum ſpernere. Et hoc ipſum quod Chriſti man-
data contemnimus, ſummam prudentiam iudicamus. Et quidem cauſa eſt
cur hoc ita exiſtimare credamur. Nam tanto cõſenſu omnes peccata ſequi-
mur, quaſi ſummi conſilij cõſpiratione peccemus. Quæ cũ ita ſint, quæ ratio
eſt, ut ipſi nos falſa opinione fallamus, exiſtimantes ſcilicet quia Chriſtiani *Ipſi nos falſa*
eſſe dicamur, quod opitulari nobis inter mala quæ agimus nomen bonum *opinione falli*
poſſit, cũ ſpiritus ſanctus nec fidem quidẽ dicat hominibus Chriſtianis ſi- *mus*
ne operibus bonis poſſe prodeſſe: & uticꝫ multo plus eſt habere fidem q̃
nomen: quia nomen eſt uocabulum hominis, fides autem fructus eſt men *Plus eſt habe*
tis. Et tamen hunc ipſum fidei fructum infructuoſum Apoſtolus ſine ope- *re fidẽ quàm*
ribus bonis eſſe teſtat̃, dicẽs: Fides ſine operibus mortua eſt. Et iterũ: Sicut *nomen*
enim corpus ſine ſpiritu, ſic fides ſine operibus mortua eſt: addit quoque *Iaco.2*
aſperiora quædam ad cõfundẽdos eos, qui ſibi præſumptione Chriſtianæ
fidei blãdiunt̃. Sed dicet aliquis: Tu fidẽ habes, & ego opera habeo. Oſtẽ
de mihi ſine operibus fidẽ tuã, & ego oſtendã tibi ex operibus fidẽ meam.

Quo

Quo utique hoc indicat, actus bonos, Chriſtianæ fidei quaſi teſtes eſſe; quia Chriſtianus niſi opera bona fecerit, fidem ſuam penitus approbare non poſſit:ac per hoc quod probare non ualeat quia ſit, ſic omnino habendum eſſe quaſi non ſit. Nam quod pro nullo hoc habendum exiſtimaret, *Iaco.2* in ſubditis ſtatim ipſe demonſtrat,dicens ad Chriſtianum:Tu credis quia unus eſt deus,bene facis,& dæmones credunt & cõtremiſcunt. Conſideremus quid uoluerit hoc loco Apoſtolus dicere,ne iraſcamur diuinis teſtimonijs,ſed acquieſcamus:ne cõtradicamus,ſed proficiamus.Tu credis, inquit ad Chriſtianum ſermo diuinus, quod deus unus eſt, bene facis, & dæmones credunt,& cõtremiſcunt.Nũquid errauit Apoſtolus,ut hominis Chriſtiani fidem dæmoni cõpararet? nõ utiq;, ſed oſtendere illud uolens quod ſupradictum eſt: quia ſine operibus bonis nihil ſibi per fidei ſuperciliũ deberet.Idcirco autem à dæmonibus deum credi, ſcilicet ut ſicut dæmones cũ deum credũt, tamen in peruerſitate perdurent:ita & quoſdã homines qua*Credulitas demoniaca* ſi credulitatem dæmonicam habere,qui cum ſe deũ credere aſſerãt, tamen à malo opere non ceſſant. Subiungit autem ad pudorem & condemnationem horum peccatorũ, non credere ſolum dæmones dei nomen,ſed etiam timere & cõtremiſcere:hoc eſt dicere. Quid tibi blandiris ô homo quiſquis es,credulitate,quæ ſine timore atq; obſequio dei nulla eſt? aliquid plus dæmones habent.Tu enim unam rem habes tantummodo,illi duas. Tu credulitatem habes,non habes timorem: illi credulitatem habent pariter & timorem.Quid miraris ergo ſi cædimur, quid miraris ergo ſi caſtigamur, ſi in ius hoſtiũ tradimur,ſi infirmiores omnibus ſumus? ſiue miſeriæ noſtræ, ſiue infirmitates, ſiue euerſiones, ſiue captiuitates, & penè improbæ ſeruitutes,teſtimonia ſunt mali ſerui & boni dei. Quomodo mali ſerui? quia patior ſcilicet uel ex parte quod mereor. Quomodo boni dei? quia oſtendit quid mereamur: etſi non irrogat quæ mereamur,demẽtiſſima enim ac benigniſſima caſtigatione mauult nos corrigere quàm perire. Nos ſiquidem quantum ad crimina noſtra pertinet, letalibus ſupplicijs digni ſumus: ſed ille plus miſericordiæ quàm ſeueritati tribuens, maluit nos clementis cenſuræ temperamento emendare, quàm plaga iuſtæ cohertionis occidere. Ingratũ nobis eſſe quod cędimur, ſatis certus ſum.Sed quid miramur,ſi peccantes nos deus uerberat,cum ipſi peccantes ſeruulos uerberemus? Iniuſti iudices ſumus:homunculos nos flagellari à deo nolumus,cum ipſi cõditionis noſtræ homines flagellamus.Sed nec miror,quod tam iniqui in hac rę ſumus,natura in nobis & nequitia ſeruilis eſt:uolumus delinquere & nolumus uerberari,ipſi in nobis mores ſunt cũ ſeruulis noſtris,omnes uolumus impune peccare.Deniq; ſi mentior,cunctos conſulo.Nego ullum eſſe quãtumlibet magni criminis reum, qui ſe acquieſcat debere torqueri. Hinc ergo cognoſci poteſt,quàm iniqui & praui ſumus:alijs ſeueriſſimi ſumus,no-

bis

bis indulgentiſſimi: alijs aſperi,nobis remiſſi. In eodem crimine punimus
alios,nos abſoluimus. Intolerabilis prorſus & contumaciæ,& præſumptio/
nis,nec agnoſcere uolumus in nobis reatum, & audemus de alijs uſurpare
iudiciū. Quid eſſe iniuſtius nobis, aut quid peruerſius poteſt? Id ipſum ſce
lus in nobis probabile eſſe ducimus, quod in alijs ſeueriſſime uindicamus.
Et ideo non ſine cauſa ad nos Apoſtolus clamat: Propter quod inexcuſabi *Rom. 2*
lis es ô homo omnis qui iudicas. In quo enim alium iudicas, te ipſum con/
demnas. Eadem enim agis quæ iudicas. Sed non eadem, inquit aliquis ex
diuitibus,nos agimus quæ ſerui. Ex ſeruis enim fures ac fugitiui ſunt, ex ſer *In diuites*
uis enim gulæ ac iugiter uentri ſeruientes. Verum eſt eſſe hęc uitia ſeruorū,
ſed plura tamen ſunt ac maiora dominorum,quamuis non omnium. Exci/
piendi quidam enim ſunt,ſed pauciſſimi: quos ideo nō nomino,ne nō tam
eos nominando laudare, quàm alios nō nominando uidear publicare. Ac
primum ſerui ſi fures ſunt,ad furandū forſitan egeſtate coguntur: quia etiā *Serui defen/*
ſi eis ſtipendia uſitata præſtentur,conſuetudini hæc magis quàm ſufficien/ *duntur*
tiæ ſatisfaciunt: & ita implent canonem, quod non explent ſatietatem. Ac b
per hoc culpam ipſam inopia minus culpabilem facit,quia excuſabilis fur/
ti reus eſt,qui ad furtum cogi uidetur inuitus. Nam & ſcriptura eccleſiaſti/ *Seruorum*
ca quaſi ſubexcuſare quodāmodo miſerorum omnium noxas uidetur, di/ *furta*
cens: Non grandis eſt culpæ,cum quis furatus fuerit,furatur enim ut eſuri/ *Prouerb. 6*
entem impleat animam. In Salomone furatur, ut expleat animam ſuā: ac
per hoc non ſatis à nobis accuſandi ſunt, qui diuino ſermone excuſantur.
Quod autem de furtis ſeruorum dicimus,hoc etiam de fuga: immo hoc re/ *Seruorum*
ctius de fuga,quia ad fugam ſeruos non miſeriæ tantum,ſed etiam ſuppli/ *fuga*
cia compellunt. Pauent quippe actores,pauent ſilentiarios, pauent procu/
ratores,propè ut inter iſtos omnes nullorum minus ſerui ſint,quàm domi/
norum ſuorum: ab omnibus cæduntur,ab omnibus conteruntur. Quid am
plius dici poteſt? multi ſeruorum ad dominos ſuos fugiunt, dum cōſeruos
timent. Vnde illorum fugam nō tam ad eos debemus referre qui fugiunt,
quàm ad eos qui fugere compellunt. Vim patiuntur infeliciſſimi,famulari
optant,& fugere coguntur: diſcedere à ſeruitio dominorum ſuorum omni/
no nolunt,& conſeruorum ſuorum crudelitate non permittuntur ut ſeruiāt.
Mendaces quoq; eſſe dicuntur. Ad mendaciū nihilo minus atrocitate pręs/ *Seruorum*
ſentis ſupplicij coartantur. Siquidem dū tormentis ſe uolunt eximere, men *mendacia*
tiuntur. Quid autem mirum eſt, ſi poſitus in metu ſeruus mētiri mauult q̃
flagellari? Accuſantur etiam gulæ & uentris auidi: nec hoc nouum eſt, ma/
gis deſiderat ſatietatem,qui famem ſæpe tolerauit. Sed eſto, non perferat
famem panis: certe perfert delitiarum,& ideo ignoſcendū eſt, ſi auidius ex/
petit quod ei uel iugiter deerat. Tu uero nobilis,tu uero diues,qui omnibus *In nobiles & diuites*
bonis affluis, qui hoc ipſo deum ſanctis operibus honorare plus debes,

quod beneficijs illius ſine ceſſatione perfrueris: uideamus ſi actūs, non di/
co ſanctos,ſed uel innoxios habes.Et quis,ut ſuperius dixi,diuitum præter
paucos nō cunctis criminibus infectus eſt? Et quod paucos excipio, utinā
plures atq; omnes excipi liceret. Salus erat omnium, innocentia plurimo/
rum.Neq; ego de ullo dico nunc, niſi de eo tantum, qui in ſe id quod dico
eſſe agnoſcit.Si enim extra conſcientiam ſuam ſunt quæcunq; dico, nequa
quam ad iniuriam eius ſpectant cuncta quæ dico.Si autem in ſe eſſe nouit
quæ loquor,non à mea ſibi hoc lingua dici exiſtimet, ſed à conſcientia ſua.
Ac primum ut de uitijs ſeruilibus dicam, ſi fugitiuus eſt ſeruus,fugitiuus es
etiam tu diues ac nobilis.Omnes enim dominum ſuum fugiūt, qui legem
domini derelinquunt.Quid ergo diues culpas in ſeruo? hoc facis quod & il
le,Ille fugitiuus eſt domini ſui,& tu tui. Sed hoc culpabilior es, nam ille fu/
git forſitan malum dominum,& tu bonum.Incontinentiam uentris quā in
ſeruo arguis, in illo rara eſt per indigentiam, in te quotidiana per copiam.
Vides ergo apoſtolica ſententia te potiſſimum uerberari: immo te ſolum,
quia in quo alium iudicas,temetipſum condemnas, eadem enim agis quæ
iudicas:immo non eadem agis,ſed maiora multo ac nequiora.In illo quip/
pe etiam infrequentem uentris intemperantiam punis, & tu aſſidua diſten
Diuitū furtū. deris.Furtum quoque, ut putas, ſeruile uitium eſt: & tu furtum diues facis,
quando à deo uetita præſumis. Omnes ſiquidem furta faciunt, qui illicita
committunt. Sed quid ego tam minute, & quaſi allegorice de hoc loquor,
cum facinoribus apertiſſimis non furta tantum diuitum,ſed latrocinia com
probentur? Quotus quiſq; enim iuxta diuitem pauper,aut intactus, aut tu
tus eſt? Siquidem perſuaſionibus præpotentum,aut ſua homines imbecil/
li,aut etiam ſeipſos cum ſuis pariter amittunt,ut non immerito de utriſque
Eccl 13 perſonis ſacer ſermo teſtetur, ſic dicens: Venatio leonis onager in eremo,
ſic paſcua ſunt diuitum pauperes.Quamuis tyrannidem hanc non paupe/
Dignitas ſublimium res tantum,ſed penè uniuerſitas patiatur generis humani.Quid eſt omni/
um aliud dignitas ſublimium,quàm præſcriptio ciuitatum: aut quid aliud
quorundam,quos taceo,præfectura,quàm præda? Nulla ſiquidem maior
pauperculorum eſt depopulatio, quàm poteſtas. Ad hoc enim honor à
paucis emitur, niſi ut cunctorum uaſtatione ſatietur. Quo quid eſſe indi/
gnius aut iniquius poteſt? Reddunt miſeri dignitatum precia quas non
emunt. Commercia neſciunt, & ſolutionem ſciunt. Vt pauci illuſtrentur,
mundus euertitur. Vnius honor, orbis excidium eſt. Denique ſciunt hoc
Hiſpaniæ,quibus ſolum nomen relictum eſt. Sciunt Africæ, quæ fuerunt.
Sciunt Galliæ deuaſtatæ, ſed non ab omnibus, & ideo in pauciſſimis ad/
huc angulis uel tenuem ſpiritum agentes,quia eas interdum paucorum in/
tegritas aluit,quas multorum rapina uacuauit.Sed euagati longius ſumus
dolore compulſi.Ergo ut ad ſuperiora redeamus,quid eſt in quo non ſerui
libus

libus uitijs etiam nobiles polluantur, niſi forte ideo, quia illa quæ in ſeruis peccata puniunt,ipſi quaſi licita committunt. Denicꝙ ad has peruaſiones, quas,ut ſupra dixi,nobiles agunt,ſeruus nec aſpirare permittitur: quamuis mentiar.Quidã enim ex ſeruis nobiles facti,aut paria,aut maiora fecerunt. Sed hoc tamen imputari ſeruis nequaquam poteſt, quod quibuſdã ſerui/lis cõditio tam feliciter ceſſit.Homicidia quocꝙ in ſeruis rara ſunt terrore ac metu mortis. In diuitibus aſſidua ſpe ac fiducia impunitatis, niſi forte ini/qui ſumus,hoc quod diuites faciunt ad peccatum referendo: quia illi cũ oc/cidunt ſeruos ſuos,ius putant eſſe,non crimen.Non ſolum hoc, ſed eodem priuilegio etiam in exercendo impudicitiæ cœno abutuntur.Quotus enim quiſcꝙ eſt diuitum cõnubij ſacramenta obſeruans,quem nõ libidinis furor rapiat in præceps? cui non domus ac familia ſua ſcortum ſit? & qui non in quamcuncꝙ perſonam cupiditatis improbæ calor traxerit,mentis ſequatur inſania? ſecundũ illud ſcilicet quod de talibus dicit ſermo diuinus:Equi inſa nientes in fœminas facti ſunt.Quid enim aliud,quàm de ſe dictũ hoc pro/bat,qui totũ peruadere uult cõcubitu,quicquid concupierit aſpectu? Nam de concubinis quippiam dici forſitan etiã iniuſtũ eſſe uideatur: quia hoc in comparatione ſupradictorũ quaſi genus eſt caſtitatis,uxoribus paucis eſſe contentũ,& intra certũ coniugij numerum frenos libidinum cõtinere. Con iugium dixi,quia ad tantã res impudentiã uenit,ut ancillas ſuas multi uxo res putent:atcꝙ utinam ſicut putantur eſſe quaſi cõiuges,ita ſolæ haberent uxores. Illud magis tetrum ac deteſtabile,quod quidã matrimonia hono/rata ſortiti, alias ſibi ruſum ſeruilis ſtatus coniuges ſumunt, deformantes ſancti connubij honorem,per degeneris contubernij uilitatem, non erube/ſcentes maritos ſe fieri ancillarum ſuarum,præcipitantes faſtigiũ nobilium matrimoniorũ,in cubilia obſcœna ſeruarum, digni prorſus etiam illarũ ſta tu,quarum ſe putant dignos eſſe conſortio.Non dubito ex ijs plurimos,ut ſunt nobiles, aut uideri nobiles uolũt,ſuperbe & aſpernãter accipere, quod dum conſideramus hæc talia quæ locuti ſumus,minus flagitioſos diximus ſeruos quoſdam eſſe ꝙ̃ dominos.Sed cum hoc ego nõ de omnibus,ſed de his qui tales ſunt prædicauerim,nullus iraſci omnino debet, qui nequaquã ſe talem cognoſcit,ne hoc ipſo quod iraſcitur,de cœtu ipſorũ eſſe uideatur. Quin potius quicuncꝙ ex nobilibus hæc mala horrent,iraſci talibus debẽt, quod facinoribus ſordidiſſimis nobilitatis nomẽ infamẽt: quia licet hi qui tales ſunt omnem grauent populũ Chriſtianũ,ſpecialiter tamen illos ſordi bus ſuis polluunt,quorũ pars eſſe dicuntur.Diximus itacꝙ nobiles quoſdã eſſe ſeruis deteriores:quod diximus,cõprobamus.Ecce enim ab hoc ſcelere uel maximo propè ſeruorum numerus immunis eſt. Nũquid enim aliquis ex ſeruis turbas concubinarum habet? nunquid multarũ uxorum labe pol luitur,ut canum uel ſuum more tantas putet coniuges ſuas eſſe quantas po

Homicidia diuitum

Diuites impuriſſimi

Hiere.5

Genus caſtitatis

Canum & ſuum mos

fuerit libidini ſubiugare. Sed ad hæc reſponderi poteſt, quod facere ſeruis iſta non liceat. Nam profecto facerent ſi liceret. Credo, ſed quæ fieri non uideo, quaſi facta habere non poſſum. Quantumlibet enim in eis improbæ mentes, quantumlibet malæ cupiditates ſint, nullus pro eo quod nō admittit ſcelere punitur. Malos eſſe ſeruos ac deteſtabiles ſatis certū eſt, ſed hoc utiq; ingenui ac nobiles magis execrādi, ſi in ſtatu honeſtiore peiores ſunt. Quo fit, ut ad illum perueniri exitum rei huius neceſſe ſit, nō ut ſerui ſint à reatu nequitiæ ſuæ abſoluendi, ſed ut plurimi diuites magis ſint ſeruorum comparatione damnandi. Nam illud latrocinium ac ſcelus quis digne eloqui poſſit, quod cum Romana Reſpublica uel iam mortua, uel certe extremum ſpiritum agens, in ea parte qua adhuc uiuere uidetur, tributorum uinculis, quaſi prædonum manibus ſtrangulata moriatur: inueniuntur tamen plurimi diuitum, quorum tributa pauperes ferunt. Hoc eſt, inueniuntur plurimi diuitum, quorū tributa pauperes necant: & quod inueniri dicimus, plurimos: timeo ne uerius dixerimus, omnes. Tam pauci enim mali huius expertes ſunt, ſi tamen ulli ſunt, ut in ea parte qua multos diximus, omnes penè diuites poſſimus reperire. Ecce enim remedia pridem nonnullis urbibus data, quid aliud egerunt, quàm ut cunctos diuites immunes redderent, miſerorum tributa cumularent: ut illis demerētur uectigalia uetera, iſtis ut adderentur noua: illos ut etiam acceſſio minimarum functionū locupletaret, iſtos ut acceſſio maximarum affligeret: Illi ut eorū quæ leuiter ferebant imminutione diteſcerent, iſti ut eorum quæ etiam ferre non poterant multiplicatione morerentur: ac ſi remedium illud alios iniuſtiſſime erigeret, alios iniuſtiſſime necaret: aliijs eſſet ſceleratiſſimum pręmium, aliijs ſceleratiſſimum uenenū. Vnde aduertimus, quod nihil eſſe & diuitibus ſceleratius poteſt, qui remedijs ſuis pauperes perimunt: & nihil pauperibus infelicius, quos etiam illa quæ pro remedio cunctis dantur occidunt. Iam uero illud quale, quàm ſanctum, quod ſi quis ex nobilibus ad deum cōuerti cœperit, ſtatim honorem nobilitatis amittit: aut quātus in Chriſtiano populo honor Chriſti eſt, ubi religio ignobilem facit? Statim enim ut quis melior eſſe tentauerit, deterioris abiectione calcatur: ac per hoc omnes quodāmodo mali eſſe coguntur, ne uiles habeantur. Et ideo non ſine cauſa Apoſtolus clamat: Seculum totum in malo poſitum eſt. Merito enim totū eſſe in malo dicitur, ubi boni locum habere non poſſunt. Siquidem ita totum iniquitatibus plenum eſt, ut aut mali ſint qui ſunt in illo, aut qui boni ſunt multorum perſecutione crucientur. Itaq; ſicut diximus, ſi honoratior quiſpiā religioni ſe applicuerit, illico honoratus eſſe deſiſtit. Vbi enim quis mutauerit ueſtē, mutat protinus dignitatem. Si fuerit ſublimis, fit deſpicabilis. Si fuerit ſplendidiſſimus, fit uiliſſimus. Si fuerit totus honoris, fit totus iniuriæ. Et mirantur mundani quidam & infideles, ſi offenſam dei aut iracundiam perferūt, ubi deum

Romana Reſpub.

Tributorum uincula

Remedia urbibus data

Religio quoſdam facit ignobiles

1. Ioan. 5

deum in ſanctis omnibus perſequunť. Peruerſa enim ſunt, & in diuerſum cuncta mutata. Si bonus eſt quiſpiã, quaſi malus ſperniť. Si eſt malus, qua ſi bonus honorať. Nihil itaq; mirũ, ſi deteriora quotidie patimur, qui deteriores quotidie ſumus. Et noua enim quotidie mala faciũt, & uetera non relinquunt. Surgunt recentia crimina, nec repudianť antiqua. Quis ergo eſt cauſationis locus? quãlibet aſpera et aduerſa patiamur, minora patimur quã meremur. Quid querimur, quod dure agat nobiſcũ deus? multo nos durius cũ deo agimus. Exacerbamus quippe deũ impuritatibus noſtris, & ad puniendos nos trahimus inuitũ. Cumq; eius naturæ ſit mens dei atq; maieſtas, ut nulla iracũdiæ paſſione moueať, tanta tamẽ in nobis peccatorũ exacerbatio eſt, ut per nos cogať iraſci. Vim, ut ita dixerim, facimus pietati ſuę, ac manus quodãmodo afferimus miſericordię ſuæ. Cũq; eius benignitatis ſit, ut uelit nobis iugiter parcere, cogiť malis noſtris ſcelera quę admittimus uindicare. Ac ſicuti illi ſolent, qui munitiſſimas urbes obſident, aut firmiſſimas arces urbiũ capere & ſubruere conanť, omnibus abſq; dubio eas & telorũ, & machinarũ generibus oppugnãt: ita nos ad expugnandã miſericordiã dei omni peccatorũ immaniũ ſcelere, quaſi omni telorũ genere pugnamus: & iniurioſum nobis deũ exiſtimamus, cũ ipſi iniurioſiſſimi deo ſimus. Omnis ſiquidẽ Chriſtianorũ omniũ culpa, diuinitatis iniuria eſt. Nam cũ illa quæ facere à deo uetamur admittimus, uetantis iuſſa calcamus, ac per hoc impie in calamitatibus noſtris ſeueritatẽ diuinã accuſamus. Nos quippe nobis nos accuſandi ſumus. Nã cũ ea quibus torqueamur admittimus, ipſi tormentorũ noſtrorũ ſumus autores. Quid ergo de pœnarũ acerbitate querimur? unuſquiſq; noſtrũ ſe punit. Et ideo propheticũ hoc ad nos diciť: Ecce omnes uos ignẽ accẽditis, & uires præbuiſtis flammæ, ingredimini in lucem ignis ueſtri, & flãmæ quã accẽdiſtis. Totũ nãq; humanũ genus hoc ordine in pœnã æternã ruit, quo ſcriptura memorauit. Primũ enim ignẽ accendit, poſtea uires ignibus præbet, poſtremo flãmã ingrediť quã parauit. Quando igiť ſibi primũ homo æternũ accendit ignẽ? ſcilicet cũ primũ peccare incipit. Quando aũt uires ignibus præbet? cũ uriq; peccata peccatis cumulauit. Quando uero ignẽ æternũ introibit? Quãdo irremediabilem iam malorũ omniũ ſummã creſcentiũ delictorũ iniquitate cõpleuerit, ſicut ſaluator noſter ad Iudęos principes ait: Implete menſurã patrũ ueſtrorũ, ſerpentes, progenies uiperarum. Nõ longe à plenitudine peccatorũ erant, quibus ipſe dicebat dominus, ut peccata cõpleret. Ideo abſq; dubio, ut quia iam digni ſalute non eſſent, implerent iniquitatũ numerũ, quo perirent. Vnde & cũ lex uetus peccata Amorreorũ cõpleta eſſe memoraſſet, ſic locutos eſſe ad ſanctum Loth angelos refert: Omnes qui tui ſunt educ de urbe hac, delebimus enim locũ iſtum, eo quod increuerit clamor eorũ corã domino qui miſit nos, ut perdamus illos. Diu profecto flagitioſiſſimus ille populus ignẽ il

Simile

Diuinitatis iniuria

Eſa.50

Homines quo ordine in pœnam ruant

Matth.23

Gen.19

ſum accenderat quo peribat. Et ideo cōpletis iniquitatibus ſuis, arſit flam/
mis criminū ſuorum. Tam male enim de deo meruit, ut gehennā quæ in fu/
turo iudicio datur, etiā in hoc ſeculo ſuſtineret. Sed nulli ſunt, inquit aliquis,
illorū exitu digni, quia nulli illorū impuritatibus cōparandi. Verū fortaſſis
Euangelij cō/temptores eſt, ut ſit, attamen quid facimus quod ſaluator ipſe omnes qui Euangelium
ſuum ſpernunt, peiores eſſe memorauit? Deniq; ad Capernaum ſic ait: Si
Luce 10 in Sodomis factæ fuiſſent uirtutes, quæ factæ ſunt in te, forte manſiſſent in
hunc diem. Veruntamen dico uobis quia Sodomis remiſſius erit in die iu/
dicij, q̄ tibi. Si Sodomitas minus dicit eſſe damnabiles, q̄ cunctos Euan/
gelia negligentes, certiſſima ergo ratio eſt, qua & nos qui in plurimis Euan
gelia negligimus, pœnas timere aliquādo debeamus: præſertim cum uſita/
tis iam & quaſi facilioribus malis eſſe cōtenti nolumus. Non ſufficiūt enim
multis cōſuetudinarij reatus, non ſufficiunt lites, non rapinæ, nō calumniæ,
nō ſufficiunt uinolentiæ, nō ſufficiunt comeſſationes, nō ſufficiūt falſitates,
non ſufficiunt periuria, nō ſufficiunt adulteria, nō ſufficiunt homicidia, non
ſufficiunt deniq; cuncta iſta, etſi atrocitate inhumaniſſima, te tamē ipſa ad
humanas iniurias pertinentia, niſi blaſphemia furioſarū mentium manus
Pſal. 72 iniiciant etiā in deum. Poſuerunt enim, ſicut de impijs ſcriptum eſt, in cœ/
lum os ſuum, & lingua eorum tranſiuit ſuper terrā, & dixerunt: Quomodo
& 93 ſcit deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo? Et illud: Nō uidebit, nec intelliget deus
& 52 Iacob. Ad quos utiq; tales rectiſſime propheticum illud referri poteſt: Di/
xit inſipiens in corde ſuo, nō eſt deus. Nam qui nihil à deo aſpici affirmāt,
prope eſt ut cui aſpectum adimunt, & ſubſtantiam tollant, ut quem dicāt
Nullum malū ratione ſubſi/ſtit omnino nil eſſe. Equidem licet nullum admodū malū facinus ratione ſubſi
ſtat, quia rationi non poſſunt ſcelera coniungi: nullum tamē eſt, ut puto, uel
irrationabilius, uel inſanius. Quid enim tam furioſum, q̄ ut aliquis cū deū
creatorem omniū rerum non neget, & gubernatorem neget: & cum facto/
rem eſſe fateatur, dicat negligere quæ fecit: quaſi nulla hæc ei faciendorum
Deus priuſ/quàm creauit curam creatu/rarum habuit omniū cura fuerit, ut quæq; feciſſet negligere creatorem. Ego autem intan/
tum eum curā creaturarū ſuarum habere dico, ut probem priuſquàm etiā
crearet habuiſſe. Res quippe ipſa hoc euidenter oſtendit. Nihil enim face/
ret, niſi curā faciendi habuiſſet antequam faceret: præſertim cum etiam in
ipſo humano genere nullus ſit fermè hominum tam hebes, qui ad hoc ali/
quid agat atq; perficiat, ut quæ perfecta ſint non curet. Nam & qui agrū
excolit, ad hoc colit, ut culta conſeruet: & qui uineam plantat, ad hoc plan/
tat, ut plantata cuſtodiat. Et qui initia gregū præparat, ad hoc parat, ut cu/
ram multiplicandis gregibus impendat. Et qui domum ædificat, uel funda
mentum locat, & ſi necdum habitationē paratam habeat, iam tamen ipſa
quæ adhuc facere molitur, ſpe futuræ habitationis amplectitur. Et quid de
homine hic loquar, cum etiam minima animaliū genera futurarum rerum

affectum

affectum omnia diligant. Formicæ in ſubterraneis latibulis uaria frugum genera condentes, ad hoc cuncta contrahunt ac reponunt, quia affectum uitæ ſuæ diligunt. Quæ recondunt apes, cum fundamina mellis ponunt, uel cum è floribus natos legunt, qua cauſa uel thymo, niſi ſtudio & cupiditate mellis, uel floſculis quibuſdam, niſi futuræ ſobolis charitate lætantur. Deus ergo qui etiam minimis animantibus hunc affectum proprij operis inſeruit, ſe tantummodo ſolum creaturarum ſuarum amore priuauit? Præſertim cum omnis in nos rerum bonarum amor, ex illius bono amore deſcenderit. Ipſe eſt enim fons & origo cũctorum: & quia in ipſo, ut ſcriptum eſt, & uiuimus & mouemur & ſumus, ab ipſo utiq; affectum omnem quo pignora noſtra amamus accepimus. Totus nanque mundus, & totum humanum genus, pignus eſt creatoris ſui. Et ideo ex hoc quoque affectu, quo amare fecit pignora noſtra, intelligere nos uoluit quantum ipſe amaret pignora ſua. Sicut enim, ut legimus, inuiſibilia eius per ea quę facta ſunt intellecta conſpiciuntur: ita amorem erga nos ſuum, per eum quem nobis erga noſtros dedit amorem, uoluit intelligi. Et ſicut omnem, ut ſcriptum eſt, paternitatem in cœlo & in terra à ſeipſo uoluit nominari, ſic à nobis patris in ſe affectum uoluit cognoſci. Et quid dicam patris, imò benigniſſimi patris. Probat quippe hoc uox ſaluatoris in Euangelio dicentis: Sic deus dilexit hunc mundum, ut filium ſuum unicum daret pro mũdi ſalute. Sed & Apoſtolus dicit: Deus, inquit, filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illũ: quomodo nõ etiã cum illo nobis omnia donauit? Hoc eſt ergo illud quod ſupra dixi, quia plus nos amat deus, q̃ filiũ pater. Euidens quippe res eſt, quod ſuper affectũ filiorũ nos deus diligit, qui propter nos filio ſuo nõ pepercit. Et quid plus addo? & hoc filio iuſto, & hoc filio unigenito, & hoc filio deo. Et q̃d dici amplius poteſt? & hoc pro nobis, id eſt pro malis, pro iniquis, pro impijſſimis. Quis æſtimare hunc erga nos dei amorem queat, niſi q̃d iuſtitia dei tanta eſt, ut in eũ aliquid iniuſtũ cadere nõ poſſit. Nã quãtũ ad rationẽ humanã pertinet, iniuſtã rem homo quilibet fecerat, ſi ꝓ peſſimis ſeruis filiũ bonũ occidiſſet. Vtiq; hoc magis inęſtimabilis pietas, & hoc magis mirabilis dei uirtus eſt, ꝗ intelligi ab homine magnitudo iuſtitiæ ſuæ nõ poteſt: ut quãtũ ad imbecillitatẽ humanã pertinet, penè iniuſtitiæ ſpeciẽ, magnitudo iuſtitiæ habere uideat. & ideo Apoſtolus ad indicãdã nobis aliquatenus miſericordiæ diuinæ immenſitatẽ ſic ait: Vt quid em̃ Chriſtus cũ adhuc impij eſſemus ſecũdũ tempus pro impijs mortuus eſt? Vix enim pro iuſto quis morit. Oſtẽdit profecto nobis una hac ſentẽtia pietatẽ dei. Nã cũ uix ullus pro ſumma iuſtitia mortẽ ſuſcipiat, probauit Chriſtus quãtũ pręſtiterit pro noſtra iniquitate moriẽdo. Sed hoc cur fecerit dominus, ſtatim in ſubditis docet, dicẽs: Cõmẽdat aũt ſuã charitatẽ deus in nobis: nã ſi cũ adhuc p̃ccatores eſſemus, ſecundũ tẽpus Chriſtus pro

Formicæ — *Apes* — *Act.17* — *Rom.1* — *Ephes.3* — *Ioan.3* — *Rom.8* — *Plus nos amat deus quã filium pater* — *Rom.5* — *Ibidem*

nobis mortuus eſt, multo magis igitur iuſtificati nūc in ſanguine ipſius ſalui erimus ab ira per ipſum. Hoc ipſo ergo gratiā cōmēdat, quia ob impios mortuus eſt. Maioris enim precij eſt beneficiū, quod pręſtatur indignis. Idcirco itaq; ait: Cōmendat ſuam charitatē deus in nobis. Quomodo cōmendat? ſcilicet quia nō merentibus pręſtat. Si enim ſanctis & benemeritis pręſtitiſſet, nō uidebat quæ non debuerat præſtitiſſe, ſed quæ debuerat reddidiſſe. Quid ergo nos pro his omnibus retribuimus, uel potius qd retribuere debemus? Primū ſcilicet illud quod beatiſſimus propheta ei debere ſe, &

Pſal. 115 redditurū eſſe reſtat, dicens: Quid retribuā domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicē ſalutaris accipiā, & nomen domini inuocabo. Prima ergo hæc retributio eſt, ut mortē morte reddamus, ac pro eo quod mortuus pro nobis eſt, pro nobis nos moriamur omnes, tāetſi minoris multo precij mors noſtra eſt q̄ ſua. Quo fit ut etiā ſi mortē ſuſcipiamus, debita tamen nō exoluamus. Sed tamē quia maius referre nō poſſumus, totū reddere uidemur, ſi totū quod poſſumus reddere curamus. Itaq; prima, ut dixi, hęc retributio eſt. Secunda aūt, ut ſi debitū morte non ſoluimus, uel amore ſoluamus. Nam ipſe ſaluator ideo, ut ait Apoſtolus, moriēdo pro nobis cōmendare uoluit omnibus charitatē ſuā, ut nos ad reddendā pietatē tanta uiciſſi

3 tudine pietatis ſuæ traheret: ſicut illas naturæ admirabilis gemmas ferunt,

Simile quæ ferro propius admotæ, duriſſimū licet calybem, affectu quaſi ſpirante ſuſpendunt: ita etiā ille, id eſt ſumma & clariſſima negociorū cœleſtiū gemma, hoc ſcilicet uoluit: ut dum ſe licet duriſſimis nobis deſcendens de cœlo propius adiungeret, affectu ſuo nos quaſi amoris ſui manibus admoueret, ut agnoſcētes utiq; dona ſua ac beneficia, intelligeremus, quid nos pro domino tam bono facere cōueniret, cū ille pro malis ſeruis tanta feciſſe cōpe-

Rom. 8 riretur. Hoc quod Apoſtolus dicit, ut mortificemur charitate illius tota die, & neq; tribulatio, neq; anguſtia, neq; perſecutio à charitate Chriſti, quæ eſt in Chriſto Ieſu domino noſtro, nos ſeparet. Cū ergo hæc à nobis deberi domino ſatis certū ſit, uideamus quid pro his cunctis reddimus quæ debemus. Quid ſcilicet, niſi totū quod ſupra diximus, quicquid indecens, quicquid indignū, quicquid ad iniuriā dei pertinēs, actus improbos, morſus flagitioſos, ebrias comeſſationes, cruentas manus, fœditates libidinis, rapidas

Ephes. 5 cupiditates, & quicquid illud plus poteſt cōſcientia habere q̄ ſermo. Quæ enim, inquit Apoſtolus, in occulto fiūt ab eis, turpe eſt etiā dicere. Nec hoc ſolū: nā hoc uetus eſt, & tā præſentis temporis q̄ præteritorū: illud grauius & lugubrius, quod peccatis ueteribus noua addimus. Nec ſolū noua, ſed quædā paganica ac prodigioſa, & in eccleſijs dei ante nō uiſa: iactātes ſcilicet profanas in deū uoces & cōtumelias, blaſphemātes, dicētes deū incurioſum, deū non intendentē, deū negligentem, deum nō gubernantem, ac per

4 hoc immiſericordē & impręſtabilem, inhumanū, aſperum, durū. Nam qui

non

non reſpiciens & incurioſus, & negligens eſſe dicitur, quid ſupereſt, niſi ut aſper & durus, & inhumanus eſſe dicatur? O cæcam impudentiã, ô ſacrilegam temeritatem. Nõ ſufficit enim nobis, quod peccatis innumerabilibus inuoluti, rei in omnibus deo ſumus, niſi & accuſatores dei ſimus. Et quæ rogo homini ſpes erit, qui ipſum accuſat iudicem iudicãdus? Si ergo, inquiũt, reſpicit res humanas deus, ſi curat, ſi diligit, ſi gubernat, cur nos infirmiores omnibus gentibus, & miſeriores eſſe permittit? Cur uinci à barbaris patit? Cur iuri hoſtium ſubiugari? Breuiſſime, ut ante dixi, ideo nos perferre hæc mala patit, quia meremur ut iſta patiamur. Reſpiciamus enim ad turpitudines, ad flagitia, ad ſcelera illa Romanæ plebis, quæ ſupra diximus, & intelligemus, ſi protectionem mereri poſſumus, cũ in tanta impuritate uiuamus. Itaq; quia hoc argumẽto plurimi nõ reſpicere res humanas deum dicunt, quod miſeri, quod imbecilles ſumus, quid meremur? Si enim in tantis uitijs, in tãta improbitate uiuentes, fortiſſimos, florẽtiſſimos, beatiſſimosq; eſſe pateret, ſuſpicio fortaſſe aliqua eſſe poterat, quod nõ reſpiceret ſcelera Romanorũ deus, qui tam malos, qui tam perditos beatos eſſe pateret. Cũ uero tam uitioſos, tã improbos, infirmos & miſerrimos eſſe iubeat, euidentiſſime patet & aſpici nos à deo & iudicari, quia hoc patimur q̃d meremur, ſed mereri nos abſq; dubio non putamus: & hinc eſt quod magis rei & criminoſi ſumus, quia non agnoſcimus quod meremur. Maxima quippe accuſatrix hominũ noxiorum eſt uſurpatrix innocẽtiæ arrogantia. Inter multos ſiquidẽ eorundẽ criminũ reos nullus eſt criminoſior, q̃ qui ſe putat nõ criminoſum: itaq; & nos hoc ſolũ malis noſtris addere poſſumus, ut nos innoxios iudicemus. Sed eſt, inquit, aliquis peccator & maligniſſimus, certe quidẽ negari non poteſt quod meliores barbaris ſumus. Ex hoc itaq; ipſo manifeſtũ eſt, quod nõ reſpicit res humanas deus: quia cũ meliores ſumus, deterioribus ſubiugamur. An meliores ſimus barbaris, iã uidebimus. Certe, q̃d nõ eſt dubiũ, meliores eſſe debemus. Ex hoc utiq; deteriores ſumus, ſi meliores nõ ſumus, qui meliores eſſe debemus. Criminoſior enim culpa eſt, ubi honeſtior ſtatus: ſi honoratior perſona peccãtis, peccati quoq; maior inuidia. Furtũ quidẽ eſt in omni homine malũ facinus, ſed dãnabilius ſi ſenator furatur aliquando. Cunctis fornicatio interdicit, ſed grauius multo eſt ſi de clero aliquis q̃ ſi de populo fornicetur. Ita & nos qui Chriſtiani catholici eſſe dicimur, ſi ſimile aliq̃d barbarorũ impuritatibus facimus, grauius erramus. Atrocius eñ ſub ſancti nominis profeſſione peccamus. Vbi ſublimior eſt prærogatiua, maior eſt culpa, & ipſa etiã errores noſtros religio quã profitemur accuſat. Criminoſior eſt eius impudicitia q promiſerit caſtitatẽ. Fœdior inebriator, ſobrietatẽ frõte p̃cẽdẽs. Nihil eſt philoſopho turpius uitia obſcœna ſectãti, qa præter eã deformitatẽ q̃ uitia in ſe habẽt ſapiẽtię nomẽ plus notat. Et nos igit in omni humano genere philoſophiã Chri-

Vſurpatrix innocentiæ arrogantia

An meliores ſimus barbaris

Sancti nominis profeſſio

Chriſtianam profeſſi ſumus, ac per hoc deteriores nos cunctis gẽtibus cre/di atq; haberi neceſſe eſt: quia ſub tã magnæ profeſſionis nomine uiuimus, & poſiti in religione peccamus. Sed ſcio plurimis intolerabile uideri, ſi bar/baris eſſe deteriores dicamur. Et quid facimus, quod cauſę noſtrę hoc nihil proficit, ſi intolerabile id nobis eſſe uideatur. Imò cauſam noſtrã hoc ma/gis aggrauat, ſi deteriores ſumus, & meliores nos eſſe credamus. Qui enim

Gal. 6 (inquit Apoſtolus) ſe exiſtimat aliquid eſſe cũ nihil ſit, ſe ipſum ſeducit. O/pus autem ſuum probet homo: operi autẽ noſtro debemus credere, nõ opi/nioni: rationi, non libidini: ueritati, nõ uoluntati. Igitur non ferendũ quidã exiſtimant, ut deteriores, aut non multo etiã meliores barbaris iudicemur.

Duo genera barbarorum Videamus aũt quomodo meliores ſimus, aut quibus barbaris. Duo enim genera in omni gente omniũ barbarorũ ſunt, id eſt, aut hæreticorũ, aut pa/ganorum. His ergo omnibus quantum ad legem diuinã pertinet, dico nos ſine comparatione meliores: quãtum autem ad uitam, & ad uitæ actus, do/leo ac plango eſſe peiores, quamuis id ipſum tamen, ut ante iam diximus, non de omni penitus Romani populi uniuerſitate dicamus. Excipio enim primũ omnes religioſos, deinde nonnullos etiam ſeculares religioſis pares: aut ſi id nimis grande eſt, aliqua tamen religioſis actuum honeſtorũ pro/bitate cõſimiles. Cæteros uero aut omnes, aut penè omnes, magis reos eſſe

Magis reum eſſe quàm barbaros. Hoc eſt autem deteriorem eſſe, magis reum eſſe. Ita quia nonnulli irrationabile atq; abſurdum arbitrantur, ut aut deteriores, aut nõ multum etiam meliores iudicemur: uideamus, ut dixi, aut quomodo, aut quibus barbaris. Ego enim pręter eos tantummodo Romanorũ, quos pau/lo ante nominaui, cæteros aut omnes, aut penè omnes maioris reatus dico, & criminoſioris uitæ eſſe quàm barbaros. Iraſceris forſitan qui hęc legis, & condemnas inſuper quæ legis. Non refugio cenſuram tuam, condemnes ſi mentior, condemnes ſi non probauero, condemnes ſi id quod aſſero non etiam ſcripturas ſacras dixiſſe mõſtrauero. Igitur qui meliores nos multo, cunctis quæ ſunt in mundo gentibus iudicamus, nec ipſe quod Romanos dico in plurimis deteriores, abnego in quibuſdã eſſe meliores. Vita enim, ut dixi, & peccatis ſumus deteriores, lege autem catholica ſine comparatio/ne meliores. Sed illud cõſiderandum eſt, quia quod lex bona eſt, noſtrum non eſt: quod autem male uiuimus, noſtrum eſt, & nihil utique nobis pro/

Lex bona deſt, quod lex eſt bona, ſi uita noſtra & conuerſatio nõ eſt bona. Lex enim bona eſt muneris Chriſti, uita autem non bona criminis noſtri: immo hoc magis culpabiles ſumus, ſi legem bonam colimus, & mali cultores ſumus.

Malus cultor Quin potius nec cultores, ſi mali: quia cultor dici non poteſt, malus cultor. Neq; enim colit, q rem ſanctã nõ ſancte colit. Ac per hoc accuſatrix noſtri eſt lex ipſa quã colimus. Remota igit᷑ legis prærogatiua, quæ nos aut nihil omnino adiuuat, aut etiam iuſta animaduerſione condemnat, uitam bar/barorum

barorum atque noſtrorum ſtudia, mores, uitia comparemus. Iniuſti ſunt barbari, & nos hoc ſumus: auari ſunt barbari, & nos hoc ſumus. Impudici ſunt barbari, & nos hoc ſumus. Omnium deniq; improbitatum atque impuritatum pleni ſunt barbari, & nos hoc ſumus. Sed reſpōderi fortaſſe poſſit: Ergo ſi pares uitioſitate barbaris ſumus, cur nō ſumus etiam uiribus pares? Cum enim ſimilis ſit improbitas, atq; idem reatus, aut tam fortes debemus eſſe nos, quàm ſunt illi: aut certe tam inualidi quàm nos ſumus, illi eſſe deberent. Verum eſt, ac per hoc ſupereſt, ut illi nocentiores ſint, qui infirmiores. Quomodo hoc probamus? Scilicet quia, ut ſuperius locuti ſumus, omnia ex iudicio deum facere mōſtrauimus. Si enim, ut ſcriptum eſt, in omni loco oculi domini ſpeculantur bonos & malos: & iuxta Apoſtolū, Iudicium dei eſt ſecundum ueritatem in omnes malos: uidemus nos, qui nō deſinimus mala agere, ex iudicio iuſti dei pœnas malitię ſubſtinere. Sed eadem, inquis, mala etiam barbari agunt, & non ſunt tamen tam miſeri, quàm nos ſumus. Hoc ergo intereſt, quod etſi eadē agant barbari quæ & nos agimus, nos tamen maiore offenſione peccamus. Poſſunt enim noſtra & barbarorū uitia eſſe paria, ſed in his tamen uitijs eſt neceſſe peccata noſtra eſſe grauiora. Nam cum omnes, ut ante iam diximus, barbari, aut pagani ſint, aut hæretici, de paganis, quia peior illorū error eſt, prius dicam. Gens Saxonum fera eſt, Francorum infidelis, Gepidarū inhumana, & Hunnorū impudica. Omniū deniq; gentium barbarorū uita uitioſa, ſed nūquid eundē reatum habent illorū uitia quem noſtra? nūquid tam uitioſa eſt Hunnorū impudicitia quàm noſtra? nūquid tam accuſabilis Francorū perfidia quàm noſtra? aut tā reprehenſibilis ebrietas Alemanni, quàm ebrietas Chriſtiani? aut tā damnabilis rapacitas Albani, quàm rapacitas Chriſtiani? Si fallat Hunnus uel Gepida, quid mirū eſt? qui culpā falſitatis penitus ignorat. Si periuret Francus, quid ni faceret? qui periurium ipſum ſermonis genus putat eſſe nō criminis. Et quid mirum, ſi hoc barbari ita credunt, qui legem & deū neſciūt, cum maior ferè Romani nominis portio ita exiſtimet, quæ peccare ſe nouit. Nam ut de alio hominum genere non dicam, conſideremus ſolas negociatorum & Siricorum omnium turbas, qui maiorem fermè ciuitatum uniuerſam partem occupauerunt: ſi aliud eſt uita iſtorum omnium quàm meditatio doli & tritura mendacij, aut ſi non perire admodum uerba exiſtimant, quæ nihil loquētibus proſunt. Tantus apud hos dei honor eſt prohibentis, etiam iuſiurandum, ut ſingularem exiſtiment fructuum omnium periurium. Quid ergo mirum barbaros fallere, qui falſitatis crimen ignorant? Nihil enim contemptu agunt cœleſtium præceptorum, præcepta domini neſcientes: quia nō facit aliquid contra legem, legis ignarus. Noſter ergo hic peculiariter reatus eſt, qui legem diuinam legimus, & legalia ſemper ſcripta uiolamus; qui deum noſſe nos dicimus, & iuſſa

Prouerb. 15
Rom. 2
Francorum periuria
6
Negociatorum uita

ipſius ac præcepta calcamus: ac per hoc cum ſpernamũs quem coli à nobis credimus atque iactamus,id ipſum quod cultus dei uidetur iniuria eſt. Deniq; ut de peccatis alijs nihil dicam,quis eſt,oro,hominum ſecularium præter paucos,qui non ad hoc ſemper Chriſti nomẽ in ore habeat ut peieret?

Sacramentũ per Chriſtum Vnde etiã paruulum hoc ferè & apud nobiles,& apud ignobiles ſacramentum eſt, per Chriſtum: quia ago per Chriſtũ, quia hoc facio per Chriſtũ, quia nil aliud dicturus ſum per Chriſtum, quia nil aliud acturus ſum. Et quid plura? in id penitus deducta eſt res,ut ſicut de paganis barbaris prius diximus, Chriſti nomen non uideatur iam ſacramentum eſſe, ſed ſermo. Nam intantum apud plurimos nomen hoc paruipenditur, ut nunquã minus cogitent quippiam facere,quàm cum ſe iurant per Chriſtum eſſe facturos. Et cum ſcriptum ſit, Nomen domini tui non nominabis inuanum, in id reuerẽtia Chriſti decidit, ut inter cæteras ſeculi uanitates nihil penè iam inanius,quàm Chriſti nomen eſſe uideatur. Deniq; multi non ocioſas tantummodo res & aniles,ſed etiam ſcelera quædam ſe iurant per Chriſti nomen eſſe facturos. Hic enim loquendi uſus eſt talibus: per Chriſtum,quia tollo illud: per Chriſtum,quia cædo illum: per Chriſtum, quia occido illũ: ad hoc res cecidit,ut quod Chriſti nomine iurauerint,putent ſe ſcelera etiã religioſe eſſe facturos.

Exo. 20 *Deut. 5*

Quid ſibi ipſi contigerit Deniq; quid mihi ipſi euenerit, dicã: Cum ante aliquantulum tempus uictus cuiuſdam pauperis prece,præpotẽtiori cuidam ſupplicarem,obſecrans ne homini miſero & egeſtuoſo rem ac ſubſtantiam ſuam tolleret, ne ſubſidium ac ſtipem ſuam, qua paupertas illa nitebatur, auferret: tamen ille qui eius rebus ſiti rabidą inhiauerat,ac prędam iam ſpe & cupiditate ardentiſſima deuorauerat, reſpiciens ac uibrans in os meum reſpondit: quaſi uero iuſſu aut ſcripto id ſacro faceret,quod penitus præteriri non poſſit. Cumq; ego cauſam, qua hoc fieri non ualeret quærerem, dixit rem uiolentiſſimam, & cui contradici penitus non deberet, Iuraui, inquit,res illius à me eſſe tollendas: uide ergo an poſſim uel nõ efficere, quod etiam interpoſito Chriſti nomine me iuraui eſſe facturum. Tum ego,quid enim amplius facerem, cum res tam iuſta oſtendebatur & ſancta, audita religioſiſſimi ſceleris ratione diſceſſi. Hic nunc interrogo omnes qui ſanæ mentis ſunt, Quis unquam crederet uſq; in hanc contumeliam dei progreſſuram eſſe humanæ cupiditatis audaciam,ut id ipſum in quo iniuriã Chriſto faciunt,dicant ſe ob Chriſti nomẽ facturos? O inæſtimabile facinus & prodigioſum. Quid non auſæ ſint improbæ mentes? armant ſe ad latrocinandum per Chriſti nomen, autorem quodammodo ſuo ſceleri deum faciunt: ut cum interdictor ac uindex malorum omnium Chriſtus ſit, dicant ſe ſcelus quod agunt agere pro Chriſto. Sed de hoſtili iniquitate conquerimur,& paganicam barbariem peierare cauſamur. Quanto minori peccato illi per dæmonia peierant, quàm nos per Chriſtum? Quanto minoris res

criminis

criminis eſt,Iouis nomen ludificare,quàm Chriſti? ibi homo mortuus eſt per quem iuratur,hic deus uiuus qui peieratur: ibi nec homo ullus,nec deus ſummus, hic cum maximi ſacramenti ſit deieratio, neceſſe eſt maximi ſit reatus & peieratio:ibi cum propè nullum ſit ſacramentum, nullum conſtat eſſe periurium. Nam cum deus non ſit per quem iuratur,non eſt periurium cum peieretur. Denique qui uult ſcire quàm uerum ſit,audiat beatum Apoſtolum Paulum ipſa quæ nos dicimus prædicantem. Sic quippe ait: Scimus autem quoniam quæcunque lex loquitur,his qui in lege ſunt loquitur. Et iterum: Vbi,inquit,non eſt lex,nec præuaricatio. Duabus his ſententijs,duas euidenter expoſuit partes generis humani,extra legem poſitos,& in lege uiuentes. Qui ſunt igitur nunc in lege poſiti? qui ſcilicet niſi Chriſtiani,ſicut ipſe Apoſtolus fuit,qui de ſe ait: Sine lege dei non ſum, ſed in lege ſum Chriſti. Qui igitur ſine lege Chriſti? qui,niſi pagani homines,legem dominicam neſcientes:& ideo de his dicit, Vbi non eſt lex,nec præuaricatio. Quo dicto utique oſtendit,Chriſtianos tantum cum peccauerint legis præuaricatores eſſe. Paganos autem,qui legem neſciant,ſine præuaricatione peccare:quia nullus poteſt eſſe rei præuaricator quam neſcit. Nos ergo tantum præuaricatores diuinæ legis,qui,ut ſcriptum eſt,legem legimus, & non facimus eam: ac per hoc nihil eſt aliud ſcientia noſtra quàm culpa, qui ad hoc tantummodo legem nouimus, ut maiore offenſione peccemus: quia quod lectione & corde nouimus,libidine ac deſpectione calcamus. Et ideo rectiſſime apoſtolicum illud ad omnem dicitur Chriſtianum: Qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis deum inhonoras. Nomen enim dei per uos blaſphematur inter gẽtes. Cuius ergo criminis rei ſint Chriſtiani,ex hoc uno intelligi poteſt, quia dei nomen infamant. Et cum ſcriptum ſit nobis, ut omnia faciamus in gloriam dei, nos ediuerſo cuncta in dei facimus iniuriam. Cúmque ipſe ſaluator noſter ad nos quotidie clamet: Sic luceat lux ueſtra coram hominibus,ut uideant filij hominum opera ueſtra bona,& magnificent patrem ueſtrum, qui in cœlis eſt, Nos ita uiuimus è contrario,ut filij hominum uideant opera noſtra mala,& blaſphement patrem noſtrum,qui eſt in cœlis. Quæ cũ ita ſint,magna uidelicet nobis prærogatiua de nomine Chriſtianitatis blandiri poſſumus:quia ita agimus & uiuimus,ut hoc ipſum quod Chriſtianus populus eſſe dicimur, opprobrium Chriſti eſſe uideamur. At ediuerſo in paganis quid horum ſimile quæ dicimus? Nunquid dici de his poteſt: Ecce quales ſunt qui Chriſtiani eſſe dicuntur? Nunquid de Saxonibus aut Francis,ecce quæ faciunt,qui ſe aſſerunt Chriſti eſſe cultores? Nũquid propter Maurorum efferos mores lex ſacroſancta culpatur? Nunquid Scytharum aut Gepidarum inhumaniſſimi ritus in maledictum atque blaſphemiam nomen domini ſaluatoris inducunt? Nunquid dici de ullis iſtorum poteſt, ubi catholica eſt lex quam

Rom. 2 & 4 & 6 Rom. 2 ibidem 1. Cor. 10 Matth. 5

credunt? ubi ſunt pietatis & caſtitatis præcepta, quæ diſcunt? Euangelia le-
gunt, & impudici ſunt: apoſtolos audiunt, & inebriantur: Chriſtum ſequun
tur, & rapiunt: uitam improbam agunt, & probam legem habere ſe di-
cunt. Nunquid hæc de ulla iſtarum gentium dici queant? Nō utique, de no
bis quippe omnia iſta dicuntur. In nobis Chriſtus patitur obprobrium, in
nobis patitur lex Chriſtiana maledictum: de nobis enim illud quod ſupra
diximus dicitur, Ecce quales ſunt, qui Chriſtum colunt: falſum planè illud
eſt quod aiunt ſe bona dicere, quod iactant ſe ſanctæ legis præcepta retine
re. Si enim bona diſcerent, boni eſſent. Talis profecto ſecta eſt, quales & ſe
ctatores, hoc ſunt abſque dubio quod docentur. Apparet itaque & pro-
phetas quos habent impuritatem docere, & apoſtolos quos legunt nepha
ria ſenſiſſe, & Euangelia quibus imbuuntur hæc quæ ipſi faciunt prædica-
re. Poſtremo ſancta à Chriſtianis fierent, ſi Chriſtus ſancta docuiſſet.
Æſtimari itaque de cultoribus ſuis poteſt ille qui colitur. Quomodo enim
bonus magiſter eſt, cuius tā malos uidemus eſſe diſcipulos? Ex ipſo enim
Chriſtiani ſunt, ipſum audiunt: promptum eſt omnibus Chriſti intellige-
re doctrinam. Vide Chriſtianos quid agant, & euidenter potes de ipſo ſci
re quid doceat. Denique quàm praue ac netarie pagani ſemper de ſa-
cris dominicis opinati ſint, docent perſecutorum immanium cruentiſſimæ
quæſtiones, qui in ſacrificijs Chriſtianis nihil aliud quàm impura quæ-
7 dam fieri atque abominanda credebant. Siquidem initia ipſa noſtræ reli-
Initia Chriſtianæ religionis gionis non niſi à duobus maximis facinoribus oriri arbitrantur. Primum
ſcilicet homicidio, deinde quod eſt homicidio grauius, inceſtu. Nec homi-
cidio ſolum & inceſtu, ſed quod ſceleratius quiddam eſt, inceſtu ipſo & ho-
micidio. Inceſtu matrum ſacroſanctarum, & homicidio innocentium par-
uulorum: quos non occidi tantum à Chriſtianis, ſed quod magis abomi-
nandum eſt, etiam uorari exiſtimabant: & hæc omnia ad placandum de-
um, quaſi ullo facinore magis poſſit offendi: ad purgandum piaculum,
quaſi ullum aliud maius eſſet, ad commendandum ſacrificium, quaſi ullam
rem magis deus poſſit horrere: ad promerendam uitam æternam, quaſi ue
ro etiam ſi poſſit his rebus accipi, tanti eſſet ad eam per ſcelera tam imma-
nia peruenire. Intelligere poſſumus autem quales eſſe pagani crediderint
Chriſtianos, qui talibus ſacrificijs deum colerent, aut qualem ſollicitent de-
um ipſum, qui hæc ſacra docuiſſet. Et hoc cur, utique niſi ob eos qui Chri-
ſtiani eſſe dicuntur & non ſunt, qui per flagitia ac turpitudines ſuas no-
Tit.1 men religionis infamant, qui, ut ſcriptum eſt, confitentur ſe noſſe deum, fa-
2.Pet.2 ctis autem negant, cum ſint abominabiles & increduli, ad omne autem
opus bonum reprobi, per quos, ut legimus, uia ueritatis blaſphematur, &
ſacroſanctum nomen domini dei ſacrilegorum hominum maledictione
uiolatur. Quàm grauis autem ac ſingularis piaculi malum ſit, nomen diui-
nitatis

nitatis in blaſphemiam gentium dare, etiam Dauid beatiſſimi edocemur exemplo: qui cum per ſuffragia iuſtitiarum ſuarum, æternam pro offenſionibus ſuis pœnam per unam tantum confeſſionem meruit euadere: huius tamen criminis ueniam, nec per pœnitentiam patrocinantem potuit impetrare. Nam cum ei errores proprios confitenti Nathan propheta dixiſſet, Tranſtulit deus peccatum tuum, non morieris, ſubdidit ſtatim: Veruntamen quia blaſphemare feciſti inimicos nomen domini, propter uerbũ hoc, filius qui ex te natus eſt morietur. Et quid poſt hæc? depoſito ſcilicet diademate, proiectis gemmis, exutis purpuris, remota omni ſplendoris regiæ dignitate, cum pro his omnibus ſolitarius, gemens, clauſus, ſacco ſqualidus, fletu madidus, cinere ſordidatus, uitam paruuli ſui tot lamentationum ſuffragijs peteret, & pijſſimum deum tanta precum ambitione pulſaret: ſic rogans & obſecrans obtinere non potuit, cum tamen quod fortiſſimum petentibus adiumentum eſt, & impetraturum ſe quod ſic à deo peteret credidiſſet. Ex quo intelligi poteſt, quod nullum penitus maioris piaculi crimen eſt, quàm blaſphemandi cauſam gentibus dare. Quicunque enim ſine blaſphemia aliorum grauiter errauerit, ſibi tantum affert damnationem: qui autem alios blaſphemare fecerit, multos ſecum præcipitat in mortem, & neceſſe erit ut ſit pro tantis reus, quantos ſecum traxerit in reatum. Nec ſolum hoc, ſed quicunque peccator ita peccat, ut alios tamen peccato ſuo blaſphemare non faciat, peccatum ſuum ipſi obeſt tantummodo quod peccauerit: ſacroſanctum autem dei nomen ſacrilega blaſphemantium maledictione non lædit: Qui uero blaſphemare alios peccans fecerit, neceſſe eſt peccatum huius ſupra criminis humani eſſe menſuram, quia per con uitia plurimorum inæſtimabilem deo facit iniuriam. Hoc autem, ut dixi, malum peculiariter tantum Chriſtianorum eſt, quia per eos tantummodo blaſphematur deus, qui bona diſcunt, & mala faciunt: qui, ut ſcriptum eſt, deum uerbis confitentur, & factis negant. Qui, ut idem Apoſtolus ait, acquieſcunt legi, & ſciunt uoluntatem eius, & probant quæ potiora ſunt: qui habent formam ſcientiæ & ueritatis in lege, qui prædicant non furandum, & furantur: & qui legunt, non mœchandum, & mœchantur: qui in lege gloriantur, & per præuaricationem legis deum inhonorant. Et ideo hoc ipſo Chriſtiani deteriores ſunt, qui meliores eſſe deberent. Non enim probant quod cõfitentur, & impugnant profeſſionem ſuam moribus ſuis: magis enim damnabilis eſt malitia, quam titulus bonitatis accuſat: & reatus impij eſt, pium nomen. Vnde etiam ſaluatot in Apocalypſi ad tepidum Chriſtianum ait: Vtinam aut calidus eſſes, aut frigidus. Nunc autem quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo. Omnem Chriſtianum dominus fide ac ſpiritu iubet eſſe feruentem. Sic enim ſcriptum eſt: Vt ſimus ſpiritu feruentes, domino ſeruientes. In hoc ergo feruore ſpiritus fidei religio

Nomẽ diuinitatis in blaſphemiam gentium dare.

2. Reg. 12

Fortiſs. petentibus adiumẽtum

Malum peculiare Chriſtianis

Rom. 2

Malitia ſub titulo bonitatis

Apoc. 3

Rom. 12

ſæ ardor oſtenditur, de quo ardore qui plurimum habet, feruens eſſe agno-
ſcitur & fidelis. Qui nihil omnino habet, & frigidus eſſe intelligitur ac pa-
ganus. Qui uero inter utrunque uel neutrum eſt, tepidus atque exoſus eſt
domino Chriſtianus, & ideo ad eum dicitur: Vtinam aut calidus eſſes, aut
Euomere frigidus, nunc quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo. hoc eſt di-
quid cere: Vtinam aut calorem, ac fidem haberes bonorum Chriſtianorum,
aut certe frigus & ignorantiam paganorum: aut enim fides te calida deo
inſinuaret, aut certe ad præſens adhuc legis ignorantia aliquatenus excuſa-
ret. Nunc autem quia Chriſtum iam agnouiſti, & negligis quem agnoui-
ſti, qui ſuſceptus es quaſi intra os dei per fidei agnitionem, proijcieris per
teporem. Quod quidem etiam beatus apoſtolus Petrus euidenter expo-
2.Pet.2 ſuit, dicens de uitioſis & tepidis, id eſt male uiuentibus Chriſtianis: Me-
lius erat illis non cognoſcere ueritatem, quàm cognoſcentibus retrorſum re
Prouerbium flecti à tradito ſibi mandato. Contigit illis res ueri prouerbij: Canis reuer-
ſus ad ſuum uomitum, & ſus lota in uolutabro luti. Quod ut euidenter de
his dictũ intelligamus, qui ſub Chriſtiano nomine in ſordibus mũdi atq;
impuritatibus uiuũt, audi quid eiſdem in eodem loco dicat: Si enim, inquit,
refugientes coinquinationes mundi in agnitionem domini noſtri & conſer
uatoris Ieſu Chriſti his rurſus impliciti ſuperantur, facta ſunt illis nouiſſi-
ma peiora prioribus. Quod quidem & beatus apoſtolus Paulus eodẽ mo
Rom.2 do dicit: Circuncisio quidem prodeſt, ſi legem cuſtodias: ſi autem præuari-
Circũciſio eſt cator legis ſis, circunciſio tua præputium facta eſt. Circunciſionem autem
Chriſtianitas. Chriſtianitatem intelligendam ipſe euidentiſſime docet, dicens: Nos enim
Phil.3 ſumus circunciſio, qui ſpiritu dei ſeruimus, & non in carne confidimus. Ac
per hoc uidemus, quod malos Chriſtianos paganis comparat: nec compa
Rom.2 rat tantum, ſed penè poſtponit, dicens: Si autem præputium legis iuſtitias
cuſtodiat, nónne præputium illius in circunciſionem reputabitur, & iudica-
bit id quod ex natura eſt præputiũ, legem conſummans, te qui per literam
& circũciſionem præuaricator legis es? Ac per hoc intelligimus, ut ſupra di
xi, culpabiliores multo plus nos eſſe, qui legẽ dei habemus & ſpernimus, q̃
illos qui nec habẽt omnino, nec norunt. Nemo enim ignota cõtemnit. Con
& 7 cupiſcẽtiã quippe Apoſtolus neſciebã inquit, niſi lex diceret, nõ cõcupiſces.
Neq; enim præuaricantẽ à lege quam non habent, quia, ut ſcriptum eſt, ubi
non eſt lex, nec præuaricatio. Ac per hoc, ſi non præuaricantur à lege quam
non habent, ergo nõ contemnunt legis ſcita quæ nõ habent: quia nemo, ut
Nemo cõtem- dixi, poteſt deſpicere quod neſcit. Nos ergo & contemptores pariter & prę
nit quod ne- uaricatores ſumus: ac per hoc paganis deteriores, quia illi non norunt dei
ſcit mandata, nos nouimus: illi ea non habent, nos habemus: illi inaudita non
faciunt, nos lecta calcamus. Et ideo apud illos ignorantia eſt, apud nos prę
uaricatio, quia minoris criminis reatus eſt legem neſcire quàm ſpernere.

SALVIA-

SALVIANI MASSYLIENSIS EPISCOPI DE VERO IVDICIO ET PROVIDENTIA DEI, LIBER QVINTVS.

SCIO infideliſſimos quoſque & ueritatis diuinæ incapa/
ces dicere aduerſum hæc poſſe quæ diximus. Si tantus ſit
Chriſtianorum infidelium reatus, ut plus peccent præter
mittentes mandata domini quæ ſciant, ꝙ paganæ gen/
tes, quæ neſciant: ſalubriorem his fuiſſe ignorantiam ꝙ
agnitionem, & contra eos eſſe admodum quod agnoue/
rint ueritatem. Quibus hoc reſpondendum eſt, non ueritatem his obeſſe,
ſed uitia: nec legem nocere, ſed mores: deniq; mores boni, & legisſcita pro
nobis ſunt. Tolle uitia, lex prodeſt: Scimus eñ, inquit Apoſtolus, quia bo/ 1. Tim. 1
na eſt lex, ſi quis ea legitime utatur. Legitime itaq; lege utere, & legem tibi
bonã ipſe feciſti. Scimus enim, inquit, quia lex eſt bona, ſi quis ea legitime
utatur, ſciens hoc, quod iuſto nõ eſt lex poſita: ac per hoc iuſtus eſſe incipe,
& eris liber à lege: quia non poteſt uenire lex contra mores, quæ iam habe/
tur in moribus. Scimus ergo, inquit, quia lex bona eſt, ſi quis ea legitime
utatur, ſciens hoc quod iuſto non eſt lex poſita, ſed iniuſtis: & non ſubditis,
ſed ſceleratis & impijs, & peccatoribus, & ſi quod aliud ſanæ doctrinæ ad/
uerſatut, ac pet hoc non tam lex tibi ô homo, quàm tu legi aduerſaris: nec
lex contra te bene præcipiendo, ſed tu cõtra legem male uiuendo agis, imò
illa pro te eſt, tu contta illam: illa enim tibi conſulit ſancta dicendo, tu con/
tra illam uenis praua faciendo: nec contra illam tantum, ſed etiam cõtra te,
quia in illa ſalus & uita tua eſt. Ac pet hoc dum legem diuinam deſeris, ſa/
lutem propriã relinquis. Non aliter ergo nos de dominica lege querimur,
quàm queri de optimo medico impatiens ægrotus ſolet, qui cum ingraue/ *Simile*
ſcere ſibi morbos fecerit uitio ſuo, imperitiam medentis accuſat. Quaſi ue/
ro curare ullam infirmitatẽ præcepta poſſint, ſi eis non obedierit infirmus:
aut ſanare quempiam obſeruãtia ualeat, quam medicus ei imperat, ſi eam
ſibi ægrotus ipſe non præſtat. Quid iuuat ſtomachũ abſtinentia, ſi ſtatim
dulcia ſubſequãtur? Quid cõferunt phrenetico ſilentia, quẽ ſtatim ſuus cla/
mor occidit? aut quid prodeſſe poterit antidotũ, cui ſuperfunditur uenenũ?
Et nobis itaq; lex eſt antidotũ, ſed uitioſitas uenenũ. Sanare nos nõ poteſt
legis antidotũ, quos occidunt uenena uitiorũ. Sed iam de his & antea ſa/
tis diximus: & ſi ita res poſtulauerit, etiam poſt hæc iuuante deo aliqua di/
cemus. Interim quia duo ſuperius barbarorũ genera uel ſectas eſſe memo/
rauimus, paganorũ atq; hæreticorũ, quia de paganis iam, ut arbitror, ſatiſ/
fecimus, de hæreticis quoq;, ut cauſa poſcit ſubijciamus. Poteſt enim quiſ/ *Hæretici*
piam dicere, Etiãſi à paganis lex diuina nõ exigat, ut mandata faciant quæ
nõ ſciunt, certe ab hæreticis exigit qui ſciũt: eadẽ enim etiã illos legere quæ

nos legimus, eoſdē apud illos prophetas dei, eoſdē apoſtolos, eoſdē Euangeliſtas eſſe, ac per hoc aut nō minus ab illis legem negligi quàm à nobis, aut etiam multo magis: quia cum eadem legant ſcripta quæ noſtri, multa faciunt deteriora quàm noſtri. Vtrunq; ergo uideamus. Eadem, inquis, legunt, quæ à nobis legūtur. Quomodo eadem, quæ ab autoribus quondam malis & male ſunt interpollata, & male tradita? Ac per hoc iam non eadē, quia non poſſunt penitus dici ipſa, quæ ſunt in aliqua ſui parte uitiata. Incolumitatem enim non habent, quæ plenitudinem perdiderunt: nec ſtatū ſuum omnino ſeruant, quæ ſacramētorū uirtute priuata ſunt. Nos ergo tantum ſcripturas ſacras plenas, inuiolatas, integras habemus, qui eas uel in fonte ſuo bibimus, uel certe de puriſſimo fonte hauſtas ꝑ miniſteriū puræ translationis haurimus: nō tantūmodo bene legimus, atq; utinam q̄ bene legimus tā bene impleremus. Sed uereor, quod qui non bene obſeruamus, nec bene lectitemus: quia minor reatus eſt ſancta non legere, q̄ lecta uiolare. Cæteræ quippe nationes, aut nō habent legē dei, aut debilem aut conuulneratā habent, ac per hoc, ut diximus, nō habent quę ſic habent. Nā etſi qui gentiū barbararū ſunt, qui in libris ſuis minus uideanť ſcripturā ſacrā interpollatam habere uel laceram: habent tamen ueterū magiſtrorū traditionem corruptā, ac per hoc traditionem potius q̄ ſcripturam habēt: quia hoc non retinent, quod ueritas legis ſuadet, ſed quod prauitas malæ traditionis inſeruit. Barbari quippe homines Romanæ, immo potius humanæ eruditionis expertes, qui nihil omnino ſciūt, niſi quod à doctoribus ſuis audiunt: quod audiunt hoc ſequuntur, ac ſic neceſſe eſt eos qui totius literaturæ ac ſcientiæ ignari, ſacramētū diuinæ legis doctrina magis q̄ lectione cognoſcunt, doctrinā potius retinere, q̄ legem. Itaq; traditio eis magiſtrorū ſuorū & doctrina inueterata, quaſi lex eſt, qui hoc ſciunt quod docenť: hæretici ergo ſunt, ſed non ſcientes. Deniq; apud nos ſunt hæretici, apud ſe nō ſunt. Nam intantū ſe catholicos eſſe iudicant, ut nos ipſos titulo hæreticæ appellationis infament. Quod ergo illi nobis ſunt, hoc & nos illis. Nos eos iniuriā diuinæ generationi facere certi ſumus, quod minorē patre filium dicant. Illi nos iniurioſos patri exiſtimant, quia æquales eſſe credamus. Veritas apud nos eſt, ſed illi apud ſe eſſe præſumunt. Honor dei apud nos eſt, ſed illi hoc arbitranť honorē diuinitatis eſſe quod credunt. Inofficioſi ſunt, ſed illis hoc eſt ſummū religionis officiū. Impij ſunt, ſed hoc putāt uerā eſſe pietatem. Errant ergo, ſed bono animo errant, non odio, ſed affectu dei, honorare ſe deū atq; amare credentes. Quamuis nō habeant rectam fidē, illi tamen hoc perfectā dei exiſtimant charitatem. Qualiter pro hoc ipſo falſæ opinionis errore in die iudicij puniendi ſint, nullus poteſt ſcire niſi iudex. Interim idcirco eis, ut reor, patientiā deus cōmodat, quia uidet eos, etſi non recte credere, affectu tamen piæ opinionis errare: maxime cū ſciat eos ea facere

Miniſteriū puræ translationis

cere

cere quæ neſciunt,noſtros aũt negligere quod credunt:ac per hoc illos magiſtrorũ peccare uitio, noſtros ſuo:illos ignorantes,noſtros ſcientes:illos facere quod putẽt rectũ,noſtros quod ſciant eſſe peruerſum.Et ideo iuſto iudicio illos patientia dei ſuſtinet, nos animaduerſione caſtigat: quia ignoſci aliquatenus ignorantiæ poteſt, cõtemptus ueniã non meret. Sic enim ſcriptum eſt:Seruus qui neſcit uoluntatem domini ſui,& nõ facit eam,uapulabit paucis:qui aũt ſcit eam,& non facit, uapulabit multis. Non ergo miremur,quod multis cædimur,quia nõ inſcientia,ſed rebellione peccamus. Scientes enim bona nõ bene agimus,& diſcretionem recti ac praui intelligentes praua ſectamur:legem legimus,& legitima calcamus:& ad hoc tantum præceptorũ ſacrorũ ſcita cognoſcimus,ut grauius poſt interdicta peccemus. Deũ colere dicimus nos,& diabolo obtemperamus. Et poſt hæc uolumus ut bona à deo accipiamus,cũ mala ſemper malis addamus:fieri uolũtatem noſtrã à deo cupimus, cũ dei nos facere nolimus, quaſi nos ſuperiores deo eſſemus agimus. Volumus ut uoluntati noſtræ deus iugiter pareat,cum omnes nos uoluntati eius iugiter repugnemus.Sed ille iuſtus eſt,licet nos ſimus iniuſti. Caſtigat enim quos caſtigandos putat, patiẽ quos putat eſſe patiendos. Vtrunq; ad unã rem uult proficere, ut & caſtigatio in catholicis peccandi refrenet libidinẽ, & quãdoq; hæreticos patientia dei faciat plenã fidei noſcere ueritatẽ: maxime cũ ſciat eos forſitan catholica nõ indignos fide,quos uideat catholicis uitæ cõparatione pręſtare. Omnes aũt iſti de quibus loquimur,aut Vuandali ſunt aut Gothi. Nam de Romanis hæreticis quorũ innumera multitudo eſt, nihil dicimus, neq; aut Romanis eos, aut barbaris cõparamus,quia & infidelitate Romanis ſunt deteriores,& fœditate uitæ barbaris turpiores.Sed hęc nos nõ ſolũ nõ iuuãt,ſed etiã ſupra id q̃d à nobis ipſis eſt grauamen,grauant,quia & ij quos tales cauſamur eſſe, Romani ſunt. Vnde intelligere poſſumus quid mereatẽ Romana Reſp. cũ pars Romanorũ offendat deũ uita,pars & infidelitate pariter & uita,ſaluo eo quod etiã ipſę quondã hæreſes barbarorũ de Romani magiſterij prauitate fluxerũt. Ac perinde etiã hoc noſtrũ crimẽ eſt, q̃ populi barbarorum hęretici eſſe cœperũt.Porrò aũt quãtũ ad cõuerſationẽ Gothorũ,aut Vuandalorũ pertinet:quid eſt in q̃ eis aut præponere nos,aut etiã cõparare poſſimus? Ac primũ ut de affectu & charitate dicã, quã præcipuã dominus docet eſſe uirtutẽ,& quã nõ ſolũ ꝑ omnes ſcripturas ſacras, ſed etiã per ſe ipſe cõmẽdat,dicẽs: In hoc ſcieẽ quod diſcipuli mei eſtis,ſi uos inuicẽ diligatis. *Ioan.13* Omnes ſe ferè barbari,q modo ſunt unius gẽtis & regis,mutuo amant. Omnes penè Romani ſe mutuo perſequunẽ. Quis em̃ ciuis nõ inuidet ciui? Quis em̃ plenã uicino exhibet charitatẽ? Omnes quippe à ſe, etſi loco nõ abſunt,affectu abſunt: etſi habitatione iũgunẽ,mẽte diſiũcti ſunt. Atq; utinã hoc licet ſit peſſimũ malũ,utinã ciues tantũ atq; uicini: illud eſt grauius,

Luce 12 (margin, beside "uapulabit")

quod nec propinqui quidem propinquitatis iura conſeruant. Quis enim ſe
proximis ſuis proximũ reddit? Quis ſoluit charitati quod ſe cognoſcit de-
bere uel nomẽ? Quis hoc eſt animo quo uocat̃, quis tam propinquus cor-
de quàm ſanguine, in quo non liuidus maleuolentiæ zelus ardet, cuius non
ſenſum liuor inuaſit, cui non proſperitas aliena ſupplicium eſt? Quis non
bonum alterius, malum ſuũ credit? Cui ita ſufficit felicitas ſua, ut etiam ali-
Inæſtimabi um uelit eſſe felicem? Nouum & inæſtimabile, nũc in plurimis malum eſt.
le malum Parum alicui eſt, ſi ipſe ſit felix, niſi alter fuerit infelix. Iam uero illud quale,
quàm ſæuum, ex hac ipſa impietate deſcendens, quàm alienum à barbaris,
quàm familiare Romanis, quod ſe inuicem exactione proſcribunt: immo
non inuicem, nam hoc tolerabilius fermè eſſet, ſi pateretur quiſq; quod fe-
Exactiones cerat: illud eſt grauius quod plurimi proſcribuntur à paucis, quibus exa-
ctio publica peculiaris eſt præda, qui fiſcalis debiti titulos faciunt quæſtus
eſſe priuatos: & hoc non ſummi tantum, ſed penè infimi. Non iudices ſo-
lum, ſed etiam iudicibus obſequentes. Quæ enim ſunt nõ modo urbes, ſed
etiã municipia atq; uici, ubi non quot curiales fuerint tot tyranni ſint? quan
quam forte hoc nomine ſibi gratulentur, quia potens & honoratus etiã ui-
detur. Nã & latrones fermè omnes gaudẽt & gloriant̃, ſi atrociores admo-
dum ꝙ ſunt eſſe dicant̃. Quis ergo, ut dixi, locus eſt ubi nõ à principalibus
Sancti ciuitatũ, uiduarũ, & pupillorũ uiſcera deuorent̃, & cũ his fermè ſanctorum
omniũ? Nam & hos quaſi uiduas & pupillos habent, quia tueri ſe aut pro
ſtudio profeſſionis ſuæ nolunt, aut innocentia atq; humilitate nõ poſſunt.
Nemo itaq; tutus horum eſt, nec ullus admodum præter ſummos à uaſta
tione latrocinij populantis immunis, niſi qui ipſis latronibus par eſt in hac
Mali tantum conditione: immo in hoc ſcelus res deuoluta eſt, ut niſi quis malus fuerit, ſal
ſalui uus eſſe non poſſit. Sed uidelicet cum tot ſint qui bonos uaſtant, ſunt for-
Pſal. 81 taſſe aliqui, qui in hac uaſtatione ſuccurrant, qui, ut ſcriptũ eſt, eripiant ege-
& 52 num, & pauperem de manu peccatoris. Non eſt qui faciat bonum, non eſt
Bonorum penè uſq; ad unum. Ideo dixi penè uſq; ad unum, quia tanta eſt raritas bo
raritas norũ, ut penè unus eſſe uideat̃. Quis enim uexatis atq; laborãtibus opem
tribuat, cum improborum hominum uiolentiæ etiam ſacerdotes domini
non reſiſtant? Nam aut tacent plurimi eorum, aut ſimiles ſunt tacentibus
etiam ſi loquantur, & hoc multi nõ inconſtantia, ſed conſilio, ut putant, atq;
ratione. Exertam enim ueritatem proferre nolunt, quia eam aures impro-
borum hominum ſuſtinere non poſſunt: nec ſolum refugiunt, ſed etiam
odiunt & execrantur: & non modo auditam non reuerentur aut metuunt,
ſed maiore etiam ſuperbientis peruicaciæ perduellione contemnunt. Et
ideo tacent etiam qui loqui poſſunt, dum ipſis interdum male parcunt: nec
uolũt eis uim apertæ promere ueritatis, ne faciant eos ingeſta acrius uerita
te peiores. Interea uaſtantur pauperes, uiduæ gemũt, orphani proculcant̃
intantum,

intantum, ut multi eorum & non obſcuris natalibus editi, & liberaliter inſtituti ad hoſtes fugiant, ne perſecutionis publicæ afflictione moriantur: quærentes ſcilicet apud barbaros Romanam humanitatem, quia apud Romanos barbaram inhumanitatem ferre nõ poſſunt. Et quamuis ab his ad quos confugiunt diſcrepent ritu, diſcrepent lingua, ipſo etiam, ut ita dicam, corporum atq; induuiarum barbaricarũ fœtore diſſentiant, malunt tamen in barbaris pati cultum diſſimilem, quàm in Romanis iniuſtitiam ſæuientem. Itaq; paſſim uel ad Gothos, uel ad Baogandas, uel ad alios ubicq; dominantes barbaros migrant, & cõmigraſſe non pœnitet. Malunt enim ſub ſpecie captiuitatis uiuere liberi, quàm ſub ſpecie libertatis eſſe captiui. Itaq; nomen ciuium Romanorũ aliquando nõ ſolũ magno æſtimatum, ſed magno emptum, nunc ultro repudiatur ac fugitur: nec uile tantũ, ſed etiã abominabile penè habetur. Et quod eſſe maius teſtimoniũ Romanæ iniquitatis poteſt, q̃ quod pleriq; & honeſti, & quibus Romanus ſtatus ſummo & ſplendori eſſe debuit & honori, ad hoc tamen Romanæ iniquitatis crudelitate compulſi ſunt ut nolint eſſe Romani? Hinc eſt etiã, quod hi qui ad barbaros non confugiunt, barbari tamen eſſe coguntur, ſcilicet ut eſt pars magna Hiſpanorũ, minima Gallorũ. Omnes deniq; quos per uniuerſum Romanũ orbem fecit Romana iniquitas iam non eſſe Romanos: de Baogandis nunc mihi ſermo eſt, qui per malos iudices & cruentos ſpoliati, afflicti, necati, poſtq̃ ius Romanæ libertatis amiſerãt, etiã honorem Romani nominis perdiderant. Et imputaẽ his infelicitas ſua, imputamus his nomẽ calamitatis ſuæ, imputamus nomen quod ipſi fecimus. Vocamus rebelles, uocamus perditos, quos eſſe cõpulimus criminoſos. Quibus enim alijs rebus, Baogandæ facti ſunt, niſi iniquitatibus noſtris, niſi improbitatibus iudicũ, niſi eorũ proſcriptionibus & rapinis, qui exactionis publicę nomen in quæſtus proprij emolumenta uerterant, & indictiones tributarias prædas ſuas etiã fecerunt: qui in ſimilitudinem immanium beſtiarum non rexerunt traditos ſibi, ſed deuorarunt: ne dum ſpolijs hominum, ut pleriq; latrones ſolent, ſed laceratione etiã, &, ut ita dicam, ſanguine paſcebantur: ac ſic actum eſt, ut latrocinijs iudicum ſtrãgulati homines & necati, inciperent eſſe quaſi barbari, quia non permittebantur eſſe Romani: acquieuerunt enim eſſe quod non erant, quia non permittebantur eſſe quod fuerant: coactiq́ue ſunt ſaltem uitam defendere, quia iam libertatem uidebant penitus perdidiſſe. Aut quid aliud etiam nunc agitur, quàm tunc actum eſt, id eſt, ut qui adhuc Baogandæ non ſunt, eſſe cogantur: quantum enim ad uim atq; iniurias pertinet compelluntur, & uolunt eſſe, ſed imbecillitate impediuntur ut non ſint. Sic ſunt ergo, quaſi captiui iugo hoſtium preſſi: tolerant ſupplicium neceſſitate, non uoto: animo deſiderant libertatem, ſed ſummam ſuſtinent ſeruitutem: ita ergo & cum omnibus fermè humilioribus

agitur.

Margin notes: Baogandæ — 2 Ciuium Romanorum nomen

agitur. Vna enim re ad duas diuerſiſſimas coartantur: ſumma ſeruitus exigit,ut aſpirare ad libertatem uelint, ſed eadem uis poſſe non ſinit,quæ uelle compellit. Sed imputari his poſſet forſitan, quod hoc uelint homines, qui nihil magis cuperent,quàm ne cogerentur hoc uelle. Summa enim infelicitas eſt quod uolunt. Nam multo cum his melius agebatur,ſi nõ compellerentur hoc uelle.Sed quid poſſunt aliud fieri miſeri,qui aſſiduum,imò continuum exactionis publicæ patiuntur excidiũ,quibus imminet ſemper grauis & indefeſſa proſcriptio,qui domos ſuas deſerant, ne in ipſis domibus torqueãtur? Exilia petunt,ne ſupplicia ſuſtineant. Leuiores his hoſtes quàm exactores ſunt: & res ipſa hoc indicat,ad hoſtes fugiunt,ut uim exactionis euadant. Et quidem hoc ipſum quamuis durum & inhumanũ, minus graue tamen atq; acerbum erat,ſi omnes æqualiter atq; in cõmune tolerarent.Illud indignius ac pœnalius, quod omnia non omnes ſuſtineant: imò quod pauperculos homines tributa diuitum premant, & infirmiores ferunt ſarcinas fortiũ:nec alia cauſa eſt quod ſuſtinere nõ poſſunt, niſi quia maior eſt miſerorum ſarcina q̃ facultas.Res diuerſiſſimas diſſimillimasq; patiuntur, inuidiam & egeſtatem.Inuidia eſt enim in ſolutione, egeſtas in facultate.Si reſpicias quod defendũt,abundare arbitreris: ſi reſpicias quod habent, egere reperies. Quis exiſtimare rem huius iniquitatis poteſt? Solutionem ſuſtinent diuitum, & indigentiam mendicorum: plus multo eſt quod dicturus ſum,indictiones tributarias ipſi interdũ diuites faciunt, pro quibus pauperes ſoluunt.Sed dicas,cum ipſorũ maximus cenſus ſit,& ipſorum maximæ penſiones,quomodo id fieri poteſt,ut ipſi ſibi augeri debitũ uelint? neq; ego id dico quod ſibi augeant.Nam & ideo augent,quia nõ ſibi augent. Dicã quomodo: Veniũt plerũq; noui nuncij nouarũ epiſtolarũ à ſummis ſublimitatibus miſſi, qui cõmendant illuſtribus paucis ad exitia plurimorũ:decernunt his noua munera,decernũtur nouæ indictiones, decernũt potentes,q̃d ſoluant pauperes,decernit gratia diuitũ,q̃d perdat turba miſerorũ.Ipſi enim in nullo ſentiũt quod decernunt.Sed non poſſunt,inquis,nõ honorari,& liberalius accipi,q fuerint à maioribus miſſi. Eſtote ergo uos diuites primi in cõferendo,qui eſtis primi in decernendo.Eſtote primi in largitate rerũ,qui primi eſtis in liberalitate uerborũ.Qui das de meo, da & de tuo:tametſi rectiſſime quiſquis ille es,qui ſolus uis capere gratiã,ſolus patereris expenſam. Sed acquieſcamus pauperes ueſtræ diuites uolũtati,q̃d pauci iubetis,ſoluamus omnes. Quid tã iuſtũ,quid tã humanũ? grauant nos nouis debitis decreta ueſtra,facite ſaltẽ debitũ ipſum nobiſcũ eſſe cõmune.Quid enim iniquius eſſe aut indignius poteſt,q̃ ut ſoli ſitis immunes à debito,qui cunctos facitis debitores? Et quidem miſerrimi pauperes ſic totum hoc quod diximus ſoluunt, quod qua re uel qua ratione ſoluant penitus ignorant. Cui enim licet diſcutere cur ſoluatur, aut cui permittitur

explorare

explorare quod debeat? ſed tunc id euidentiſſime proditur, cum inuicem ſi bi diuites iraſcuntur, cum indignantur aliqui eorum, quod ſine cõſilio ac tra ctatu ſuo aliqua decreta ſint: tunc à quibuſdã eorum audias dici, ô facinus indignum, duo aut tres ſtatuunt quod multos necet, à paucis potentibus decernitur, quod à multis miſeris depẽdatur. Honori enim ſuo unuſquiſq; diuitum hoc præſtat, ut nolit aliquid ſe abſente decerni: non iuſtitiæ, ut ini qua nolit ſe præſente conſtitui. Deniq; quod in alijs reprehendunt, ipſi po ſtea aut pro contemptus præteriti ultione, aut pro poteſtatis præſumptio ne cõſtituunt. Ac per hoc infeliciſſimi pauperes ſic ſunt quaſi inter cõcertan tes procellas in medio mari poſiti, nunc iſtorũ ſcilicet, nunc illorũ fluctibus obruuntur. Sed uidelicet qui in hac parte iniqui ſunt, in alia moderati inue niuntur & iuſti: ac prauitatẽ unius rei, alterius probitate cõpẽſant. Nã ſicut in onere nouarũ indictionũ pauperes grauant, ita in nouorũ remediorum opitulatione ſuſtentant. Sicut tributis nouis minores maxime deprimunt, ſic remedijs nouis maxime ſubleuantur. Imò par eſt iniquitas in utroque. Nam ſicut ſunt in aggrauatione primi pauperes, ita in releuatione poſtre mi. Si quando enim, ut nuper factum eſt, defectis urbibus imminuẽdas in aliquo tributarias functiones potentes ſumme exiſtimauerunt, illico reme dium cunctis datum, ſoli inter ſe diuites partiuntur. Quis tunc pauperum meminit, quis ad communionem beneficij humiles & egeſtuoſos uocat, quis eum qui primus eſt ſemper in ſarcina, uel ultimo eſſe loco patitur in medela? Et quid plura? tributarij omnino pauperes non putantur, niſi cum his tributi cumulus imponitur. Extra numerum autem tributariorum ſunt, cum remedia diuiduntur. Et putamus, quod pœna diuinæ ſeueritatis indi gni ſumus, cum ſic nos ſemper pauperes puniamus: aut credimus cum ini qui nos iugiter ſimus, quod deus iuſtus in nos omnino eſſe non debet? Vbi enim, aut in quibus ſunt niſi in Romanis tantum hæc mala, quorum iniuſtitia tantum niſi ueſtra? Franci enim hoc ſcelus neſciunt, Hunni ab his ſceleribus immunes ſunt. Nihil horum eſt apud Vuandalos, nihil horum apud Gothos. Tam longe enim eſt, ut hæc inter Gothos barbari tole rent, ut ne Romani quidem, qui inter eos uiuunt iſta patiantur. Itaque unum illic Romanorum omnium uotum eſt, ne unquam eos neceſſe ſit in ius tranſire Romanum. Vna & conſentiens illic Romanæ plebis ora tio, ut liceat eis uitam quam agunt, agere cum barbaris. Et miramur, ſi non uincantur à noſtris partibus Gothi, cum malint apud eos eſſe quàm apud nos Romani. Itaque non ſolum transfugere ab eis ad nos fratres noſtri omnino nolunt, ſed ut ad eos confugiant, nos relinquunt. Et quidem mi rari ſatis non poſſum, quod hoc non omnes omnino faciunt tributarij pau peres & egeſtuoſi, niſi quod una cauſa tantũ eſt qua nõ faciunt, quia tranſ ferre illuc reculas atq; habitatiũculas ſuas familiasq; nõ poſſunt. Nam cũ

pleriq;

pleriq; eorum agellos ac tabernacula ſua deſerant, ut uim exactionis eua-
dant: quomodo non quæ cōpelluntur deſerere uellent, ſed ſecum ſi poſſibi-
litas pateretur auferrēt? ergo quia hoc nō ualent quod forte mallent, faciūt
quod unū ualent. Tradunt ſe ad tuendū protegendumq; maioribus, & de-
dititios ſe diuitū faciunt, & quaſi in ius eorū ditionemq; tranſcendunt. Nec
tamen graue hoc eſſe aut indignum arbitrarer, imò potius gratularer hanc
potentum magnitudinem quibus ſe pauperes dedunt, ſi patrocinia iſta nō
uenderent, ſi quod ſe dicunt humiles defenſare, humanitati tribuerent non
cupiditati. Illud graue ac peracerbum eſt, quod hac lege tueri pauperes ui-
dentur ut ſpolient: hac lege defendunt miſeros, ut miſeriores faciant defen-
dendo: Omnes enim hi, qui defendi uidentur, defenſoribus ſuis omnem ſe
rè ſubſtantiam ſuam prius quàm defendantur addicunt: ac ſic, ut patres ha
beant defenſionem, perdunt filij hæreditatem. Tuitio parentum, mendici-
tate pignorum comparatur. Ecce quæ ſunt auxilia ac patrocinia maiorum.
Nihil ſuſceptis tribuunt, ſed ſibi hoc etiā pacto aliquid à parētibus tempo
rarie attribuitur, ut in futuro totū filijs auferatur. Vendunt utiq; & quidem
grauiſſimo precio uendunt, maiores quidā, cunctaq; pręſtant. Et quid dixi
uendūt? utinā uenderēt uſitato more atq; cōmuni, aliquid forſitan remane

Nouū genus uenditionis et emptionis

ret emptoribus. Nouū quippe hoc genus uēditionis & emptionis eſt, Ven
ditor nihil dat, & totū accipit. Emptor nihil accipit, & totū penitus amittit.
Cumq; fermè omnis cōtractus hoc in ſe habeat, ut inuidia penes empto-
rem, inopia penes uenditorem eſſe uideat: quia emptor emit ad hoc ut ſub
ſtantiam ſuam augeat, uenditor ad hoc uendit ut minuat: inauditū hoc cō-
mercij genus eſt, uenditoribus creſcit facultas, emptoribus nihil remanet ni
ſi ſola mendicitas. Nam illud quale? quàm nō ferendū? & quod nō dicam
pati humanæ mentes, ſed quod audire uix poſſunt: quod pleriq; paupercu
lorum atq; miſerorū ſpoliati reculis ſuis, & exterminati ab agellis ſuis cum
4 rem amiſerint, amiſſarū tamen rerum tributa petuntur: cū poſſeſſio ab his
receſſerit, capitatio non recedit. Proprietatibus carent, & uectigalibus obru
untur. Quis æſtimare hoc malum poſſit, rebus eorum incumbunt inuaſo-
res, & tributa miſeri pro peruaſoribus ſoluunt. Poſt mortem patris nati, ob
ſequijs iuris poſthumi, iuris ſui agellos nō habent, & ad agrorū munus ene
cantur. Ac per hoc quid aliud ſceleribus tātis agitur, niſi ut qui priuata per-
uaſione nudati ſunt, publica afflictione moriant: & quibus rem deprædа-
tio tulit, uitā tollat exactio? Itaq; nōnulli eorū de quibus loquimur, qui aut
conſultiores ſunt, aut quos cōſultos neceſſitas fecit, cum domicilia atq; agel
los ſuis aut peruaſoribus perdunt, aut fugati ab exactoribus deſerūt, quia

Simile

tenere non poſſunt, fundos uiarum expetunt, & coloni diuitū fiunt. Aut ſi-
cut ſolent hi qui hoſtium terrore cōpulſi, ad caſtella ſe cōferunt, aut qui per
dito ingenuę incolumitatis ſtatu ad aſylū aliquod deſperatione cōfugiunt:

ita

ita & iſti qui habere amplius uel ſedem, uel dignitatem ſuorum natalium
non queunt, iugo ſe inquilinæ abiectionis addicũt: in hanc neceſſitatem re
dacti, ut exactores non facultatis tantum, ſed etiam conditionis ſuæ, atque
exulantes non à rebus tantum ſuis, ſed etiam à ſeipſis, ac perdentes ſecum
omnia ſua, & rerũ proprietate careãt, & ius libertatis amittant. Et quidem
quia ita infelix neceſſitas cogit, ferenda utcunq; erat extrema ſors eorum, ſi
nõ eſſet aliquid extremius. Illud grauius & acerbius, quod additur huic ma
lo ſeruilius malum. Nam ſuſcipiuntur aduenæ, fiunt præiudicio habitatio-
nis indigenæ, exemplo quodam illius maleficæ potẽtis, quæ transferre ho- 5
mines in beſtias dicebatur. Ita & iſti omnes, qui intra fundos diuitum reci-
piuntur, quaſi Circei poculi transfiguratione mutantur. Nam quos ſuſcipi
unt ut extraneos & alienos, incipiunt habere quaſi proprios: quos eſſe con-
ſtat ingenuos, uertunt in ſeruos. Et miramur, ſi nos barbari capiunt, cum
fratres noſtros nos faciamus eſſe captiuos. Nil ergo mirum eſt, tot uaſta-
tiones atque excidia ciuitatum: diu id plurimorum oppreſſione elaboraui-
mus, ut captiuãdo alios etiam ipſi inciperemus eſſe captiui. Sentimus enim
etſi tardius multo quàm merebamur, ſentimus tamen illa quæ fecimus, &
iuxta ſermonem ſacrum, labores manuum noſtrarum manducamus, ac iu- Pſal.127
ſto iudice deo ſoluimus quæ debemus. Miſerti quippe exulum non ſumus,
ecce ipſi exules ſumus: peregrinos fraude cepimus, ecce ipſi peregrinamur.
Præiudicijs temporum ingenui ſtatus homines circumuenimus, ecce ipſi
nuper quidẽ in alieno ſolo uiuere cœpimus, ſed præiudicia iam timemus.
Et ô quanta eſt infideliſſimarum mentium cæcitas: damnationem perferi-
mus iudicantis dei, & necdum nos agnoſcimus iudicari. Et mirantur aliqui
ſanctorum, quod exemplo noſtro cæteri non emendentur, qui nihil adhuc
tale tolerarunt, cum tormentis noſtrarum iniquitatum nec ipſi quidem qui
iam à deo plectimur corrigamur. O ſuperbiam non ferendam, plurimi pœ
nas peccatorum ſuorum perferunt, & intelligere cauſas peccatorum nemo
dignatur. Sed eſt cauſa euidens, quæ hanc ſuperbiam facit: ſcilicet quia etſi
aliqua iam patiamur, nondum tamen patimur qualia meremur. Tanta eſt
enim miſericordia dei, ut & ſi nos uult pati aliqua de piaculis noſtris, nolit
tamen cuncta tolerare: quia caſtigat malos, non reddit mala: agnoſcere
nos peccata noſtra mauult, quàm ſuſtinere: ſcilicet ut & pijs ac ſalubribus
flagellis oſtendat nobis quæ ferre mereamur, ſed tamen non inferat quæ
meremur, iuxta illud ſcilicet beati Apoſtoli dictum, quo ait: Ignoras quo- Rom.2
niam bonitas dei ad pœnitentiam te adducit? ſecũdum duritiam tuam, &
impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ. Et uere ita agimus, ut di-
cit Apoſtolus: Deus enim uocat nos ad pœnitentiam, ſed nos theſauriza-
mus iram. Deus nos inuitat ad ueniam, ſed nos quotidie cumulamus of-
fenſam. Vim deo facimus iniquitatibus noſtris, ipſi in nos iram diuinitatis

armamus. Cogimus ad ulciſcendas criminum noſtrorum immanitates nolentem deum. Propè eſt, ut eum non permittamus ut parcat. Nam cum in eum nullum unquam iniuſtitiæ ſignum cadere aut apparere poſſit, ſic agimus, ut ſi enormitates noſtrorum ſcelerum nō ulciſcitur, iniuſtus eſſe uideatur. Sed uidelicet peccator fuit aliquando aliquis, fortaſſe iam non eſt: aut eſt ullus criminū modus, & non prius eſt, ut de uita homines quàm de iniquitate diſcedant. Quis enim nō cum ſuis iniquitatibus moritur, & cū ipſis admodum atque in ipſis ſceleribus ſepelitur? ut uere propheticum illud de his rectiſſime dici poſſit: Sepultura eorum domus eorum in ęternū, & comparati ſunt iumentis inſipientibus, & ſimiles ſunt illis, atq; utinam iumentis. Melius quippe fuerat beluina imprudētia deuiaſſe. Illud peius & criminoſius, quia non ignorantia dei, ſed deſpectione peccarunt. Atq; hoc uidelicet laici tantummodo, non quidam etiam clericorum ſeculares, non multi etiam religioſi, imò ſub ſpecie religionis uitijs ſecularibus mancipati: qui ſcilicet poſt ueterum flagitiorum probroſa crimina titulo ſanctitatis ſibimet inſcripto, non conuerſatione alij, ſed profeſſione nomen tantum demutauere, non uitam: & ſummam diuini cultus habitum magis quàm actum exiſtimantes, ueſtem tantummodo exuere, non mentem. Vnde illi ſe minore inuidia criminoſos putant, qui cum pœnitentiam quaſi egiſſe dicant, ſicut mores priſtinos, ita etiam habitum nō relinquunt. Nam taliter fermè omnia agunt, ut eos non tam putes antea pœnitentiam criminum egiſſe, quàm poſtea ipſius pœnitentiæ pœnitere: nec tam prius pœnituiſſe, quod male uixerint, quàm poſtea quod ſe promiſerint bene uicturos. Sciunt me uerum loqui, & teſtimonium mihi etiam conſcientia ſua dicunt, cum multi alij, tum præcipue illi nouorum honorum religioſi ambitores, & poſt acceptum pœnitentiæ nomen, ampliſſimæ, ac prius non habitæ poteſtatis emptores: adeò non ſeculares tantum, ſed plus etiam quàm ſeculares eſſe uoluerunt, ut non ſufficeret eis quod ante fuerant, niſi plus eſſent quàm fuiſſent. Quomodo igitur tales iſtos pœnitentiam ſe egiſſe non pœnitet? ſicut etiam illos de conuerſione ac deo aliquid cogitaſſe, qui à coniugibus proprijs abſtinentes, à rerum alienarū peruaſione ſe non abſtinuerunt: & cum profiteantur continentiam corporum, in incontinentiam debacchantur animorum. Nouum prorſus eſt conuerſionis genus, licita non faciunt, illicita cōmittunt. Temperant à concubitu, & non temperant à rapina. Quid agis ſtulta perſuaſio? peccata interdixit deus, non matrimonia, non conueniunt ueſtris ſtudijs facta ueſtra: non debetis eſſe amici criminum, qui dicitis uos effectores eſſe uirtutum. Præpoſterum eſt quod agitis, non eſt conuerſio, ſed auerſio: qui iam pridem ut fama eſt, opus etiam honeſti matrimonij reliquiſtis, tandem à ſcelere ceſſate. Et quidem iuſtum eſt, ut ab omni ſcelere: ſed tamen ſi non ab omni, quia hoc fortaſſe durum & impoſſibile eſſe creditis

De uita priuſquàm de iniquitate homines diſcedunt.

Pſal. 48

Religioſi

Veſtem exuunt, nō mentē

ditis,certe uel maximo & prodigioſo. Eſto iuxta te, quicunque ille es, boni manere non ualeant. Eſto pauperes habitare non poſſint. Eſto ſis perſecutor multorum inopum,uaſtatorq; miſerorum.Eſto ſis afflictor omnium,dummodo extraneorum.Tandem quæſo uel tuis parce:& ſi nō omnibus tuis, quia etiam hoc forſitan oneroſum tibi & graue iudicas, ſi omnibus tuis parcas: parce ſaltem uel illis tuis,qui te non affinibus tantum, aut alijs propinquis, ſed perſonis etiam clementiſſimis & pignoribus chariſſimis prætulerunt. Et quid dicam pignoribus ac filijs? prætulerunt te etiam animabus penè ac ſpebus ſuis:non quidem laudabiliter, & errorem ſuum qui ita egit ipſe cognoſcit. Sed quid ad te tamen, cui ipſum hoc præſtitit quod errauit.Hoc enim plus ei debes,quia dilectionis tuæ nimietate peccauit. Cæcus quidem factus eſt affectu tuo, & notatur à cunctis atq; reprehenditur, ſed tu tamen hoc magis ei obnoxius factus es, quia ſe ab omnibus fecit pro tuo amore culpari.Quid ergo ſimile apud barbaros Gothos, quis eorum amantibus nocet?quis diligētem inſequitur? quis chari ſui mucrone iugulatur? tu amantes perſequeris, tu offerentibus munera manus amputas,tu diligentes proximos necas,non metuis,non expauescis. Quid faceres, ſi iudicium dei præſens in proxima flagellatione ſenſiſſes? Addis inſuper & adiungis malis prioribus noua crimina. Conſidera quæ te maneant grauiora facientem, cum minora ſoleant etiam per dæmones uindicari. Contentus eſto iam quæſumus amicorum tuorum ſodalium latrocinijs, ſufficiat uexatos fuiſſe pauperes, ſufficiat ſpoliatos à te fuiſſe medicos, penè iuxta te nullus intrepidus,nullus poteſt eſſe ſecurus:facilius præcipitati ex alpina rupe torrentes, aut incendia uentis agitata tolerantur: non ſic pereūtes,ut ita dixerim,nautæ charybdis uoracitate aut ſcylleis,ut aiunt,canibus deuorantur. Exturbas poſſeſſiunculis ſuis uicinos tuos, habitatione ac facultate proximos tuos. Nunquid, ut ſcriptum eſt, ſuper terram ſolus habitabis? Hoc unum quippe eſt quod obtinere non poteris: quamlibet enim cuncta peruadas,uicinum ſemper inuenies.Reſpice quæſo alios,quos uelis nolis,& ipſe ſuſpicis.Reſpice alios,quos uelis nolis etiam ipſe miraris: altiores ſunt cæteris dignitate, & minores humilitate. Scis profecto etiam ipſe ad quem nunc loquimur,de quo loquamur: & idem de quo nunc querimur,debes agnoſcere,quem hac laude ueneramur:atque utinam multi eſſent qui laudarentur, ſalubritas eſſet omnium, generoſitas plurimorum. Sed eſto nobis ille ſit laudabilis,cur tu uis eſſe quæſo damnabilis?Cur inimicitia nil amicius?cur auaritia nil iocundius,cur rapacitate nil carius?Cur nil iudicas precioſius quàm nequitiam? Cur nil præſtantius quàm rapinam?Diſce uel à pagano homine uirum bonum, Charitate enim, inquit, & beneuolentia ſeptum oportet eſſe non armis. Fallunt te itaq; opiniones tuæ,fallit prauæ & cæcæ mentis improbitas. Si uis probus, ſi uis potens, ſi

Eſa.5 — *Vicinum ſemper inuenies* — *Charitate ſeptum eſſe, nō armis*

uis magnus eſſe,honeſtate debes cæteros,non malignitate ſuperare.Legi quondam in quodam loco , Nemo malus, niſi ſtultus:ſi enim ſaperet, bonus eſſe mallet.Et tu ergo, ſi redire tamen adhuc ad ſanitatem potes, exue nequitiam,ſi uis habere ſapientiam. Si enim optas uel ſapiens omnino eſſe,uel ſanus, exuendus tibi omnino & cõmutandus es . Abdicare itaq; à te ipſo, ne abdiceris à Chriſto. Repudia te, ut recipiaris à Chriſto . Perde te ipſe,ne pereas . Qui enim , ſaluator inquit , perdiderit animam ſuam propter me,inueniet eam.Dilige itaque hanc tuam ſalubrem perditionem, ut adſequaris ueram ſalutem. Liberandus enim à deo ipſo omnino non eris, niſi te ipſe prius damnaueris.

Nemo malus niſi ſtultus ex Stoicorũ placitis

Luce 9

SALVIANI MASSYLIENSIS EPISCOPI DE VERO IVDICIO ET PROVIDENTIA DEI, LIBER SEXTVS.

1 PERSONANTER diu locuti ſumus,& exceſſiſſe uide-
mur regulam diſputandi . Cogitat enim abſq; dubio is
2 qui legit , ſi fuerit tamen aliquis qui hæc Chriſti amore
conſcripta,ob Chriſtum legat : cogitat , De me forte ille
dicit. Cum cauſa generalis ſit quam exequitur , quid ne-
gocio huic contulit , quod in perſonam unius tanta con-
geſſit? Eſto enim ille,de quo locutus eſt,talis. Sed num quid officit bonitati unius,crimen alterius: aut quod fortius multo eſt, nunquid læditur ſcelere perſonali,cauſa cunctorum? Poſſum quidem euidentibus teſtimonijs approbare quia læditur.Achar enim quondam de anathemate quippiam furto abſtulit,& crimen unius hominis plaga omnium fuit . Dauid numerari plebem Iſraëliticam iuſſit , & errorem illius dominus clade totius populi uindicauit. Rabſaces locutus quædam eſt in contumeliam dei , & centum octoginta quinque milia hominum ſtragem pertulerunt, quod unius prophani hominis procax lingua maledixit . Et ideo non immerito etiam beatus apoſtolus Paulus eijci de ecleſia peſtilentem iubet , & cur iubeat oſtendit,dicens:Quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit.Inde euidenter agnoſcimus etiam unum ſæpiſſime malum hominem, perditorem eſſe multorum . Nec iniuria . Intelligere is quicunque legerit debet, non ſuperflue me ſuperius de uno malo aliqua dixiſſe, cum ſcilicet frequentiſſime diuinæ maieſtatis iracundia etiam per unum legatur accenſa . Sed ego nõ ago hac deſcriptione id quod dico. Neq; enim neceſſe eſt,ut unum obeſſe omnibus putem , cum omnes mutuo ſibi obſint . Non conuenit, ut per unum cunctos periclitari putem,cum per ſe cuncti periclitẽtur.Omnes

Ioſue 7 — *2.Reg. 24* — *Eſa.36* — *1.Cor.5*

Vnus improbus perditor multorum

enim admodum in perditionem ruunt,aut certe, ut aliud dicam leuius, pe/ nè omnes. Vnde enim hoc bonum populo Chriſtiano,ut aut certe minor, aut certe uel idem eſſet malorum numerus qui bonorum? O miſeriam la/ chrymabilem,ó miſeriam luctuoſam, quàm diſſimilis eſt nunc à ſeipſo po pulus Chriſtianus,id eſt ab eo qui quondam fuit. Tunc princeps apoſto/ lorum Petrus Ananiam & Sapphyram quia mentiti eſſent,morte mulcta uit. Beatiſſimus quoque Paulus etiam de eccleſia malum expulit, ne conta/ ctu ſuo plurimos inquinaret. Nunc nos etiam pari utriuſque partis nume/ ro contenti ſumus. Et quid contenti dicam? Exultare nos potius ac tripu/ diare gaudio conueniret,ſi parilitas nobis iſta contingeret. Ecce in quid re/ cidimus, ecce in quid poſt illam Chriſtiani populi puritatem, qua omnes quondam immaculati erant? Ecce in quid redacti ſumus,ut beatam fore ec cleſiam iudicemus, ſi uel tantum in ſe boni habeat quantum mali. Nam quomodo beatam non arbitremur, ſi mediam plebis partem haberet in/ noxiam,quam penè totam nunc eſſe plangimus criminoſam? Vnde ſuper flue dudum de uno malo locuti ſumus,ſuperflue unius ſcelera defleuimus: aut omnes enim,aut omnes penè flendi atque lugendi ſunt. Nam aut plu/ rimi tales ſunt, aut certe quod non minus criminoſum eſt, cupiunt tales eſ/ ſe,& laborant actu malorum operum nō impares uideri: ac per hoc etiam ſi minora mala faciunt, quia minus poſſunt, non minus tamen mali ſunt, quia nollent minus eſſe ſi poſſent. Denique quod unum poſſunt, uel uoto tales ſunt,ac uoluntate non cedunt: & inquantum facultas ſuppetit, ſupe/ rare contendunt. Eſt enim licet in diſſimillimis rebus hæc illorum æmula/ tio quæ bonorum,ut ſicut boni optant cunctos honeſtate mentium uince/ re,ſic mali cupiant prauitate ſuperare. Nam ſicut hæc bonorum gloria eſt, ut quotidie meliores ſint,ſic malorum omnium,ut deteriores: & ſicut opti/ mi cupiunt uirtutum uniuerſarum culmen aſcendere,ſic peſſimi optant pal mas ſibi uniuerſorum ſcelerum uendicare. Et hoc utique in malum no/ ſtrum,maxime noſtri,hoc eſt Chriſtiani, qui ſcilicet, ut iam diximus, ma/ litiam ſapientiam putant. Et de quibus deus ſpecialiter dixit: Perdam ſa/ pientiam ſapientum, & intellectum prudentium reprobabo. Cumque Apoſtolus clamet: Si quis uidetur ſapiens,ſtultus fiat,ut ſit ſapiens: hoc eſt dicere, Si quis uult eſſe ſapiens, ſit bonus: quia nemo uere ſapiens eſt, niſi uere bonus. Nos ediuerſo malarum mentium uitio, & ut diuinitas ait, re/ probo ſenſu,bonitatem pro ſtultitia repudiantes, & nequitiam pro ſapien tia diligentes,tanto quotidie prudentiores eſſe nos credimus,quanto peio/ res ſumus. Et quæ tandem rogo ſpes emendationis in nobis eſt, qui non errore opinionis ad malum ducimur, ſed ſtudio malæ uoluntatis adniti/ mur, ut ſemper peiores eſſe uideamur? Et hinc eſt, quod dudum queſtus ſum deteriores nos multo eſſe, quàm barbaros: quia illos ignorantia le/

Act. 5

1. Cor. 1

Ibidem

gis excuſat,nos ſcientia accuſat. Illi per imperitiam ueritatis, quia quæ ſunt
bona neſciunt, mala pro bonis diligunt. Nos cum ſcientiam ueritatis ha-
beamus,quæ ſunt bona optime nouimus, & hoc multis modis. Primum,
Aduerſus ſpectaculorũ incommoda quod nihil fermè uel criminum,uel flagitiorum eſt, quod in ſpectaculis nõ
ſit: ubi ſummum delitiarum genus eſt mori homines, aut quod eſt morte
grauius acerbiuſq́,lacerari,expleri ferarum aluos humanis carnibus,come
di homines, cum circumſtantium lætitia,conſpicientium uoluptate:hoc eſt
4 non minus penè hominum aſpectibus, quàm beſtiarum dentibus deuora
ri. Atque ut hoc fiat,orbis impendium eſt. Magna enim cura id agitur, &
elaboratur:adeuntur enim loca abdita,luſtrantur inuij ſaltus, peragrantur
ſyluæ inexplicabiles, conſcenduntur nubiferæ alpes, penetrantur niuiferæ
ualles.Et ut deuorari poſſint à feris uiſcera hominum,non licet naturam re
rum aliquid habere ſecretum.Sed hæc,inquis, non ſemper fiunt. Certum
eſt,& præclara eſt erroris excuſatio, quia non ſemper fiunt: quaſi uero un-
quam fieri debeant,quæ deum lædant:aut ideo quæ mala ſunt bene fiant,
quia non iugiter fiant. Nam & homicidæ homines non ſemper occidunt,
& homicidæ tamen ſunt etiam quando non occidunt, quia interdum pol-
luuntur homicidio:& latrones omnes non ſemper latrocinantur,ſed latro-
nes tamen non eſſe deſinunt: quia etiam cum rebus ipſis latrocinia non
agunt, animis tamen à latrocinio non recedunt. Sic utique omnes hi, qui
ſpectaculis huiuſmodi delectantur,etiam quando non ſpectant,innoxij ta
men à ſpectaculorum piaculis mente non ſunt, quia ſemper uellent ſpecta-
re ſi poſſent.Nec ſolum hoc,ſed ſunt etiam alia maiora. Quid enim? nun-
quid non uolantis pennæ auguria quæruntur, ac penè omnia fiunt, quæ
etiam quondam pagani ueteres friuola atque irridenda duxerunt?Et cum
hæc omnia ipſi agant, qui annis nomina tribuunt, & à quibus anni ipſi
exordium ſumunt: credimus nobis bene annos poſſe procedere, qui à re-
bus omnibus potius quàm à deo ordiantur. Atque utinam ſicut hæc pro-
Conſules pter conſules tantum fiunt, ita illos tantum inceſtarent propter quos fiunt.
Illud eſt feraliſſimum & grauiſſimum, quod dum conſenſu publico agun-
tur,honor pauciſſimorum, fit crimen omnium:ac ſi ex ſingulis bini inaugu
rentur, prope eſt ut in omni mundo nullus euadat. Sed de his putamus
hoc ſatis dictum eſſe, quod ea quoq;,ut ipſi excuſatis, nõ ſemper fiunt.De
quotidianis tamen obſcœnitatibus loquamur, quas tales ac tam innume-
ras legiones dæmonum excogitauerunt, ut etiam honeſtæ ac probæ men-
tes,etſi nonnullas earum ſpernere ac calcare poſſint,omnes tamen penitus
Simile ſuperare uix poſſint.Sicut enim exercitus pugnaturi ea loca,per quę uentu
ras hoſtium turmas ſciunt, aut foueis intercludere, aut ſudibus præfigere,
5 aut tribulis infeſtare dicuntur,ſcilicet ut etiam ſi non in omnia ea quiſpiam
incidat,nullus tamen penitus euadat,Ita etiam dæmones tam multas in ui

ta iſta

ta iſta humano generi illecebrarum inſidias prętenderunt, ut etſi plurimas
earum aliquis effugiat, tamen ab aliqua capiatur. Equidem quia longum 6
eſt nunc dicere de omnibus, amphitheatris ſcilicet, odeis, luſorijs, pompis, 7
athletis, petaminarijs, pantomimis, cæteriſq́ portentis: quiaq́ue piget di- 8
cere malum tale, uel noſcere, de ſolis circorum ac theatrorum impuritatibus
dico. Talia enim ſunt, quæ illic fiunt, ut ea non ſolum dicere, ſed etiam recor- *Theatrorũ*
dari aliquis ſine pollutione non poſſit. Alia quippe crimina ſingulas ſibi *impuritas*
fermè in nobis uendicant portiones, ut cogitationes ſordidæ animos, ut im
pudici aſpectus oculos, ut auditus improbi aures: ita ut cum ex his unum
aliquid errauerit, reliqua poſſint carere peccatis. In theatris uero nihil ho-
rum reatu uacat, quia & concupiſcentijs animus, & auditu aures, & aſpe-
ctu oculi polluuntur. Quæ quidem omnia tam flagitioſa ſunt, ut etiam ex
plicare ea quiſpiam atq; eloqui ſaluo pudore non ualeat. Quis enim inte-
gro uerecundię ſtatu dicere queat illas rerum turpium imitationes, illas uo
cum ac uerborum obſcœnitates, illas motuum turpitudines, illas geſtuum
fœditates? quę quanti ſint criminis, uel hinc intelligi poteſt, quod religionē
ſui interdicunt. Nōnulla quippe etiam maxima ſcelera incolumi honeſta-
te referuntur, & nominari, & argui poſſunt, ut homicidium, latrociniũ, adul
terium, ſacrilegium, cæteraq́ in hunc modum. Solæ theatrorum ſunt impu
ritates, quæ honeſte non poſſunt uel accuſari: ita noua in arguenda harum
turpitudinum probroſitate res euenit arguenti: ut cum abſq; dubio hone-
ſtus ſit qui accuſare ea uelit, honeſtate tamen integra ea loqui & accuſare
non poſſit. Alia quoque omnia mala agentes polluunt, non uidentes uel
audientes. Siquidem etſi blaſphemum quendam audias, ſacrilegio non
pollueris, quia mente diſſentis. Et ſi interuenias latrocinio, non inquinaris
actu, quia abhorres animo. Solæ ſpectaculorum impuritates ſunt, quæ
unum admodum faciunt & agentium & aſpicientium crimen. Nam dum
ſpectantes hæc comprobant ac libenter uident, omnes ea uiſu audituq́ue
agunt, ut uere in eos apoſtolicum illud peculiariter cadat: quia digni ſunt *Rom. 1*
morte non ſolum qui faciunt ea, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Ita-
que in illis imaginibus fornicationum, omnis omnino plebs animo forni-
catur. Et qui forte ad ſpectaculum puri uenerant, de theatro adulteri re-
uertuntur. Non enim tunc tantummodo quando redeunt, ſed etiam quan
do ueniunt fornicantur. Nam hoc ipſo quod aliquis rem obſcœnam cu-
pit, dum ad immunda properat, immundus eſt. Quæ cum ita ſint, ecce
qualia aut omnes, aut penè omnes Romani agunt. Et cum hæc ita ſint,
qui talia agimus negligi nos à diuinitate cauſamur, relinqui nos à domi-
no noſtro dicimus, cum ipſi dominum relinquamus. Fingamus enim,
quod reſpicere nos dominus noſter uelit, etiam non merentes, uideamus
ſi poteſt. Ecce innumera Chriſtianorum milia in ſpectaculis quotidie re-

rum turpium commorantur. Poteſt ergo deus illos reſpicere, qui tales ſunt? Poteſt ad eos reſpicere, qui bacchantur in circis, qui mœchantur in theatris? An forte hoc uolumus, & hoc dignum putamus, ut cum in circis nos & in theatris deus uideat, ea quæ nos aſpicimus aſpiciat quoque ipſe nobiſcum, & turpitudines quas nos cernimus, cernat & ipſe nobiſcum? alterutrum enim fieri neceſſe eſt: quod ſi nos uidere dignatur, conſequens eſt, ut etiam illa ubi nos ſumus uideat: aut ſi ab illis, quod non dubium eſt, auertit oculos, etiam à nobis qui illic ſumus pariter auertat. Et cum hæc ita ſint, facimus hæc tamen, ac ſine ceſſatione quæ dixi. An forte in morem ueterum paganorum, theatrorum & circorum nos deum habere arbitramur? Faciebant enim hæc illi quondam, quia has idolorum ſuorum delitias eſſe credebant. Nos quomodo hæc facimus, qui odiſſe deum noſtrum hæc certi ſumus? Aut certe ſi placere has turpitudines deo nouimus, non prohibeo, quin ſine ceſſatione faciamus. Si uero in conſcientia noſtra hoc eſt, quod deus horret, quod execratur, quod ſicut in his ſit paſtus diaboli, ita offenſio dei: quomodo nos in eccleſia deum colere dicimus, qui in obſcœnitate ludorum ſemper diabolo deſeruimus, & hæc generaliter ac ſcientes, de conſilio & induſtria? Et quæ nobis quæſo, quæ ſpes erit apud deum, qui non caſu aut imprudentia deum lædimus, ſed exemplo illorum quondam gigantum, quos inſanis conatibus ſuperna tentaſſe, & quaſi in nubes gradum tuliſſe legimus. Sic nos per iniurias quas in omni mundo deo ſemper inferimus, quaſi conſenſu publico cœlum oppugnamus. Chriſto ergo, ó amentia monſtruoſa, Chriſto circenſes offerimus & mimos, & tunc hoc maxime cum ab eo aliquid boni capimus, cum proſperitatis aliquid ab eo attribuitur, aut uictoria de hoſtibus à diuinitate præſtatur. Et quid aliud hac re facere uidemur, quàm ſi quis homini beneficium largienti iniurioſus ſit, aut blandientem conuicijs cædat, aut oſculantis uultum mucrone transfigat? Interrogo enim omnes potentes ac diuites mundi huius, cuius piaculi reus ſit ſeruus ille, qui pro bo ac bono domino malum cogitat, qui bene merenti conuicium faciat, & pro libertate quam accipit, contumeliam reddat: abſque dubio maximi criminis reus creditur, qui malum pro bono reddit, cui etiam malum pro malo reddere non liceret. Hoc ergo etiam nos, qui Chriſtiani dicimur facimus: irritamus in nos miſericordem deum impuritatibus noſtris, propitiantem ſordibus lædimus, blandientem iniurijs uerberamus. Chriſto ergo, ó amentia monſtruoſa, Chriſto circenſes offerimus & mimos, Chriſto pro beneficijs ſuis theatrorum obſcœna reddimus, Chriſto ludicrorum turpiſſimorum hoſtias immolamus. Videlicet hoc nos pro nobis in carne natus ſaluator mūdi noſter edocuit. Hoc uel per ſeipſum, uel per apoſtolos prædicauit. Propter hoc humanæ natiuitatis uerecundiam ſubijt, & contu-

Theatrorū ac circorum deus

Gigantes

cōtumelioſa terreni ortus principia ſuſcepit. Propter hoc in præſepio iacuit, cui ſeruierunt angeli cum iaceret. Propter hoc inuolui ſe pannorum crepundijs uoluit, qui cœlum regebat in pannis. Propter hoc in patibulo pependit, quem pendentem mundus expiauit. Qui propter nos, inquit Apoſtolus, pauper factus eſt, cum diues eſſet, ut illius inopia uos honeſtaremini. Et cum in forma dei, inquit, eſſet, humiliauit ſemetipſum uſque ad mortem, mortem autem crucis. Iis nos uidelicet Chriſtus imbuit, cum pro nobis iſta toleraret. Præclaram paſſioni eius reddimus uiciſſitudinem, qui cum morte ipſius redemptionem acceperimus, uitam turpiſſimam repenſamus. Apparuit enim, inquit beatiſſimus Paulus, gratia domini noſtri Ieſu Chriſti, erudiens nos ut abnegantes impietatem & ſecularia deſideria, ſobrie ac iuſte, ac pie uiuamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem & aduentum domini gloriæ magni dei, & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti: qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret populum ſibi acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Vbi ſunt qui hæc faciant, propter quæ ueniſſe Chriſtum Apoſtolus dicit? Vbi ſunt qui non deſideria ſeculi faciant, ubi qui uitam pie ac iuſte agant, ubi qui ſperare ſe ſpem beatam bonis operibus oſtendant? Et immaculatam uitam agentes, hoc ipſo ſe perhibent regnum dei expectare, quia merentur accipere. Venit, inquit, dominus Ieſus Chriſtus, ut mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Vbi eſt populus ille mundus, ubi populus acceptabilis, ubi populus boni operis, ubi populus ſanctitatis? Chriſtus, inquit ſcriptura, pro nobis paſſus eſt, nobis exemplum relinquens, ut ſequamur ueſtigia eius. Videlicet ueſtigia ſaluatoris ſequimur in circis, ueſtigia ſaluatoris ſequimur in theatris. Tale nobis ſcilicet Chriſtus reliquit exemplum, quem fleuiſſe legimus, riſiſſe non legimus. Et hoc utrunque pro nobis, quia fletus compunctio eſt animæ, riſus corruptio diſciplinæ. Et ideo dicebat: Væ uobis qui ridetis, quoniam flebitis: & beati qui fletis, quoniam ridebitis. Nobis autem ridere & gaudere non ſufficit, niſi cum peccato atque inſania gaudeamus, niſi riſus noſter impuritatibus, niſi flagitijs miſceatur. Quis rogo hic error eſt, quæ ſtultitia? Nunquid lætari aſſidue, & ridere non poſſumus, niſi riſum noſtrum atque lætitiam ſcelus eſſe faciamus? An forte infructuoſum putamus gaudium ſimplex, nec delectat ridere ſine crimine? Quod rogo hoc malum eſt, aut quis furor? Rideamus quæſo quantumlibet immenſuratim, lætemur quamlibet iugiter, dum modo innocenter. Quæ uecordia eſt & amentia, ut non putemus riſum & gaudium tanti eſſe, niſi dei in ſe habeat iniuriam? Iniuriam utiq; & maximam. In ſpectaculis enim quędā apoſtatatio fidei eſt, & à ſymbolis ipſius & cœleſtibus ſacramentis letalis præuaricatio. Quæ eſt enim in baptiſmo ſalutari Chriſtianorum prima confeſſio?

2.Cor.8 *Phil.2* *Tit.2* *1.Pet.2* *Fleuit Chriſtus, non riſit.* *Luce 6*

quæ ſcilicet,niſi ut renunciare ſe diabolo ac pompis eius atq; ſpectaculis & operibus proteſtentur? Nam ſpectacula & pompæ, etiam iuxta noſtram profeſſionem,opera ſunt diaboli.Quomodo igitur ô Chriſtiane, ſpectacula poſt baptiſmum ſequeris,quæ opus eſſe diaboli confiteris. Renunciaſti ſemel diabolo & ſpectaculis eius, ac per hoc neceſſe eſt, prudens & ſciens dum ad ſpectacula remeas,ad diabolum redire te cognoſcas. Vtriq; enim rei ſimul tenunciaſti,& unum utrũq; eſſe dixiſti. Si ad unum reuerteris,ad utrunq; remeaſti:abrenuntio enim,inquis,diabolo,pompis, ſpectaculis,& operibus eius.Et quid poſtea?credo,inquis,in deum patrem omnipotentẽ, & in Ieſum Chriſtum filium eius. Ergo primum renũciatur diabolo, ut credatur deo:quia qui non renunciat diabolo,nõ credit deo:& ideo qui reuertitur ad diabolum,relinquit deum.Diabolus autem eſt in ſpectaculis,pompis ſuis:ac per hoc cum redimus ad ſpectaculum, relinquimus fidem Chriſti.Hoc itaq; modo omnia ſymboli ſacramenta ſoluuntur, & totum quod in ſymbolo ſequitur,labefactatur & inquinatur.Nihil enim ſequens ſtat,ſi principale non ſteterit.Dic mihi tu Chriſtiane,quomodo tenere te ſequentia ſymboli putas,cuius principia perdidiſti: membra ſine capite nihil proſunt,& ad exordia ſui cuncta reſpiciunt: quæ utiq; ſi perierint, omnia peſſum trahunt. Siquidem ſtirpe ſublata, aut non ſunt reliqua:aut ſi ſunt,ſine emolumento ſunt,quia ſine capite nihil conſtat.Sicui itaq; leue ſpectaculorum crimen uidetur,reſpiciat cuncta iſta quæ diximus, & uidebit in ſpectaculis nõ uoluptatem eſſe,ſed mortem.Quid enim eſt aliud, quàm mortem incurrere,uitæ originem perdidiſſe? Vbi enim fundamẽtum ſymboli euertitur,uita ipſa iugulatur. Rurſum ergo neceſſe eſt redeamus ad illud quod ſæpe diximus:Quid ſimile apud barbaros,ubi apud illos circẽſes, ubi theatra,ubi ſcelus diuerſarum impuritatum? Hoc eſt ſpei ueſtræ ac ſalutis excidium,quibus illi etſi utpote pagani uterentur,minore tamen culpa ſacræ offenſionis errabant:etſi eſſet impuritas uiſionis,præuaricatio tamen nõ erat ſacramenti.Nos uero quid reſpondere pro nobis poſſumus?tenemus ſymbolum,& euertimus,confitemur munus ſalutis pariter & negamus. Ac per hoc ubi eſt Chriſtianitas noſtra, qui ad hoc tantũmodo ſacramentum ſalutis accipimus,ut maiore poſtea prȩuaricationis ſcelere peccemus? Nos eccleſijs dei ludicra anteponimus, nos altaria ſpernimus, & theatra honoramus. Omnia deniq; amamus, omnia colimus, ſolus nobis in cõparatione omnium deus uilis eſt. Deniq; præter alia quæ id probant, indicat etiam hoc res ipſa quam dico.Si quando enim uſu uenerit, quod ſcilicet ſæpe euenit, ut eodem die & feſtiuitas eccleſiaſtica, & ludi publici agantur, quæro ab omnium cõſcientia,quis locus maiores Chriſtianorum uirorum copias habeat,caueáne ludi publici, an atrium dei? & templum omnes magis ſectentur,an theatrum?dicta Euãgeliorum magis diligant,an thymelicorũ:

Nibil conſtat ſine capite

uerba uitæ, an uerba mortis: uerba Chriſti, an uerba mimi? Non eſt dubium quin illud magis amemus, quod anteponimus. Omni enim feralium ludicrorum die, quamlibet eccleſiæ feſta fuerint, non ſolum ad eccleſiam non ueniunt, qui Chriſtianos ſe eſſe dicunt: ſed ſiqui inſcij forte uenerunt, dum in ipſa eccleſia ſunt, ſi ludos agi audiunt, eccleſiam derelinquunt. Spernitur dei templum, ut concurratur ad theatrum. Eccleſia uacuatur, circus impletur, Chriſtum in altario dimittimus, ut adulterantes uiſu impuriſſimo oculos ludicrorum turpium fornicatione paſcamus. Sed uidelicet qui poſtea corrumpimur rebus proſperis, faciendum aliquid in principio putamus. Et ideo rectiſſime ad nos dominus deus dicit: Propter ſpurcitiam exterminati eſtis exterminio. Et rurſum: Exterminabuntur, inquit, aræ huius riſus. Sed uidelicet reſponderi ad hæc poteſt, non in omnibus hoc Romanorum urbibus agi. Verum eſt, etiam plus ego addo, ne illic quidem nunc agi, ubi ſemper ſunt acta antea. Non enim hoc agitur iam in Maſſylienſium ciuitate, ſed quia excifa & deleta eſt. Non enim Agrippinæ, ſed quia hoſtibus plena. Non agitur Treuirorum urbe excellentiſſima, ſed quia quadruplici uaſtatione eſt proſtrata. Non agitur denique in pluribus urbibus Galliarum & Hiſpaniarum, & ideo uæ nobis atque impuritatibus noſtris, uæ nobis atque iniquitatibus noſtris. Quæ ſpes Chriſtianorum plebibus eſt ante deum? Quandoquidem ex illo tempore in urbibus Romanis hæc mala non ſunt, ex quo in barbarorum iure eſſe cœperunt. Ac per hoc uitioſitas & impuritas, quaſi germanitas quædam eſt Romanorum hominum, & quaſi mens atque natura: quia ibi præcipue uitia, ubicunque Romani. Sed grauis forſitan hæc atque iniqua conqueſtio: grauis ſi falſa. An quomodo inquis, quomodo non falſa, cum in paucis nunc fermè Romanis urbibus fiant iſta quæ diximus? Plurimas iam autē harum impuritatis labe non pollui, ubi licet ſint loca ipſa ac domicilia erroris antiqui, nequaquam tamen aguntur illa quæ prius acta ſunt. Conſiderandum ergo utrunque eſt, id eſt quid ſit quod adhuc loca ipſa ac diuerſoria ludicrorum ſint, ludicra autem eſſe ceſſauerunt: loca enim & habitacula turpitudinum idcirco adhuc ſunt, quia illic impura omnia prius acta ſunt: nunc autē ludicra ipſa ideo non aguntur, quia agi iam præ miſeria temporis atque egeſtate non poſſunt. Et ideo quod prius actum eſt uitioſitate fuit, quod nunc nō agitur neceſſitate. Calamitas enim fiſci & mendicitas iam Romani ærarij non ſinit, ut ubique in res nugatorias perditæ profundantur expenſæ. Pereant adhuc quamlibet multa, & quaſi in cœnum proijciantur: ſed modo tamen perire iam tanta non queunt, quia nō ſunt tanta quę pereant. Nam quantū ad uotū noſtræ libidinis atque impuriſſimę uoluptatis attinet, optaremus profecto uel ad hoc tātūmodo plus habere, ut poſſemus in hoc turpitudinis lutū plura conuertere. Et res probat quanta prodigere uellemus, ſi opu-

Eſa. 16

Mendicitas Romani ærarij

Labes præſentium morum. ſi opulenti eſſemus, ac ſplendidi, cum prodigamus tanta mendici. Ea eſt enim labes præſentium morum atque perditio, ut cum iam non habeat paupertas quod poſſit perdere, adhuc tamen uelit uitioſitas plus perire. Non ergo quidem blandiri nobis aliquid in hac re poſſumus, ut dicamus non in omnibus nunc urbibus agi illa quæ acta ſunt. Ideo enim non in omnibus iam aguntur, quod urbes ubi agebantur illa, iam non ſunt: & ubi quidem acta ſunt, id effecerunt, ut ubi illa agebantur diu eſſe non poſſent: ſicut ipſe deus ad peccatores locutus eſt per prophetam, quia horum recordatus eſt dominus: Aſcendit, inquit, ſuper cor eius, & non poterat ultra dominus portare propter malitiam ſtudiorum noſtrorum, & propter abominationes quas feciſtis, & facta eſt terra noſtra in deſolationem & ſtuporem, & in maledictum. Per hoc ergo iam factum eſt, ut maior pars Romani orbis in deſolatione eſſet, & in ſtuporem, & in maledictũ. Atq; utinam acta tantummodo prius eſſent, & agere hæc Romana uitioſitas aliquãdo *Pſal.102* ceſſaret, forſitan, ut ſcriptum eſt, propiciaretur deus peccatis noſtris. Sed nequaquam ita agimus, ut propitietur. Mala enim malis inceſſabiliter addimus, & peccatis peccata cumulamus: & cum maxima pars noſtri iam perierit, hoc agimus ut pereamus omnes. Quis rogo interfici alterum iuxta ſe uidet, & ipſe non metuit? Quis domum uicini ſui ardere cernit, & non efficere omnibus modis nititur, ne ipſe incendio concremetur? Nos non uicinos noſtros tantum ardere uidimus, ſed ipſi iam maxima parte noſtrorum corporum arſimus. Et quid hoc, proh nephas, mali eſt, arſimus, & tamẽ flammas quibus iam arſimus, non timemus. Nam quod non ubiq;, ut dixi, quę prius acta ſunt agantur, miſerię eſt beneficium, non diſciplinæ. Deniq; hoc facile probo. Da enim prioris temporis ſtatum, & ſtatim ubique ſunt quæ fuerunt. Plus addo: quantum ad uota hominũ pertinet, & ſi iam non ubiq; *Turpis rei cupiditas* ſunt, ubiq; adhuc ſunt: quia ubique ea populus uellet eſſe Romanus. Cum enim ab homine mala res ſola neceſſitate non agitur, ipſa rei turpis cupiditas pro actione damnatur. Nam, ſicut dixi, iuxta domini noſtri dictum: *Matth.5* Qui mulierem uiderit ad concupiſcendum, reus eſt adulterij corde conceptu. Intelligere poſſumus, quod etiam ſi res turpes atq; damnabiles neceſſitate non agimus, ipſa tamẽ rerum turpium uoluntate damnamur. Et quid dicam de uoluntate? per omnes hæc fermè cum poſſunt aguntur. Denique cuiuslibet ciuitatis incolæ Rauennam aut Romam uenerint, pars ſunt Romanæ plebis in circo, pars ſunt populi Rauennatis in theatro. Ac per hoc nemo ſe loco aut abſentia excuſatum putet. Omnes turpitudine rerũ unũ ſunt, qui ſibi rerum turpium uoluntate ſociantur. Et blandimur nobis inſuper de probitate morum, blandimur nobis de turpitudinum raritate. Ego amplius dico, non ſolum agi nunc illas ludicrorum infamium labes, quæ prius actæ ſunt, ſed criminoſius multo agi, quàm prius actæ ſunt. Tunc enim

enim integra Romani orbis membra florebant,anguſta eſſe horrea publica opes fecerant cunctarum urbium,ciues diuitijs ac delitijs affluebant,uix poterat religionis autoritas inter tantam rerum exuberantiam, morum tenere cenſuram. Paſcebantur tunc quidem paſſim in locis plurimis autores turpium uoluptatum,ſed plena ac referta omnia erãt.Nemo ſumptus Reipub.cogitabat,nemo diſpendia,quia non ſentiebatur expenſa. Quærebat quodammodo res ipſa publica ubi perderet,quod penus poſſet iam uix recipere:& ideo cumulus deliriarum, qui iam ferè modum exceſſerat, etiam in res nugatorias redundabat. Nũc autem quid dici poteſt? Receſſerunt à nobis copiæ ueteres,receſſerunt priorum temporum facultates.Miſeri iam ſumus,& necdum nugaces eſſe ceſſamus. Cumq; etiam pupillis prodigis uel prodigioſis ſoleat ſubuenire paupertas, ſimulq; ut deſtiterint eſſe diuites, deſinunt quoque eſſe uitioſi: nos tantum nouum genus pupillorum ac perditorum ſumus, in quibus opulentia eſſe deſijt, ſed nequitia perdurat: adeo nos non ut alij homines cauſas corruptelarum in illecebris, ſed in cordibus habemus:& uitioſitas noſtra,mens noſtra eſt,ut ad emendãdos nos non facultatum ablatione, ſed malarum rerum amore peccemus. Quanta autem uitia Romanorum ſint,quibus barbaræ gentes non coinquinantur, licet hactenus ſatis dixerim,addam tamen multa quæ deſint: ſed illud admoneo tamen antequàm dico,ne ullum penitus culpę genus,quod ad contumeliam dei pertinet,cuiquam leue eſſe uideatur. Si enim illuſtrem ac prępotentem uirum nequaquam exhonorari à quoquam licet, & ſi quiſquam exhonorauerit, decretis legalibus reus exiſtit, & iniuriarum actor iure damnatur. Quanto itaq; maioris piaculi crimen eſt, iniurioſum quempiam deo eſſe? Semper enim per dignitatem iniuriam perferentis,creſcit culpa facientis: quia neceſſe eſt quanto maior eſt perſona, quæ contumeliam patitur,tãto maior ſit noxia eius qui facit. Et hinc eſt quod legimus in lege, etiã eos qui uidentur contra mandatum ſacrum leuia feciſſe, ſeueriſſime tamen eſſe punitos:ut intelligeremus ſcilicet,nil ad deum pertinens,leue eſſe dicendum: quia etiam quod uidebatur exiguum eſſe culpa, grande hoc faciebat diuinitatis iniuria. Deniq; Ozias ille Leuites dei,qui contra mandatum cœleſte fecit, quod uacillantem arcam domini ſuſtinere tentauit, nihil enim hinc erat lege præceptum, & ſtatim dum tenebat percuſſus eſt: non quia ut uidetur ad ſpeciem contumaci aliquid aut inofficioſa ſaltem mente commiſerit,ſed ipſo officio inofficioſus fuit,qui iniuſſa præſumpſit. Homo Iſraëliticæ plebis cum ligna ſabbatis collegiſſet,occiſus eſt,& hoc iuſſu & iudicio dei, pijſſimi ſcilicet ac miſericordiſſimi iudicis, & qui parcere abſque dubio quàm occidere maluiſſet, niſi rationem miſericordiæ ſeueritatis ratio uiciſſet:perijt,ne multi per incautelam poſtea deperirent. Et quid de ſingulis dicam,uniuerſa gens Hebræorum cum per eremum iter ageret, quia conſuetudina-

Res Romana adhuc integra

Pupillos prodigos emẽdat paupertas

Dignitas iniuriam perferẽtis

Exo.31
Num. 20 & 25
1.Par.13
Num.15
& 16

tudinarias carnes deſiderauit, partem ſuæ plebis amiſit. Et quidem interdi-
ctum nondum fuerat ne deſideraret, ſed legali, ut reor, obſeruantiæ profice-
re deus uoluit, ut rebellem cōcupiſcentiam coherceret: quo facilius cunctus
populus agnoſceret, quantum euitare deberet, quę deus ſcriptis cœleſtibus
interdiceret, quando etiam illa eum admiſſa læderent, quæ necdum lege
Exo.1 uetuiſſet. Laborem quoque ſe ſuſtinere idem populus ingemuit, & propter
hoc plagis cœleſtibus uerberatur: non quia laboranti gemere non liceat,
ſed ingratus ſcilicet fuit gemitus, dominum quaſi autorem immaculati la-
boris accuſans: ex quo intelligi conuenit quantum placere deo debeat, qui
rerum iocundarum beatitudine fruitur, quando etiam de his queri non li-
cet quæ ingrata uideantur. Quæritur forſitan, quorſum iſta pertineant?
quorſum, abſque dubio, niſi ut nihil leue exiſtimetur quo deus lęditur. De
ludis enim publicis dicimus, ludibrijs ſcilicet ſpei noſtræ, ludibrijs uitæ no-
ſtræ. Nam dum in theatris & circis ludimus, deperimus, ſecundum illud
Prouerb.10 utiq; dictum ſermonis ſacri: Stultus per riſum operatur ſcelus. Et nos itaq;
dum inter turpia ac dedecoroſa ridemus, ſcelera committimus. Et quidem
ſcelera non minima, ſed in hoc ipſo pœnaliora: quia cum uideantur ſpecie
Duo maxima mala eſſe proba, rebus ſunt exitioſis peſtilētiſſima. Nam cum duo ſint maxima
mala, aut ſi homo ſe perimat, aut deum lędat, hoc utrunq; in ludis publicis
agitur. Nam per turpitudines criminoſas æterna illic ſalus Chriſtianæ ple-
bis extinguitur, & per ſacrilegas ſuperſtitiones maieſtas diuina uiolatur.
Dubium enim non eſt, quod lædunt deum, utpote idolis conſecratæ. Coli-
tur nanq; & honoratur Minerua in gymnaſijs, Venus in theatris, Neptu-
nus in circis, Mars in arenis, Mercurius in palæſtris: & ideo pro qualitate
autorum, cultus eſt ſuperſtitionum. Quicquid immunditiarū eſt, hoc exer-
cetur in theatris, quicquid luxuriarum in palæſtris. Quicquid immodera-
tionis in circis, quicquid furoris in caueis. Alibi eſt impudicitia, alibi laſci-
uia, alibi intemperantia, alibi inſania. Vbiq; dæmon, imò per ſingula ludi-
crorum loca, uniuerſa dæmonum monſtra. Præſident enim ſedibus ſuo cul
tui dedicatis. Ac per hoc in ſpectaculis huiuſmodi nō ſola eſt illecebra, nec
ſola uitioſitas: admiſceri enim huic Chriſtianum hominem ſuperſtitioni,
genus eſt ſacrilegij: quia eorum cultibus communicat, quorum feſtiuitati-
bus delectatur. Quod quidem licet ſemper admodum graue ſit, tūc tamen
magis intolerabile, cum prẹter conſuetudinarium uitæ uſum hoc uel aduer
ſa noſtra faciunt criminoſius uel ſecunda, quia & magis placandus eſt in
aduerſis deus, & minus lædendus in proſperis. Placari quippe debet cum
iraſcitur, lædi nō debet cum placatur. Aduerſa enim nobis per iracundiam
Sua ipſius miſericordia deus exoratur dei ueniunt, ſecunda per gratiam. Nos autem e diuerſo omnia agimus. Di-
cis, Quomodo? Accipe, ac primum ſi quando exoratus ſua ipſius miſericor
dia deus (neq; enim unquam nos ita uiuimus, ut exorari mereamur) ſed ſi
quando.

quando, ut dixi, à ſeipſo exoratus pacificos nobis dies, prouentus uberes, diuitem bonis omnibus tranquillitatem, & abundantiam dederit ſuper uota creſcentem: tanta ſecundarum rerum proſperitate corrumpimur, tanta morum inſolentium prauitate uitiamur, ut & dei penitus obliuiſcamur & noſtri: & cum omnem fructum datæ à deo pacis in hoc conſiſtere Apoſtolus dicat, ut quietam & tranquillam uitam agamus in omni pietate & caſtitate: ad hoc tantum à deo data quiete utimur, ut in ebrietate, ut in luxuria, ut in flagitijs, ut in rapinis, ut in omni ſcelere atque improbitate uiuamus: quaſi uero beneficium datæ pacis, uacatio ſit probroſitatis, & ad hoc inducias tranquillitatis deo donante capiamus, ut licentius atque ſecurius peccemus. Indigni itaque cœleſtibus donis ſumus, qui beneficijs dei non bene utimur: qui facimus rem operum bonorum, materiam tantum eſſe uitiorum: quo fit ut ipſa pax contra nos ſit, quia ſic agitur à nobis ne expediat rem accipere qua deteriores ſumus. Quis hoc credere queat, mutamus naturam iniquitatibus noſtris: & quæ deus bona fecit munere pietatis ſuę, ea nos nobis facimus mala eſſe moribus malis. Sed uidelicet qui corrumpimur rebus proſperis, corrigimur aduerſis: & quos intemperantes pax longa fecit, turbatio facit eſſe moderatos. Nunquid populi ciuitatum, qui impudici rebus proſperis fuerant, aſperis caſti eſſe cœperunt? Nunquid ebrietas quæ in tranquillitate & abundantia creuerat, hoſtili ſaltē depopulatione ceſſauit? Vaſtata eſt Italia tot iam cladibus: ergo Italorum uitia deſtiterunt? Obſeſſa eſt urbs Roma, & expugnata: ergo deſierunt blaſphemi & furioſi eſſe Romani? Inundarunt Gallias gentes barbaræ: ergo quantum ad mores perditos ſpectat, non eadem ſunt Gallorum crimina quæ fuerunt? Tranſcenderunt in Hiſpaniæ terras populi Vuandalorum: mutata quidem eſt ſors Hiſpanorum, ſed non mutata uitioſitas. Poſtremo nequa pars mundi ab exitialibus malis eſſet immunis, nauigare per fluctus bella cœperunt: quæ uaſtatis urbibus mari clauſis, & euerſis Sardinia ac Sicilia, id eſt fiſcalibus horreis abſciſſis, uelut uitalibus uenis, Africam ipſam, id eſt quaſi animam cepere Reipub. Ecquid ingreſſis barbaris gentibus terram illam, forſitan uel metu uitia ceſſarunt: aut ſicut corrigi ad præſens etiam nequiſſimi quidam ſeruorum ſolent, modeſtiam ſaltem ac diſciplinam terror extorſit? Quis æſtimare hoc malum poſſit, circumſonabant armis muros Carthaginis populi barbarorum: & eccleſia Carthaginenſis inſaniebat in circis, luxuriabat in theatris: alij foris iugulabantur, alij intus fornicabantur: pars plebis erat foris captiua hominum, pars intus captiua uitiorum. Cuius peior fuerit captiuitas, incertum eſt. Illi quidem erant extrinſecus carne, ſed iſti intus mente captiui: & ex duobus letalibus malis, ut reor, leuius eſt captiuitatem corporis, quàm captiuitatem animæ ſuſtinere, ſecundum illud quod docet ſaluator ipſe in Euangelio, grauiorem mul-

Res ſecundæ — *1. Tim. 2* — *Indigni ſumus cœleſtibus donis* — *Bella nauigare cœperunt* — *Carthago à barbaris obſeſſa* — *Lucæ 9*

to animarum mortem eſſe, quàm corporum. An credimus forte, quod captiuus animus populi illius non fuerit, qui lætus tunc in ſuorum captiuitatibus fuit? captiuus corde & ſenſu non erat, qui inter ſuorum ſupplicia ridebat, qui iugulari ſe in ſuorum iugulis non intelligebat, qui ſe in ſuorum mori mortibus non putabat? Fragor, ut ita dixerim, extra muros, & intra muros, præliorum & ludicrorum confundebatur: uox morientium uoxq; bacchantium: ac uix diſcerni forſitan poterat plebis eiulatio quæ cadebat in bello, & ſonus populi qui clamabat in circo. Et cum hæc omnia fierent, quid aliud talis populus agebat, niſi ut cum eum deus perdere adhuc fortaſſe nollet, tamen ipſe exigeret ut periret? Sed quid ego loquor de longe

Saluiani patria poſitis, & quaſi in alio orbe ſubmotis, cum ſciam etiam in ſolo patrio, atque in ciuitatibus Gallicanis omnes fermè præcellentiores uiros calamitatibus ſuis factos fuiſſe peiores. Vidi ego ipſe ſiquidem Treueros domi nobiles, dignitate ſublimes, licet iam ſpoliatos atque uaſtatos, minus tamen euerſos rebus quàm moribus. Quamuis enim depopulatis iam atque nudatis aliquid ſupererat de ſubſtantia, nihil tamen de diſciplina: adeo grauiores in ſemet externis hoſtibus erant, ut licet iam à barbaris euerſi eſſent, à ſe tamen magis euerterentur. Lugubre eſt referre quæ uidimus, ſe-

11 nes honoratos, decrepitos Chriſtianos, imminente iam admodum excidio ciuitatis, gulæ ac laſciuiæ ſeruientes. Quid primum accuſandum eſt? quod honorati, an quod ſenes, an quod Chriſtiani, an quod periclitantes? Quis enim hoc fieri poſſe credat, uel in ſecuritate à ſenibus, uel in diſcrimine à pueris, uel unquam à Chriſtianis. Iacebant in conuiuijs obliti honoris, obliti ætatis, obliti profeſſionis, obliti nominis ſui. Principes ciuitatis cibo confecti, in uinolentia diſſoluti, clamoribus rabidi, baccha-

Sui ſenſus tione furioſi, nihil minus quàm ſenſus ſui: immo quia prope iugiter tales, nihil magis quàm ſenſus ſui. Sed cum hæc ita eſſent, plus multo eſt quod dicturus ſum, finem perditioni huic nec ciuitatum excidia fecerunt. De-

Treueris quater expugnata niq; expugnata eſt quater urbs Gallorum Treueris opulentiſſima. Promptum eſt de quo dicam. Sufficere utique debuerat emendationi prima captiuitas, & inſtauratio peccatorum non inſtauraſſet excidium. Sed quid plura? Incredibile eſt quod loquor, aſſiduitas illic calamitatum, augmen-

12 tum illic criminum fuit. Sicut enim anguinum illud monſtrum, ut fabulæ

Anguinum monſtrum ferunt, quod multiplicabat occiſio, ita etiam in Gallorum excellentiſſima urbe quibus ipſis cohercebantur ſcelera ijs creſcebant, ut putares pœnam ipſorum criminum non aliud quàm matrem eſſe uitiorum. Et quid plura? Ad hoc quotidie malorum pullulantium multiplicatione peruentum eſt, ut facilius eſſet urbem illam ſine habitatore, quàm ullum penè habitatorem eſſe ſine crimine. Igitur hoc in illa. Quid in alia non longe, ſed prope eiuſdem magnificentiæ ciuitate? nonne eadem & rerum ruina pariter & morum?

morum? Nam præter cætera, cum duobus illic præcipuis & generalibus
malis auaritia & ebrietate omnia concidiſſent, ad hoc poſtremo rabida ui/
ni auiditate peruentum eſt, ut principes urbis ipſius ne tūc quidem de con/
uiuijs ſurgerent, cum iam urbem hoſtis intraret: adeò etiam deus ipſis eui/
denter, ut credo, manifeſtare uoluit cur perirent, cum per quam rem ad per/
ditionem ultimam uenerant, eam ipſam agerent cum perirent. Vidi ego
illic res lachrymabiles, nihil ſcilicet inter pueros differre & ſenes. Vna erat
ſcurrilitas, una leuitas, ſimul omnia luxus, potationes, perditiones, cuncta
omnes pariter agebant: ludebant, inebriabantur, enecabantur, laſciuiebant
in conuiuijs, ueteli & honorati, ad uiuendum propè iam imbecilli, ad ui/
num prævalidiſſimi. Infirmi ad ambulandum, robuſti ad bibendum: ad
greſſum nutabundi, ad ſaltandum expediti. Et quid plura? In hoc per cun/
cta illa quæ diximus deuoluti ſunt, ut compleretur in eis dictum illud ſer/
monis ſacri: Vinum & mulieres apoſtatare faciunt à deo. Nam dum bi/ *Eccl 19*
bunt, ludunt, mœchantur, inſaniunt, Chriſtum negare cœperunt. Et mira/
mur poſt omnia iſta, ſi ruinam rerum ſuarum paſſi ſunt, qui tanto ante
mentibus corruerunt. Nemo itaque urbem illam excidio ſuo tantum pe/ *Prius perie/*
riſſe credat. Vbi enim talia acta ſunt, prius iam perierant quàm perirent. *rant quàm pe*
Dixi de urbibus præclariſſimis: quid reliquæ in diuerſis Galliarum parti/ *rirent*
bus ciuitates? nunquid non conſimilibus habitatorum ſuorum uitijs con/
ciderunt? Non ita cunctos crimina ſua preſſerant, ut nec metuerent peri/
culum ſuum? Prænoſcebatur captiuitas, nec formidabatur: ablatus quip/
pe erat à peccatoribus timor, ne poſſet eſſe cautela. Itaque barbaris penè
in conſpectu omnium ſitis, nullus metus erat hominum, non cuſtodia ci/
uitatum. Tanta animorum uel potius peccatorum cæcitas fuit, ut cum abſ/
que dubio nullus perire uellet, nullus tamen id ageret ne periret. Totum
incuria & ſegnities, totum negligentia & gula, totum ebrietas & ſomno/
lentia poſſidebant, ſecundum illud ſcilicet quod de talibus ſcriptum eſt: So *1.Reg.26*
por domini irruerat ſuper eos. Sopor quidem infunditur, ut perditio ſub/
ſequatur. Cum enim, ut ſcriptum eſt, completis iniquitatibus ſuis peccator *Gen.15*
quis meretur ut pereat: prouidentia ab eo tollitur, ut periturus non euadat.
Sed hæc hactenus. Satis, ut arbitror, quod propoſui euidenter oſtendi, ne
in ſummo quidem rerum diſcrimine ceſſaſſe unquam uitia ciuium, uſque
ad excidia ciuitatum. Atque hæc fuerunt fortaſſe, iam non ſunt, aut un/
quam eſſe ceſſabunt. Videlicet ſiqua adhuc hodie aut ciuitas, aut prouin/
cia uel plagis cœleſtibus afficitur, uel hoſtili populatione uaſtatur, humi/
liatur, conuertitur, emendatur. Et non cunctos fermè Romani nominis po
pulos prius eſt interire, quàm corrigi: non prius ipſos, quàm in ipſis uitia
non eſſe. Deniq; id breuiter probari poteſt. Exciſa ter continuatis euerſio/ *Prius intere/*
nibus ſumma urbe Gallorum, cum omnis ciuitas buſtum eſſet, malis & *unt quàm cor*
rigantur.

 poſt

poſt excidia creſcentibus. Nam quos hoſtis in excidio non occiderat, poſt excidium calamitas obruebat, cum id quod in excidio euaſerat morti, poſt excidium ſupereſſet calamitati: alios enim impreſſa altius uulnera longis mortibus necabant, alios ambuſtos hoſtium flammis etiam poſt flãmas pœna torquebat. Alij interibant fame, alij nuditate, alij tabeſcentes, alij rigentes, ac ſic in unum exitum mortis per diuerſa genera corruebãt. Et quid plura? unius excidio urbis affligebãtur aliæ quoqꝫ ciuitates. Iacebant ſiquidem paſſim, quod ipſe uidi atqꝫ ſuſtinui, utriuſqꝫ ſexus cadauera nuda, lacera, urbis oculos inceſtantia, auibus canibuſqꝫ laniata: lues erat uiuentium, fœtor funereus mortuorũ, mors de morte exhalabatur, ac ſic etiam qui excidijs ſupradictæ urbis non interfuerant, mala alieni excidij perferebant. Et quid poſt hæc, inquam, quid poſt hæc omnia? quis æſtimare hoc amentiæ genus poſſit? Pauci nobiles, qui excidio ſuperfuerant quaſi pro ſummo deletæ urbis remedio, circenſes ab imperatoribus poſtulabant. Vellem mihi in hoc loco ad exequendum rerum indignitatem parem negocio eloquentiam dari, ſcilicet ut tantum uirtutis eſſet in querimonia, quantum doloris in cauſa. Quis enim exiſtimare poſſit, quid primum in his de quibus diximus accuſandum ſit, irreligioſitas, an ſtultitia, an luxuria, an amentia: totum quippe in illis eſt. Quid enim aut irreligioſius, quàm petere aliquid iniuria dei: aut quid ſtultius, quàm quid pietas non conſiderare: aut quid tam perditi luxus, quàm in luctu res deſiderare luxurię: aut quid amentius, quàm in malis eſſe, & malorum intelligentiam non habere? Quanquam in ijs omnibus nulla res minus culpanda eſt, quàm amentia: quia uoluntas crimen non habet, ubi furore peccatur. Quo magis hi de quibus loquimur accuſandi ſunt, quia ſani inſaniebant. Circenſes ergo Treueri deſideratis & hoc uaſtati, hoc expugnati, poſt cladem, poſt ſanguinẽ, poſt ſupplicia, poſt captiuitatem, poſt tot euerſæ urbis excidia: quid lachrymabilius hac ſtultitia, quid luctuoſius hac amentia? fateor miſerrimos uos eſſe credidi, cum excidia paſſi eſtis: ſed miſeriores uos uideo, cum & ſpectacula poſtulatis. Putabam enim uos in excidijs rem tantum atqꝫ ſubſtantiam, neſciebã etiam ſenſum atqꝫ intelligẽtiam perdidiſſe. Theatra igitur quæritis, circum à principibus poſtulatis: cui quæſo ſtatui, cui populo, cui ciuitati? urbi exuſtæ & perditæ, plebi captiuæ, & interemptæ, quæ aut perijt, aut luget. De qua etiã ſiquid ſupereſt, totum calamitatis eſt: quæ cuncta aut mœſtitudine eſt anxia, aut lachrymis exhauſta, aut orbitate proſtrata: in qua neſcias penè cuius ſit ſors peior ac deterior, interfectorum, aut uiuentium. Tantæ enim miſeriæ ſunt ſuperſtitum, ut infelicitatem uicerint mortuorũ. Ludicra ergo publica Treuir petis, ubi quæſo exercenda? an ſuper buſtum & cineres, ſuper oſſa & ſanguinem peremptorũ? Quæ enim urbis pars his malis omnibus uacat, ubi non cruor fuſus, ubi non ſtrata corpora, ubi non conciſorum membra

Honeſtiſſimũ uotum

Sani inſaniebant

membra lacerata? Vbiq; facies captæ urbis,ubique terror captiuitatis,ubi- 15
que imago mortis. Iacent reliquiæ infeliciſſimæ plebis ſuper tumulos mor-
tuorum ſuorum,& tu circenſes rogas. Nigra eſt incendio ciuitas, & tu uul-
tum feſtiuitatis uſurpas. Lugent cuncta, tu lætus es. Inſuper etiam ille-
cebris flagitioſiſſimis deum prouocas, & ſuperſtitionibus peſſimis iram
diuinitatis irritas. Non miror planè, non miror, tibi eueniſſe mala quæ
conſecuta ſunt. Nam quia tua te excidia non correxerunt, quarto perire
meruiſti. Hæc autem omnia ideo copioſius paulo prolata ſunt, ut proba-
remus ſcilicet, omnia quæ pertulimus, non improuidentia nos dei atq; ne-
glectu, ſed iuſtitia, ſed iudicio, ſed æquiſſima & digniſſima diſpēſatione to-
leraſſe. Neque ullam penitus Romani orbis, aut Romani nominis portio-
nem, quālibet grauiter plagis cœleſtibus cæſam, unquam fuiſſe correctam.
Et ideo nequaquam uti meremur proſperis, quia non corrigimur aduerſis:
quamuis nobis etiam indignis interdum tribuantur bona, quia bonus do-
minus, quaſi indulgentiſſimus pater, etſi nos nonnunquam ſinit pro pecca
tis noſtris humiliari, non diu tamen patitur affligi: & ideo nunc aſperis re-
bus caſtigat ſuos pro diſciplina, nunc tranquillis fouet pro indulgentia. Si- *Simile*
cut eñ optimi ac peritiſſimi medici diſſimilibus morbis curas diſpares pre-
ſtant, atq; alijs per dulcia medicamina, alijs per amara ſuccurrunt, & quoſ-
dam curant cauteriorum aduſtione, quoſdam malagmatum placabilitate,
alijs adhibent duram ferri ſectionem, alijs blandam infundunt olei lenita-
tem, & tamen diuerſiſſimis licet curis eadem ſalus quæritur: Ita etiam deus
noſter, ſi quādo nos plagis auſterioribus cohercet, quaſi cauterijs & ſectio-
nibus curat: quādo autem rebus proſperis refouet, quaſi oleo ac malagma-
tibus conſolatur. Per diuerſam enim opem, ad unā nos uult perducere ſa-
nitatem. Solent quippe etiam nequiſſimos ſeruos, quos ſupplicia non cor-
rexerunt, blandimenta corrigere: & quos dominis ſuis uerbera non ſubmi-
ſerint, beneficia ſubmittūt. Infantes quoq; & omnes ferè paruulos cōtuma-
ces, quos morigeros minæ ac ferulæ nō efficiūt, interdū πάιχνια atq; blan 14
ditiæ ad obedientiā trahūt. Vnde intelligere debemus nos & ſeruis nequiſ-
ſimis nequiores, & inſipientibus paruulis ſtultiores eſſe, quos nec quaſi ma
los ſeruos tormēta corrigūt, nec quaſi infantulos blandimēta cōuertunt. Et
quidē quēadmodū nullā Romani nominis partē pœna correxerit, ſatis, ut
arbitror, iā probauimus. Supereſt ut quēadmodū nec munera, nec blandi- *Munera dei*
menta nos dei corrigāt cōprobemus. Munera autē dei & blandimēta quæ *blandimenta*
nam ſunt? quę ſcilicet niſi pax noſtra & quies noſtra, & famulantes uotis ac *quædam ſunt.*
uoluptatibus noſtris rerū ſecūdarū trāquillitates. Aliquid ergo, quia res exi
git, etiā ſpeciale dicamus. Igiť quoties in metu, in anguſtijs, in periculis ſu-
mus, cū aut ciuitates ab hoſtibus obſidenť, aut prouinciæ populatione ua-
ſtanť, aut quibuſcunq; rerum aduerſitatibus Reipub. membra cæduntur,

& opem cœleſtis manus uotis precamur, ſi quo ſacræ miſerationis auxilio aut ſeruatæ urbes fuerint, aut finita populatio, aut hoſtiles exercitus fuſi, & metus omnis dono diuinitatis ablatus, quid ſtatim poſt hæc omnia facimus? compenſare credo domino deo noſtro, cultu, honore, reuerentia, beneficia, quæ ab eo accepimus adnitimur. Hoc enim eſt conſequens, atq; id etiam uſus uitæ humanæ habet, ut referatur gratia fœneratoribus gratiarum, & recipiant uicem munerum munerantes: ita ergo nos forſitan facimus: atque humanis ſaltem cum deo noſtro retributionibus agentes, cum ab eo bona accepimus, bona reddimus: ad domos uidelicet ſtatim domini cas currimus, corpora humi ſternimus, mixtis cum fletu gaudijs ſupplicamus. Illuſtramus donarijs ſacra limina, aras muneribus. Et quia ipſi dono illius feſti ſumus, templum quoque ipſius uultu noſtræ feſtiuitatis induimus: aut certe quod ei non minus eſt, prioribus ex ipſo corde uitijs renuntiamus, operum bonorum uictimas cædimus, & pro gaudijs nouis nouæ conſeruationis hoſtias immolamus. Omnibus denique immunditijs bellum ſanctum indicimus. Circorum inſanias fugimus, fœditates theatralium ludorum execramur. Vouemus domino nouam uitam, & ad obtinendam eius perpetuo protectionem, noſmetipſos deo ſacrificamus. Cum hęc ergo quæ diximus pro recentibus beneficijs dei debeant fieri, uideamus quæ fiant: ad ludos protinus curritur, ad inſanias conuolatur, in theatris populus diffunditur, in circis plebs tota bacchatur. Ille nobis ad hoc bona præſtat, ut boni ſimus: nos ediuerſo quoties bona accepimus, mala noſtra cumulamus: ille nos beneficijs ſuis uocat ad probitatem, nos ruimus in improbitatem: ille beneficijs ſuis prouocat ad compunctionem, nos ruimus in diſſolutionem: uocat ille ad caſtitatem, nos ruimus in impuritatem. Præclare uidelicet ſacris muneribus reſpondemus. Præclare dona eius uel agnoſcimus, uel honoramus, qui quantum ab eo beneficij accepimus, tantum ei iniuriarum repenſamus: aut iniuria dei hoc forte non eſt, aut eſſe indignior poſſit, aut multis & magnis opus ſit: ſed inueterata in nobis malorum omnium labe aliter iam non uitioſi eſſe non poſſumus, niſi ut omnino nō ſimus. Quæ in nobis rogo ſpes bonæ frugis eſt? Qui ignorantia pec cant, errore agnito corriguntur. Qui religionis expertes commutauerunt ſe ctam, mutare incipiunt diſciplinam. Poſtremo, ut dixi, qui aut abundantia nimia, aut ſecuritate uitiantur, deſinunt eſſe perditi cum deſtiterint eſſe ſecuri. Nos nec ignorantia labimur, nec religionis expertes ſumus, nec proſpe ritate rerum ac ſecuritate corrumpimur. Omnia ſiquidē ediuerſo ſunt. Reli gionem nouimus, ignorantia nō excuſamur. Pacem & diuitias priorū temporū nō habemus. Omnia quæ fuerant, aut ablata, aut immutata ſunt, ſola tātū uitia creuerūt. Nihil nobis de pace & proſperitate priſtina reliquū eſt, niſi ſola omnino crimina, quæ proſperitatē nō eſſe fecerūt. Vbi nanq; ſunt antiquæ

Referenda gratia · *Ironicῶs* · *Sola uitia creuerunt*

antiquæ Romanorum opes, & dignitates? Fortiſſimi quondam Romani erant, nunc ſine uiribus. Terrebant Romani ueteres, nos timemus: uectigalia illis ſoluebant populi barbarorum, nos uectigales barbaris ſumus. Vendunt nobis hoſtes lucis uſuram, tota admodum ſalus noſtra commercium eſt. O infelicitates noſtræ, ad quid deuenimus? & pro hoc gratias barbaris agimus, à quibus nos ipſos precio comparamus. Quid poteſt eſſe nobis uel abiectius, uel miſerius: & uiuere nos poſt iſta credimus, quibus uita ſic conſtat? Inſuper etiam ridiculos ipſi nos facimus, aurum quod pendimus, munera uocamus. Dicimus donum eſſe quod precium eſt, & quidem precium conditionis duriſſimæ ac miſerrimæ. Omnes quippe captiui cum ſemel redempti fuerint, libertate potiuntur: nos ſemper redimimur, & nunquam liberi ſumus. Illorum more dominorum nobiſcum barbari agunt, qui mancipia obſequijs ſuis non neceſſaria mercedibus promerendis locant. Similiter enim non unquam ab hac ſumus liberi functione quam pendimus. Ad hoc quippe mercedes iugiter ſoluimus, ut ſine ceſſatione ſoluamus.

Romani quondam fortes

Simile

SALVIANI MASSYLIENSIS EPISCOPI DE VERO IVDICIO ET PROVIDENTIA DEI, LIBER SEPTIMVS.

CVM autem de infirmitate ac miſeria Romanorũ nonnulla dixerim, contraria forſitan negocio quod nũc agimus dixiſſe uidebimur. Scio enim poſſe hoc loco ſubijci, Hinc maxime probari, quod non reſpiciat humanas res deus: quia cum Romani quondam pagani & uicerint, & regnauerint, nunc Chriſtiani & uincantur, & ſeruiant. Sufficere quidem ad confutationem obiectionis iſtius poterant illa, quæ dudum de cunctis ferè paganis gentibus dicta ſunt: id eſt magis peccare eos qui ſcientes negligant legem dei, quàm qui non faciunt neſcientes. Sed tamen ſi deus annuit, cum ad eam negocij partem acceſſerimus, ut de ueteribus Romanis aliqua dicantur, euidenter diuino munere approbabimus, tam iuſtum tunc erga illos fuiſſe domini fauorem, quàm nunc erga nos iuſtam ſeueritatem. Et tam dignum illud fuiſſe, quod Romanos tunc deus auxilio ſuo extulit, quàm nũc dignum eſſe quod puniuntur. Atque utinam pœna ipſa prodeſſet. Illud grauius ac luctuoſius multo, quod poſt pœnam nulla correctio eſt. Curare nos uult caſtigationibus ſuis dominus, ſed curam non remedia ſequuntur. Quid hoc mali eſt? iumenta ac pecudes ſectione curantur. Et putrefacta mulorum, aſinorum, porcorum uiſcera, cum aduſta cauterijs fuerint, munus medicæ aduſtionis agnoſcunt, ſtatimq́

Poſt pœnam nulla correctio

Diſsimile

ſtatimq́ ubi aut cremata, aut deſecta fuerit uitiatorum corporum labes, in locum demortuæ carnis uiua ſuccedit. Nos & urimur, & ſecamur: ſed nec ferri deſectione, nec cauteriorum aduſtione ſanamur: immo quod eſt grauius, cura ipſa deteriores ſumus. Et ideo non fruſtra nobis euenit, quod euenire pecudibus & iumentis ſolet, quæ irremediabiles morbos ferunt. Nam in omnibus partibus mundi quia curis medicantibus non corrigimur, morte atque occiſione finimur. Ecce enim, ut non repetam, quæ multo ante iam dixi, hoc ipſum quale eſt quod paulo ante memoraui, ſcilicet quia & miſeri pariter & luxurioſi ſumus? Eſto enim ſint uitia iſta felicium, quamuis nemo quidem probroſus poſſit eſſe & felix: quia ubi non eſt uera honeſtas, non eſt uera felicitas. Sed modo, ut ſupra dixi, eſto ſint uitia iſta felicium, & longe flagitioſius laborauerunt ad exacerbandum. An forte falſum eſt, & odioſe potius, quàm uere iſta dicuntur? Non oratoria probatione qua uti alij in cauſis ſolent, ut producam quoſcunque ad probandum aut paucos, aut extraneos, aut minus idoneos teſtes: ipſos interrogemus à quibus acta ſunt: falſum ſit quod diximus, ſi negarint: fatentur etiam. Et quidem quod eſt grauius ſic fatentur, ut in ipſa confeſſione non doleant: idem enim nunc eſt animus in fatentibus, qui in agentibus fuit. Sicut tunc non puduit flagitia committere, ſic nunc omnino non pœnitet flagitioſa feciſſe. Exceptis tamen perpaucis fermè ſanctis atque inſignibus uiris, qui, ut quidam de numero ipſorum ait: Sparſis redemerunt crimina nummis. Exceptis, inquam, his quos loquor, utique etiam in illa tunc generali admodum colluuione uitiorum, recte minorum criminum reos fuiſſe credimus, qui corrigi à diuinitate meruerunt. Non penitus enim dominum lædit ſuum, cui propitiatio reſeruatur. Et quid plura? puto quod ſemper & in ipſo errore reſpexerit, à quo hoc obtinere potuit, ne diutius erraret. Cæteri autem & plurimi fermè ac nobiliſſimi, propè idem omnes: unus gurges, omnium gula: penè unum lupanar, omnium uita. Et quid dicam de lupanaribus? minoris etiam criminis lupanar puto. Meretrices enim quæ illic ſunt, fœdus connubiale non norunt, ac per hoc non maculant quod ignorant. Impudicitiæ enim piaculo ſunt obnoxiæ, ſed reatu tamen adulterij non tenentur. Adde huic quod & pauca fermè ſunt lupanaria, & paucæ quæ in his uitam infeliciſſimam uiuunt. Damnauere meretrices apud Aquitanos: at ubi ea ciuitas in locupletiſſima ac nobiliſſima ſui parte non quaſi lupanar fuit? Quis potentum ac diuitum non in luto libidinis uixit? Quis non ſe barathro ſordidiſſimæ colluuionis immerſit? Quis coniugij fidem reddidit? immo quantum ad paſſiuitatem libidinis pertinet, quis non coniugem in numerum ancillarum redegit? & ad hoc uenerabilis connubij ſacramenta deiecit, ut nulla in domo eius uilior uideretur in maritali deſpectione, quàm quæ erat princeps

Vera felicitas

Hemiſtichiũ ex Poëta quopiam

Lupanaria

Aquitani

princeps matrimonij dignitate. Cogitat forte aliquis non ita ad plenum
eſſe ut loquor,habuiſſe enim illic matresfamilias ius ſuum, & dominarum
honorem poteſtatemq; tenuiſſe. Verum eſt, habuerunt quidem multæ in
tegrum ius dominij, ſed nulla fermè impollutum ius matrimonij: & nos
modo non quærimus quæ mulierum poteſtas, ſed quàm uirorum corru-
pta fuerit diſciplina. Quamuis nec poteſtatem quidem illic matresfamilias
integram habuiſſe dicam, quia quæcunq; ius connubij inuiolatum ac ſal-
uum non habet,nec dominium ſaluum habet. Haud multum enim matro
na abeſt à uilitate ſeruarum, ubi paterfamilias ancillarū maritus eſt. Quis
autem Aquitanorum diuitum non hoc fuit, quem non ſibi ancillæ impu-
dicißimæ, aut adulterum, aut maritum iure dixerunt? Equi enim emiſſa- *Hiere.5*
rij, ut propheta ait, in fœminas facti ſunt. Vnuſquiſque enim ad uxores
proximi ſui irruebat: atque illi de quibus hæc ſcripta legimus, & minore for
taſſe crimine, & minore, ut reor, numero criminum ac paſſiuitate pecca-
bant. Hi autem uere ut emiſſarij equi non ad paucas tantum, ſed penè ad *Emiſſarij*
omnes uernulas ſuas, id eſt ad greges proprios irruebant, & in morem eo- *equi*
rum pecudum, qui mariti gregum appellantur, feruidæ libidinis debaccha
tione graſſantes, in quamcunque eos primum fœminam ardens impudici-
tiæ furor traxerat, irruebant. Hic iam quæro à ſapientibus, cum hæc ita eſ-
ſent, quales putent fuiſſe illic familias, ubi tales erant patresfamilias? Quan
ta ſeruorum illic corruptela, ubi dominorum tanta corruptio? Morbido *Morbidum*
enim capite, nil ſanum eſt: neque ullum omnino membrum officio ſuo fun *caput*
gitur, ubi quod eſt principale nō conſtat. In domo autem ſua pacis & opu-
lentiæ ſecuritas. Cur quæſo illic ſunt, ubi iam nulla pax, ubi nulla ſecuritas.
In omni enim fermè urbe Romana, pax & ſecuritas non ſunt. Cur ſola ui-
tia tantum perdurant? quis rogo ferre poſſit in homine egeſtuoſo eſſe la-
ſciuiam? Crimino ſior quippe eſt luxurioſa paupertas, & maioris eſt inui- *Luxurioſa*
diæ miſer nugator. Quis captiuitatem expectans de circo cogitat? Quis *paupertas*
metuit mortem, & irridet? Nos & in metu captiuitatis ludimus, & poſiti in
mortis timore ridemus. Sardonicis quodammodo herbis omnem Roma- 4
num populum putes ſaturatum. Moritur & ridet, & ideo in omnibus ferè *Riſus Sardo*
partibus mundi riſus noſtros lachrymæ conſequuntur: ac uenit etiam in *nius*
præſenti ſuper nos illud domini noſtri dictum: Væ uobis qui ridetis, quo- *Riſum lachry*
niam flebitis. Sed forſitan cum de ludicris ac fœditatibus publicis diutiſſi- *mæ cōſequun*
me dixerimus, in hoc tantum deteriores eſſe nos putes barbaris, quia illi *tur*
hæc non agunt, nos agimus, cæterum ipſo carnalis libidinis ſcelere & for-
nicationis funeſtæ cœno nō ita pollui. Comparemus, ſi placet, cęteris natio
nibus etiam in hac parte Romanos: & quidem neſcio an ullis rectius cōpa
rentur, q̧ his quos deus in medio Reip. ſuæ poſitos, poſſeſſores fecit ac do
minos ſoli eſſe Romani. Vnde quāuis nihil diſputari de iudicio dei poſſit,
tamen

tamen cum ablatam nobis iuris noſtri optimam partem barbaris dederit,
uideamus an id quod nobis tulit & illis tradidit, iuſto iudicio tradidiſſe ui-
5 deatur. Nemini dubium eſt Aquitanos omnes populos medullam fere o-
mnium Galliarum,& uber totius fœcunditatis habuiſſe: nec ſolum fœcun-
ditatis,ſed quæ præponi interdum fœcunditati ſolent,uoluptatis, iocundi-
tatis,pulchritudinis: adeò illic omnis admodum regio aut intertexta uine-
is,aut florulenta pratis,aut diſtincta culturis, aut conſita pomis, aut amœ-
nata lucis, aut irrigata fontibus, aut interfuſa fluminibus, aut circundata
meſſibus fuit: ut uere poſſeſſores & domini terræ illius, non tam ſoli iſtius
6 portionem, quàm paradiſi imaginem poſſediſſe uideantur. Quid ergo
poſt iſta omnia? officioſiores abſq; dubio deo eſſe debuerant,quos ſpecia-
liter deus abũdantiſſima beneficiorum ſuorum dote ditauerat. Quid enim
rectius aut quid dignius, quàm ut quibus per munera ſua dominus quaſi
ſpecialiter uidebatur placere uoluiſſe, ijdem quoq; ſpecialius domino cultu.
ac religione placuiſſent? præſertim cum à nobis deus nil onerosum,nil gra-
ue exigat. Non enim nos ad aratra, aut ad ligones uocat, non ad ſcinden-
das terras,neq; ad uineas paſtinandas,non denique illa exigit à ſuis ſeruis
Matth.11 quæ nos exigimus à noſtris. Quid nanq; ait? Venite ad me omnes,qui la-
boratis & onerati eſtis, & ego reficiam uos. Tollite iugum meũ ſuper uos,
& diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem ani-
mabus ueſtris. Iugum enim meum ſuaue, & onus meum leue. Non ergo
nos ad laborem uocat dominus, ſed ad refectionem. Quid nanq; à nobis
exigit,quid præſtari ſibi à nobis iubet,niſi ſolam tantummodo fidem,caſti
tatem,humilitatem,ſobrietatem,miſericordiam,ſanctitatem? quæ utiq; o-
mnia non onerant nos,ſed ornant:nec ſolum hoc, ſed adcò uitam præſen-
tem ornant,ut futuram plus ornare poſſint. O pium,ó inæſtimabilis miſe-
ricordię dominum,qui ad hoc nobis in præſenti religionis munera tribuit,
ut ipſa in nobis poſtea quę nũc dat munera muneretur. Tales igitur etiam
omnes abſq; dubio Aquitani eſſe debuerant. Et quidem, ut diximus, ſpe-
cialius tales,quia ſpecialia dei munera poſſidebãt. Et quid poſt hęc omnia,
quid ſecutum eſt? quid,niſi cuncta quæ diuerſa ſunt? in omnibus quippe
Gallijs ſicut diuitijs primi fuere,ſic uitijs. Nuſquam enim improbior uolu-
ptas,nuſquam inquinatior uita,nuſquam corruptior diſciplina. Hanc pro
muneribus ſacris dederunt domino retributionem: ut inquantum eos be-
neficijs ſuis ille ad ſe illexerat ad propitiandum, intantum illi ab eo recede-
rent. Dominus quaſi corporis ſui caput eſt, & uita eius cunctis quaſi nor-
ma uiuendi. Peſſimumq́; eſt hoc in hoc negocio,quod libentius omnes de
teriora ſectantur:& facilius mala inſtitutio damnat bonos, q̃ bona emen-
dat malos. Porrò autem cum etiam boni atque honeſti patresfamilias fa-
mulos bonos facere non poſſint,quantam illic putamus fuiſſe labem fami
liarum,

liarum,ubi domini erant impuritatis exemplum? Quamuis nõ exemplum illic tantummodo fuerit,ſed uis ac neceſſitas quædam: quia parere impudiciſſimis dominis famulę cogebantur inuitæ: & libido dominantium, neceſſitas ſubiectarum erat. Ex quo intelligi poteſt, quantum cœnum impudicarum ſordiũ fuerit, ubi ſub impuriſſimis dominis caſtas eſſe etiamſi uoluiſſent fœminas non licebat. Sed uidelicet difficile hoc probari poteſt, & nulla omnino extant præteritarum turpitudinum flagitiorumq; ueſtigia. Ecce etiam nunc multi ex eis licet patria careant, & in comparatione præteritarum opum pauperes uiuant, peiores fermè ſunt quàm fuerunt. Peiores autem non uno modo, quia etſi eadem faciunt quę ante faciebant, hoc ipſo tamen deteriores ſunt quia à ſcelere non ceſſant. Siquidem facinora eorum etſi maiora non ſunt, attamen plura ſunt: ac per hoc etſi criminum nouitate non creſcunt, pluralitate cumulantur. Adde autem quod hæc, ut dixi, faciunt iam ſenes, adde quod pauperes. Vtrunq; enim ſceleris augmentum eſt: minus ſiquidem prodigioſum eſt peccare iuuenes, peccare locupletes. Quæ autem in ijs ſpes aut remedium eſt, qui ab uſitata impuritate, nec miſeriarum egeſtate, nec uitæ extremitate reuocantur? Eſto enim quoſdam aut ſtulta præſumptio longæ uitæ, aut ſpes quandoq; agendæ pœnitentiæ conſoletur: nónne nouum hoc monſtri genus eſt, eſſe aliquos etiam in morte uitioſos? Quæ cum ita ſint, nunquid eſt aliquid quod dici amplius poſſit? Sed adhuc tamẽ addamus, ſcilicet quod multi hæc agunt hodie etiam inter hoſtes ſiti, & quotidiano diſcrimine ac timore captiui. Cumq; ob impuriſſimam uitam traditi à deo barbaris fuerint, impuritates tamẽ ipſas etiam inter barbaros non relinquunt. Sed tales forte hoſtes ſunt inter quos agunt, ut eos iſta delectent, & offendantur grauiſſime, ſi cum impudici ſint, uideant caſtos eſſe Romanos: quod ſi ita eſſet, nequaquam tamen facere nos improbos improbitas deberet aliena: quia quemlibet hominũ magis ſibi præſtare conuenit ut ſit bonus, quàm alteri ut ſit malus: & plus id laborandum eſt ut placeamus deo per honeſtatem, quàm ut hominibus per impuritatem: ac perinde etiam ſi inter impudicos quis barbaros uiuat, magis tamen pudicitiam amet, ſiquidem quæ ſibi expedit, quàm impudicitiam, quæ impuris hoſtibus placet. Sed quid accidit inſuper ad mala noſtra? Inter pudicos barbaros impudici ſumus. Plus adhuc dico, offenduntur barbari ipſi impuritatibus noſtris. Eſſe inter Gothos non licet ſcortatorem Gothum, ſoli inter eos præiudicio nationis ac nominis permittuntur impuri eſſe Romani. Et quæ nobis rogo ſpes ante deum eſt? impudicitiam nos diligimus, Gothi execrantur: puritatem nos fugimus, illi amant: fornicatio apud illos crimen atq; diſcrimen eſt, apud nos decus. Et putamus nos ante deum poſſe conſiſtere? Putamus nos poſſe ſaluos eſſe, quando omne impuritatis ſcelus, omnis impudicitiæ turpitudo à Romanis admittitur, &

Inter pudicos barbaros impudici

à barbaris uindicatur? Hic nunc illos requiro, qui meliores nos putant eſſe quàm barbaros. Dicant quid horum uel pauciſſimi Gothi faciũt, uel quid non horum Romani omnes, uel penè omnes: & miramur, ſi terrę uel Aquitanorum, uel noſtrum omnium à deo barbaris datæ ſunt: cum ea quæ Romani polluerãt fornicatione, nũc mundent barbari caſtitate. Sed forte hoc in Aquitanicis tantum: tranſeamus etiam ad alias mundi partes, ne de ſolis tantummodo Gallis dixiſſe uideamur. Quid Hiſpanias? nónne uel eadem, uel maiora forſitan uitia perdiderunt? Quas quidem cœleſtis ira etiã ſi alijs quibuslibet barbaris tradidiſſet, digna tamen flagitiorum tormenta tolerauerunt puritatis inimici. Sed acceſſit hoc ad manifeſtandã illic impudentiæ damnationem, ut Vuandalis potiſſimum, id eſt publicis barbaris traderentur. Dupliciter in illa Hiſpanorum captiuitate deus oſtendere uoluit, quantum & odiſſet acrius libidinem, & diligeret caſtitatem, cum & Vuandalos ob ſolam maxime pudicitiam illis ſuperponeret, & Hiſpanos ob ſolam uel maxime impudicitiam ſubiugaret. Quid enim? Nunquid nõ erant in omni orbe terrarum barbari fortiores, quibus Hiſpaniæ traderentur? multi abſq; dubio, imò ni fallor, omnes. Sed ideo ille infirmiſſimis hoſtibus cuncta tradidit, ut oſtenderet ſcilicet nõ uires ualere, ſed cauſam: neque nos tunc ignauiſſimorum quorundam hoſtium fortitudine obrui, ſed ſola uitiorum noſtrorũ impuritate ſuperari: ut uere in nos uenerit dictum illud, quod ait ad Iudæos dominus: Secundum immunditias ſuas & ſecundum iniquitates ſuas feci illis, & auerti faciem meam ab eis. Et alibi ad gentem ipſam: Adducet dominus ſuper te gentem de longinquo, & ungulis, inquit, equorum ſuorum omnes plateas conculcabunt, & populum tuũ gladio interficient. Completa ergo in nos ſunt omnia quæ ait ſermo diuinus, & iura uerborum cœleſtium luit pœna cunctorum: ſed tamen cum omnes ferè barbaræ gentes Romanum ſanguinem biberint, omnes uiſcera noſtra lacerauerint, quid eſt quod deus noſter maximas Reipub. opes & locupletiſſimos Romani nominis populos in ius potiſſimum ignauiſſimorũ quorundam hoſtium dedit? Quid, niſi ut cognoſceremus ſcilicet quod ſupra dixi, meritorum hoc fuiſſe, non uirium: utq; ipſum quoq; hoc nobis in confuſionem caderet ac pœnam, quod ignauiſſimis traderemur: & uel ſic plagam cœleſtis manus agnoſceremus, quia nos non fortiſſimi, ſed ignauiſſimi ſubiugarẽt. Sic euidẽter deus intelligi uoluit, magna opera ſæpe patrari per paucos. Ita per infirmos res acta eſt, ne opus cœleſtis dexteræ uirtuti aſſignetur humanæ, ſed diuinæ: ſiquidem & dux Siſara, quem Hebræus timebat exercitus, à muliere proſtratus eſt. Et Abimelech ciuitatum expugnatorem fœminea manus perculit, & ferratæ Aſſyriorum acies uidua opitulante ceciderunt. Et ne de ſolis fœminis tantum loquar, Benadab regem Syriæ, cui præter innumera populi ſui milia, & triginta duo reges, exercitusq;

Hiſpaniæ · *Vuandali* · *Non uires ualere, ſed cauſam* · *Deut. 28* · *Iudicũ 4 et 9* · *3. Reg. 20*

tusq́ eiuſdem numeri ſeruiebant, nónne ideo à paucis principum pediſſe quis dominus uinci uoluit, ut qui eſſet autor talis uictoriæ noſceretur? Contra Madianitas quoque, qui, ut liber Iudicum refert, inſtar locuſtarum cuncta compleuerant: Gedeon iubetur pugnare cum paucis, non quia plures in exercitu non haberet, ſed uetatur multos ad bellum ducere, ne multitudo ſibi poſſit aliquid de uictoria uſurpare. Vnde cum triginta milia armatorum congregaſſet, ſic ad eum dominus locutus eſt: Multus eſt tecum populus, nec tradetur Madian in manus eius. Et quid poſtea? homini aduerſum innumera barbarorum milia pugnaturo CCC tantum uiros reliquit. In eam quippe exiguitatem redigi agmen militum iuſſit, ut ſibi de parato diuinitus belli opere paucitas uſurpare nihil poſſet: denique cur hoc dominus faceret, ita ipſe euidentiſſime declarauit, dicens: Ne glorietur contra me Iſraël & dicat, uiribus meis liberatus ſum. Audiant, inquam, hoc omnes improbi, audiant omnes præſumptuoſi, audiant præpotentes, audiant cuncti quid deus dicit: Ne glorietur, inquir, contra me Iſraël, & dicat: Meis uiribus liberatus ſum. Audiant, inquam, omnes contraria & blaſphema iactantes, audiant hæc ſpem ſuam in homine ponentes, loqui uniuerſos aduerſum ſe deus dicit, qui liberari ſe uiribus ſuis poſſe præſumunt. Quis autem eſt Romanorum non ita dicens? Quis eſt non ita ſentiens? Quis noſtræ partis non propè iugiter in hac parte blaſphemat? Nullas eſſe iam Reipub. uires, omnium conſcientia eſt, & ne ſic quidem agnoſcimus, cuius hoc beneficijs, quod adhuc uiuimus, debeamus. Siquãdo enim nobis proſperi aliquid præter ſpem noſtram & meritum deus tribuit, alius aſſcribit hoc fortunæ, alius euentui, alius ordinationi ducum, alius conſilio, alius magiſtro, alius patrocinio, nullus deo. Et miramur ſi nobis cœleſtis manus aliqua non præſtet, cui quicquid præſtiterit derogamus. Quid enim aliud facimus, cum bona quæ præſtat, nos uel euentibus caſuum, uel uirtutibus ducum, uel quibuſcunque alijs rebus friuolis deputamus? Hoc enim modo & terris nos oportet gratias agere quod fruges annuas metimus, & uineis quod uindemiamus, & mari quod piſces capimus, & ſyluis quod ligna cædimus, & ouibus quod ueſte tegimur, & pecudibus cæteris quod carne ſaturamur. Nam quæ ratio eſt, ut ei pro muneribus alijs grati eſſe uelimus, cui maximorum beneficiorum gratiam derogamus? Aut quis contentus eſt homo noſtræ conditionis, ut ei quis acceptum referat, cui de donis ſuis detraxerit ſumma? Ita & nos licet deo in nullo digne gratias agamus, parum tamen erat ſi pro his tantummodo grati eſſe uellemus, quæ ad uſum uiuendi dedit: Cur hanc gratiam tollimus, quod nos in anguſtijs iuuat, & in periculis liberat, & in medio barbararum gentium ſuos iugi protectione conſeruat? At non ita Gothi, non ita Vuandali, malis licet doctoribus inſtituti, meliores tamen in hac parte quàm noſtri. Offen-

Victoria autor *Iudic. 7*

Ibidem

Audiant improbi

Omnia deo ſunt accepta ferenda

Veritas di quoſdam quamuis ſuſpicor his quæ diximus: ſed quia ueritas magis quàm offenſio cogitanda eſt, dicam, & ſæpe dicam: non ita Gothi, non ita Vuandali, qui & in diſcrimine poſiti opem à deo poſtulant, & proſperitatis ſuæ munus diuinis nominibus appellant. Denique probauit hoc bello proximo infelicitas noſtra. Cum enim Gothi metuerunt, præſumpſimus nos: nos in uiribus ſpem ponere, illi in deo: cum pax ab illis po-
Epiſcopi ſtularetur, à nobis negaretur: illi epiſcopos mitterent, nos repelleremus: illi etiam in alienis ſacerdotibus deum honorarent, nos etiam in noſtris contemneremus: prout actus utriuſque partis, ita & rerum terminus fuit. Illis data eſt in ſummo timore palma, nobis in ſumma elatione confuſio. Vere & in nobis tūc & in illis euidenter probatum fuit illud domini noſtri
Lucæ 14 dictum, Quoniam qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur. Illis enim exaltatio data eſt pro humilitate, nobis pro elatione deiectio. Nanque agnouit hoc ille dux noſtræ partis, qui eandem urbem hoſtium quam eodem die uictorem ſe intraturum eſſe præſumpſit, ca-
Prouerb. 16 & 20 ptiuus intrauit. Probauit ſcilicet quod propheta dixit, quia non eſt hominis uita eius, nec uiri eſt ut ambulet & dirigat greſſus ſuos. Nam quia uiam ſuam iuris ſui exiſtimauit, nec greſſum directionis habuit, nec ui-
Pſal. 106 am ſalutis inuenit. Effuſa eſt, ut legimus, abiectio ſuper principem, ſeductus eſt in inuio, & non in uia: & ad nihilum deductus eſt, uelut aqua decurrens: in quo quidem præter ipſam rerum infelicitatem præſens iudicium dei patuit, ut quicquid facturum ſe uſurparat pateretur. Nam quia ſine diuinitatis auxilio ac dei ductu capiendum à ſe hoſtem credidit, ipſe captus eſt: conſilij ac ſapientiæ ſummam uſurpauit, ignominiam temeritatis incurrit: uincula quæ alijs parauit, ipſe ſuſtinuit. Et quod rogo euidentius dei iudicium eſſe potuit, quàm ut habens prædatoris fiduciam, præda fieret: triumphum præſumens, triumphus eſſet, circundaretur, corriperetur, alligaretur, retorta brachia tergo gereret, manus quas bellicoſas putabat, uinctas uideret. Puerorum ac mulierum ſpectaculum fieret, illudentes ſibi barbaros cerneret, irriſionem ſexus promiſcui ſuſtineret: & qui maximum habuerat ſupercilium fortis uiri, mortem ſubiret ignaui: atque utinam hoc ipſum breue remedium malorum eſſet, non diuturna toleratio. Ille autem, quantum ad pœnarum longitudinem pertinet, longo tempore & diuturna in ergaſtulo barbarorum tabe conſumptus, in hanc miſeriam redactus eſt, ut quod plerunque homines etiam pœnis
7 ipſis grauius atque acerbius putant, in miſerationem hoſtium deueniret. Et hoc cur abſque dubio, niſi quia, ut iam dixi, illi deo humiles, nos rebelles: illi crediderunt in manu dei eſſe uictoriam, nos in manu noſtra, immo in ſacrilega atque impia, quod eſt peius nocentiuſque quàm natiua. Denique ipſe rex hoſtium, quantum res prodidit ac probauit, uſque

ad diem pugnæ ſtratus cilicio preces fudit, ante bellum in oratione iacuit, ad bellum de oratione ſurrexit. Priuſquàm pugnam manu capeſſeret, ſupplicatione pugnauit, & ideo fidens proceſſit ad pugnam, quia iam meruerat in oratione uictoriam. Non diſſimiliter autem illud etiam apud Vuandalos, ad quos cum in ijs partibus ſitos noſtra pars pergeret, tantamq; ad debellandos eos præſumptionis fiduciam ferret, quantam etiam proxime ad Gothos, pari ſuperbiæ, pari faſtus exitu corruerunt. Venitq; ſuper exercitum noſtrum prophetæ dictum: Obtuet dominus confidentiam tuam, & nihil habebis proſperum. Confidebamus enim in ſapientia noſtra & fortitudine, contra dei mandata dicentis: Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, nec fortis in fortitudine ſua, ſed in hoc glorietur qui gloriatur, ſcire & noſſe me quia ego ſum dominus. Non immerito itaque metu numinis ad meliora ſe illi ſubſidia contulere quàm noſtri: nam cum armis nos atq; auxilijs ſuperbiremus, à parte hoſtium nobis liber diuinæ legis occurrit. Ad hanc enim præcipue opem timor & perturbatio tunc Vuandala confugit, ut ſeriem nobis cœleſtis eloquij opponeret, & aduerſum aduenientes ora reſeraret. Hic nunc requiro, quis hoc unquam è noſtris partibus fecerit, aut quis non irriſus fuerit ſi putaſſet eſſe faciendum, irriſus utique, ſicut à noſtris omnia fermè religioſa ridentur. Et ideo quid prodeſſe nobis prærogatiua illa religioſi nominis poteſt, quod nos catholicos eſſe dicimus, quod fideles eſſe iactamus: quod Gothos ac Vuandalos hæretici nominis comprobatione deſpicimus, cum ipſi hæretica prauitate uiuamus. Itaq; rectiſſime nobis dicitur illud quod Iudæis in lege fidentibus dixit ſermo diuinus: Quomodo dicitis, ſapientes ſumus, & lex domini nobiſcum eſt? Nolite, inquit, confidere in uerbis mendacij, dicentes, templum domini, templum domini, templum domini eſt: quoniam ſi benedixeritis uias ueſtras & ſtudia ueſtra, ut aduenæ, & populo, & uiduæ non feceritis calumniam, nec ſanguinem innocentum effuderitis in loco hoc, Habitabo uobiſcum in loco iſto à ſeculo uſq; in ſeculum. Quo utiq; oſtenditur, quod ſi iſta non facimus, ſuperflua nobis catholici nominis præſumptione plaudamus, ubi dei iuge iudicium eſt. Illi creſcunt quotidie, nos decreſcimus: illi proficiunt, nos deprauamur: illi floreſcũt, nos areſcimus, ut uere in nos ueniat dictum illud quod de Saul ac Dauid ait ſermo diuinus: quia Dauid erat proficiens, & ſemper ſeipſo robuſtior, domus autem Saul decreſcẽs quotidie: Iuſtus eſt enim, ut propheta ait, iuſtus eſt dominus, & rectum iudiciũ ſuum. Iudicamur itaq; etiã præſente iudicio à deo, & ideo excitata eſt in perniciem noſtrã ac dedecus gens ignauiſſima, quæ de loco in locum pergens, de orbe in orbẽ tranſiens, uniuerſa uaſtaret. Ac primum de ſolo patrio effuſa eſt in Germaniam primam, nomine barbaram, ditione Romanam, poſt cuius exitium primũ

Hiere. 1 — & 9 — *Prerogatiua religioſi nominis* — Hiere. 8 & 7 — 2. Reg. 3 — Pſal. 118 — *Germania*

arſit regio Belgarum, deinde opes Aquitanorum luxuriantium. Et poſtea quid fuit totum Africæ territorium, quàm domus una uitiorum, aheno il-
Ezech. 24 li ſimilis, de quo propheta dicit: Væ ciuitati ſanguinum, ollæ cuius rubigo in ea eſt, & rubigo eius non exiuit de ea. Ciuitatem, ut uidemus, aheno, & iniquitatem ſanguini comparauit, ut intelligamus ſcilicet ſic eſſe in ciuitate
& 22 populi iniquitatem, ſicut in aheno ſanguinē bullientem. Non diſſimile eſt autem huic illud ſacri ſermonis: facti ſunt mihi domus Iſraël commixti omnes æramento, & ferro, & ſtagno, & plumbo, & in medio argentum permixtum eſt. Propterea ſic dicit hæc dominus deus: Pro eo quod facti eſtis omnes in permixtionem unam, conflabo uos & inſufflabo uos in igne iræ.
Diuerſitas metallorum Diſſimillima inter ſe genera metallorū ſacer ſermo memorauit. Et quomodo in eodem conflatorio res diuerſæ conflantur? ſcilicet quod in diuerſitatibus metallorum diſſimilitudo hominum deſignatur. Et ideo etiam argentum, id eſt nobilioris materiæ metallum iiſdem ignibus datur, quia naturę nobilioris ingenium uita degenerante damnatur. Sicut etiam de principe
Ezech. 27 Tyri dixiſſe legimus deum per prophetam: Fili hominis accipe lamentum ſuper principem Tyri, & dic illi: Hæc dicit dominus deus, tu conſignatio ſimilitudinis, & corona decoris in delitiis paradiſi fuiſti: omnem lapidem precioſum indutus es, Sardonicem, & Topazium, & Smaragdum. Et iterum:
& 28 Argento, inquit, & auro impleſti theſauros tuos, à multitudine negociationis impleſti promptuaria tua. Quæ omnia nunquid non talia ſunt, ut uel
Africæ diuitiæ ſpecialiter de Africis dicta uideantur: ubi enim maiores theſauri, ubi maior negociatio, ubi promptuaria pleniora? Auro, inquit, impleſti theſauros tuos à multitudine negociationis tuæ. Ego puto adeò diuitem quondam Africam fuiſſe, ut mihi copia negociationis ſuæ nō ſuos tantum, ſed etiam mundi theſauros uideatur impleſſe. Et quid poſt hæc? Exaltatum eſt, inquit, cor tuum in decore tuo, propter multitudinem peccatorum tuorum in terram te proieci. Quomodo Africanæ potentiæ & hoc competit, aut quomodo proiecta eſſe uidetur in terram? Quomodo, niſi quando amiſit potentiæ ueteris altitudinem, quaſi cœleſtem perdidit dignitatem. Et educam, inquit, ignem de medio tui, hic te deuorabit. Quid hac re uerius? de media quippe eorum iniquitate ignis peccati exiit, qui fœlicitatem prioris temporis deuorauit. Et omnes, inquit, qui te nouerunt inter nationes, contriſtabuntur ſuper te. Conuenire illis hoc non putemus, ſi non euerſio Africani ſoli, luctus eſt generis humani. Perditio, inquit, factus es, & non eris amplius in æternum. In perditionem illic iam deducta omnia ſatis conſtat. Supereſt ne malorum præſentium pœnas etiam æterna continuatio conſequatur: non patitur hoc autem pro affectu ſuæ miſericordiæ deus. Nam quātum ad meritum noſtrorum criminum pertinet, ita ſe res habet,

ut pati

ut pati poſſe uideatur. Quid enim piaculorum eſt non illic ſemper admiſſum? ne de omnibus dicam, quia & enormia ferè ſunt, & ſciri & dici tanta nō poſſunt, de ſola uel maxime obſcœnitate impuritatum loquor: & quod eſt grauius, ſacrilegiorum. Prętermitto in aliquo rabiem cupiditatis, uitium totius generis humani. Prætereo auaritiæ inhumanitatem, quod propriū eſt Romanorum penè omnium malum. Relinquatur ebrietas, nobilibus ignobilibusq; communis. Taceatur ſuperbia & tumor, tam peculiare hoc diuitum regnū eſt, ut aliquid forſitan de iure ſuo ſe putent perdere, ſi hinc ſibi alius quicquam uoluerit uendicare. Tranſeatur denique propè omne fraudum, falſitatum, periuriorum nephas, nulla unquam his malis Romana ciuitas caruit, ſed ſpecialius hoc ſcelus Afrorū omnium fuit. Nam ſi/ *Simile* cut in ſentinam profundæ nauis colluuiones omnium ſordium: ſic in mores eorum, quaſi ex omni mundo, uitia fluxerūt. Nullam enim improbitatem ſcio quæ illic non redundauerit, cum utiq; etiam paganæ ac ferinæ gentes, etſi habeant ſpecialiter mala propria, non eſt tamen in his hoc corpus omnium.† Galliarū, ſed paulatim id ipſum tamen, ut dum pars clade cædiđ tur, pars exemplo emendetur. Sed ubi apud nos emendatio, aut quæ pars Romani orbis, quamuis afflicta corrigitur? Omnes enim, ut legimus, declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt. Et ideo propheta clamat ad deum, & di/ *Pſal. 52* cit: Percuſſiſti eos, & non doluerunt: attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam. Indurauerunt facies ſuas ſuper petram, & noluerunt reuerti. *Hiere. 5* Quàm uere autem etiam in nos hoc cadat, res ipſa indicat. Vaſtata eſt diu Gallia, ergo emendata eſt cum uicina eſſet Hiſpania, Nec immerito, quia nullus erat omnino timor, nulla correctio, flammis quibus arſerant Galli, Hiſpani ardere cœperunt. In quo illud eſt, ut ſuprà dixi, ſceleratiſſimum & grauiſſimum: quod cum arſerint, ut ita dicam, membra hominum peccatorum, curata non ſunt uitia peccantium. Et ideo compulſus eſt criminibus noſtris deus, ut hoſtiles plagas de loco in locum, de orbe in orbem ſpargeret, & excitatas penè ab ultimis terræ finibus gentes etiam trans mare mitteret, quæ Afrorum ſcelera punirent. Quid enim? Nunquid abductæ à ſolo patrio degere intra Gallias non potuerant? aut ne degerent, quem timebant, cum illæſæ à nobis uſq; ad tempus illud cuncta uaſtauerint? Sed eſto intra Gallias formidabant: quid in Hiſpania, ubi exercitus noſtros etiam bellando contriuerant, nunquid conſiſtere aut permanere metuebant iam uictores, iam triumphantes? quibus uſque ad hoc fortitudinis factum contingeret aſcendere, & poſt experimenta belli diu parati intelligerent ſibi Romanæ Reipub. uires etiam cum barbarorum auxilijs pares eſſe non poſſe. Potuerant ergo illic degere, nec timebant: ſed illa utiq; cœleſtis manus quæ eos ad punienda Hiſpanorum flagitia illuc

 traxerat,

traxerat,etiam ad uaſtandam Africam tranſire cogebat.Ipſi denique fatebantur non ſuum eſſe quod facerent, agi enim ſe diuino iuſſu ac perurgeri: ex quo intelligi poteſt quanta ſint mala noſtra,ad quos uaſtãdos atq; cruciandos ire barbari compelluntur inuiti,ſecundum illud quod uaſtator terræ Iſraëliticæ rex Aſſyriorum ait: Nunquid ſine domini uoluntate aſcendi in locum iſtum?Dominus dixit mihi: Aſcende ad terram hanc,& demolire eam.Et alibi facer ſermo:Hoc dicit dominus exercituum deus Iſraël,ecce ego mittam & aſſumam Nabuchodonoſor regem Babylonis ſeruum meum,ueniẽsque percutiet terram Ægypti. Vnde agnoſcere poſſumus cuncta quidem quæ affliguntur,iudicio dei percuti, ſed tamen ut ſæpe memoraui,propter peccata ſubuerti. Ac per hoc quicquid actum eſt, peccatis nõ deo aſſcribendum:quia recte illi rei factum aſſcribitur, qui ut ita fieret exegit. Nam & homicida cum à iudice occiditur, ſuo ſcelere punitur: & latro aut ſacrilegus cum flammis exuritur, ſuis criminibus concrematur. Vnde & quod Vuandali ad Africam tranſierunt, non eſt diuinæ ſeueritati, ſed Afrorum ſceleri deputandum. Graui enim eos antequàm illuc pergerent ac longa iniquitate traxerunt. Et ideo intelligere debemus, quia pietatis diuinæ fuit, quod pœnam diu debitam diſtulit: piaculorum autem & criminum,quod aliquando peccator populus quæ merebatur accepit: niſi forte Afros hoc non meruiſſe credimus,cum utiq; nulli magis,utpote in quos omnia ſimul improbitatum atque impuritatum genera confluxerint. Cæteri enim homines etſi nonnullis flagitiorum uitijs obligati ſunt, quibuſdam tamen non implicantur: etſi inuolentia non carent, maliuolentia carent:etſi libidine æſtuant, rapacitati non ſeruiunt. Multos denique etſi accuſat incontinentia corporum,ſimplicitas commendat animorum. In Afris penè omnibus nihil horum eſt,quod ad utrunque pertineat, id eſt bonum æque ac malum: quia totum admodum malum. Adeò excluſa naturæ originalis ſynceritate, aliam quodammodo in his naturam uitia fecerunt. Exceptis enim pauciſſimis dei ſeruis, ubi non omnia execratione digna? Gothorum gens perfida, ſed pudica eſt: Alanorum impudica, ſed minus perfida: Franci mendaces, ſed hoſpitales: Saxones crudelitate efferi, ſed caſtitate uenerandi. Omnes denique gentes habent ſicut peculiaria mala, ita etiam quædam bona. In Afris penè omnibus neſcio quid non malum. Si accuſanda eſt inhumanitas, inhumani ſunt. Si ebrietas, ebrioſi ſunt. Si falſitas, fallaciſſimi. Si dolus, fraudulentiſſimi. Si cupiditas, cupidiſſimi. Si perfidia, perfidiſſimi. Impuritas eorum atque blaſphemia his omnibus admiſcenda nõ ſunt: quia illis quæ ſupra diximus malis aliorum gentium uitia, his autem etiam ſua ipſorum uicerunt. Ac primum, ut de impuritate dicamus, quis neſcit Africam totam obſcœnis libidinum

tædis

Eſa.36 *Hiere.25* *Inuolentia no ue dictum* *Omnium gentium peculiaria bona ac mala*

tædis ſemper arſiſſe: non ut terram ac ſedem hominum, ſed ut æthnam putes impudicarum fuiſſe flammarum. Nam ſicut æthna inteſtinis quibuſdam naturæ feruentis ardoribus, ſic illa abhominandis iugiter fornicationum ignibus æſtuauit. Nec uolo in hac re aſſertionibus meis credi, teſtimonium requiratur generis humani. Quis non omnes omnino Afros impudicos generaliter ſciat, niſi forte ad deum conuerſos, id eſt fide ac religione mutatos. Sed hoc tam rarum eſt ac nouum, quàm rarum uideri poteſt quemlibet ganeonem non eſſe ganeonem, aut quemcunque ſæuum non eſſe ſæuum. Tam infrequens eſt enim hoc & inuſitatum, impudicum non eſſe Afrum, quàm nouum & inauditum, Afrum non eſſe Afrum. Ita enim generale in eis malum impuritatis eſt, ut quicunque ex eis impudicus eſſe deſierit, Afer non eſſe uideatur. Nec diſcurram per loca ſingula, aut cunctas diſcutiam ciuitates, ne ſtudioſe uidear quærere, aut inueſtigare quæ dicam: una tantum uniuerſarum illic urbium principe, & quaſi matre contentus ſum, illa ſcilicet Romanis arcibus ſemper æmula, armis quondam & fortitudine, poſt ſplendore & dignitate. Carthaginem dico & urbi Romæ maxime aduerſariam, & in Africano orbe quaſi Romam, quæ mihi ideo in exemplum ac teſtimonium ſola ſufficit: quia uniuerſa penitus, quibus in toto mundo diſciplina Reipub. uel procuratur, uel regitur, in ſe habuit. Illic enim omnia officiorum publicorum inſtrumenta, illic artium liberalium ſcholæ, illic philoſophorum officinæ, cuncta denique uel linguarum gymnaſia uel morum: illic quoque etiam copiæ militares, & regentes militiam potentes, illic honor proconſularis, illic quotidianus iudex & rector, quantum ad nomen quidem proconſul, ſed quantum ad potentiam conſul: illic quoque omnes rerum diſpenſatores, & differentes inter ſe tam gradu, quàm uocabulo dignitates, omnium, ut ita dicam, platearum & compitorum procuratores, cuncta fermè & loca urbis, & membra populi gubernantes. Hac ergo tantum contenti ſumus ad exemplum ac teſtimonium cæterarum, ut intelligamus ſcilicet quales illæ fuerunt ciuitates, quæ minores habuerunt probi officij procurationes, cum uiderimus qualis extiterit ubi ſummi ſem per fuere rectores. Quo loco propè eſt, ut pœniteat me profeſſionis meæ, id eſt quod ſuperius ſpopondi, cunctis propè Afrorum criminibus prætermiſſis de impuritatibus præcipue ac blaſphemijs eorum me eſſe dicturum. Video enim quaſi ſcaturientem uitijs ciuitatem, uideo urbem omnium iniquitatum genere furentem, plenam quidem turbis, ſed magis turpitudinibus: plenam diuitijs, ſed magis uitijs: uincentes ſeinuicem homines nequitia flagitiorum ſuorum, alios rapacitate, alios impuritate certantes, alios uino languidos, alios cruditate diſtentos, hos ſertis redimitos, illos unguentis oblitos, cunctos uario luxus marcore perditos.

Aethna impudicarum flammarum

Afrorum impuritas

Carthago

tos, ſed penè omnes una errorum morte proſtratos: non omnes uinolen-
tia temulentos, ſed omnes peccatis ebrios. Populos putares non ſani ſta-
tus, non ſui ſenſus, non animo incolumes, non gradu, quaſi in morem bac
charum crapulæ cateruatim inſeruientes. Iam uero illud cuiuſmodi, aut
quàm graue, genere quidem diſpar, ſed iniquitate non diſpar, niſi forte in
hoc diſpar quia maius, Proſcriptiones dico orphanorum, uiduarum affli-
ctiones, pauperum cruces, qui ingemiſcentes quotidie ad deum, finem ma-
lorum imprecantes, & quod grauiſſimum eſt, interdum ui nimiæ amaritu-
dinis etiam aduentum hoſtium poſtulantes, aliquando à deo impetraue-
runt, ut euerſionem tandem à barbaris in commune tolerarent, quam ſo-
li ante à Romanis tolerauerant. Sed eſto hæc omnia prætermittantur,
quia & in toto fermè aguntur orbe Romano, & ſpopondi me de his malis
nec pauca dicturum. Quid ergo impudicitia atque impuritas de qua lo-
quor, nunquid non ad euerſionem Afrorum ſola ſufficeret? quæ enim fuit
pars ciuitatis non plena ſordibus, quæ intra urbem platea aut ſemita non
lupanar? Adeò penè omnia compita, omnes uias, quaſi foueæ libidinum
intercceperant, aut quaſi retia prætexerant, ut etiam qui ab hac re penitus
abhorrerent, tamen uitare uix poſſent. Latronum quodammodo excubias
uideres, commeantium uiatorum ſpolia captantes, qui inſidiarum frequen-
tium denſitate, ita omnes admodum calles, omnes anfractus, ac diuerticu-
la ſepiſſent, ut nullus fermè tam cautus eſſet: qui non in aliquos inſidiarum
laqueos incurreret, etiam qui ſe de plurimis expediſſet. Fœtebant, ut ita di-
xerim, cuncti urbis illius ciues cœno libidinis, ſpurcum ſibimetipſis mutuæ
impudicitiæ nidorem inhalantes. Sed horrori eis tamen horrida iſta non
erant, quia idem omnes horror infecerat. Vnam illic putes fuiſſe libidinum
fornicationumq; ſentinam, cœnum quaſi ex omni platearum & cloacarum
labe collectum. Et quæ illic ſpes eſſe poterat, ubi præter id quod in domini
templo erat, nihil uideri penitus niſi ſordide licebat? Quãquam quid dicã
in dei templo? hoc quippe totum ad ſacerdotes tantum & clerum pertinet,
quos non diſcutio, quia domini mei miniſterio reuerentiã ſeruo: & quos ita
Gen.19 ſolos puros arbitror fuiſſe in altario, ſicut pereuntibus Sodomis ſolũ Loth
fuiſſe in monte legimus. Cæterum quantum ad plebem pertinet, quis in il
lo numero caſtus fuit? Caſtũ dico: quis non fornicarius, non adulter, & hoc
ſine ceſſatione, ſine termino? Rurſum clamitem itaque eſt neceſſe. Quæ
ſpes in illo populo eſſe poterat, ubi cum unus interdũ adulter plebem eccle-
ſiaſticam polluat, ubi inter tot milia ſi diligẽtiſſime quæreres, caſtum uel in
eccleſia reperire uix poſſes. Plus multo dicam, utinã hæc eſſent ſola quæ di-
ximus, & contenta illic uirorum impuritas fuiſſet ſolis ſordidarum mulierũ
fornicationibus inquinari. Illud grauius & ſceleſtius, quod illa de quibus
Rom.1 beatus apoſtolus Paulus cum ſumma animi lamentatione conqueritur,

in Afris penè omnia fuerunt: ſcilicet quia maſculi relicto naturali uſu fœmi
næ, exarſerunt in deſiderijs ſuis in inuicem, maſculi in maſculos turpitudi/
nem exercentes, & mercedem quam oportuit erroris ſui in ſemetipſis reci/
pientes. Et ſicut nõ probauerunt deum ſe habere in notitia, tradidit illos in
reprobum ſenſum, ut facerent quæ nõ cõuenit. Nunquid hoc beatus Apo/
ſtolus de barbaris aut feris gentibus dixit? nõ utiq;, ſed de nobis, id eſt ſpe
cialiter de Romanis: quos quidẽ Afri, quia nequaquam olim uincere impe
rio ac ſublimitate ualuerunt, quod potuerunt unũ, impuritate uicerunt. Qui
cunq; ergo iure ſe mihi iraſci putat, magis Apoſtolo iraſcatur, ſcilicet quia
quod dicimus nos fuiſſe Afros, hoc ille dixit dominos eorũ eſſe Romanos.
Sed forte id uel occultum quod loquimur erat, & ſaltem hoc prouidebant
procuratores, ne publicæ paſſim diſciplinæ oculos, ciuitatis ſcelera propala/ *Oculi publicæ*
ta pollucrẽt. Quod ſi factum utiq; fuiſſet, quamuis multi extitiſſent opere *diſciplinæ*
ipſo ſordidi, non omnes tamen fuerant uiſu atque animo ſordidati: & ſolet
res flagitioſa quando agitur occulte, fidem facinoris non mereri. Supra au
tem omnem monſtruoſi piaculi execrationem eſt, ſcelus ſummum admit/
tere, & pudorem ſceleris non habere. Quid rogo fieri illic prodigioſius po/
tuit? in urbe Chriſtiana, in urbe eccleſiaſtica, quam quondam doctrinis ſu/
is apoſtoli inſtituerant, quam paſſionibus ſuis martyres coronarãt, uiri in
ſemetipſis fœminas profitebantur, & hoc ſine pudoris umbraculo, ſine ul/
lo uerecundiæ amictu: ac ſi parum quippe piaculi eſſet, ſi malo illo malorũ
tantum inquinarentur autores: per publicam ſceleris profeſſionem, fiebat
etiam ſcelus integræ ciuitatis. Videbat quippe hæc uniuerſa ciuitas, & pa/
tiebatur: uidebant iudices, & acquieſcebant: populus uidebat, & applaude/
bat: ac ſic diffuſo per totam urbem dedecoris ſceleriſq; conſortio, etſi com/
mune hoc omnibus non faciebant actus, cõmune omnibus faciebat aſſen/
ſus. Sed finis aliquis forſitã mali, aut emẽdatio aliqua labis iſtius fuit. Quis
credere aut audire etiam poſſit, conuertiſſe in muliebrem tolerantiam ui/
ros, non uſum ſuum tantum atque naturam, ſed etiam uultum, inceſſum,
habitum, & totum quicquid penitus aut in ſexu eſt, aut in uſu uiri: adeò
uerſa in diuerſum omnia erant, ut cum uiris nihil magis pudori eſſe opor/
teat, quàm ſi muliebre aliquid habere uideantur: illic nihil uiris quibuſ/
dam turpius uideretur, quàm ſi in aliquo uiri uiderentur. Sed paucorum
hoc, inquis, dedecus fuit: & quod non à pluribus perpetratum eſt, cunctis
nocere non potuit. Iam quidem ſupra dixi ſæpiſſime, in dei populo etiam
unius facinus peſtem fuiſſe multorum: ſicut ex furto Achar fugit popu/ *Ioſue 7*
lus, ſicut ex zelo Saulis exorta eſt peſtilentia, ſicut ex Dauid numeratione *1.Reg.19*
mortalitas: ita eſt enim dei eccleſia quaſi oculus. Nam ut in oculum etiam *2.Reg.24.*
ſi parua ſordes incidat, totum lumen obcæcat: ſic in eccleſiaſtico corpore *Simile*
etiamſi pauci ſordida faciãt, propè totum eccleſiaſtici ſplendoris lumen of/
fuſcatur,

ſuſcatur, Et ideo ſaluator ipſe principalem eccleſiæ partem oculum nomi-
Matth.6 nauit, dicens: Lucerna corporis tui eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſim
plex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus nequam fue-
1.Cor.5 rit, totum corpus tuum tenebroſum erit. Vnde & Apoſtolus: Neſcitis, in-
quit, quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit: quamuis ego il
lic non modicum de hoc malo, ſed nimis, bene dicam: non quia molles plu
rimi fuerint, ſed quia mollicies paucorum, labes eſt plurimorum. Nam etſi
pauci ſunt, qui dedecoroſa ſuſtineant, multi tamen ſunt qui paucorum ſor-
Simile dibus polluantur. Quemadmodum enim una meretrix multos fornicato-
res facit, ſic plurimam populi partem inquinat paucorum effœminatorum
abominanda permixtio. Et neſcio qui eorum ante deum deteriores ſint,
1.Cor.6 cum æquali in ſcriptis ſacris ſorte damnentur. Neque molles enim, inquit, ne
que maſculorum concubitores regnum dei poſſidebunt. Illud ergo magis
ingemiſcendum atque lugendum eſt, quod tale hoc ſcelus crimen etiam to-
tius Reipub. uidebatur. Et uniuerſa Romani nominis dignitas, facinoris
prodigioſi mouebatur infamia. Cum enim muliebrem habitum uiri ſume
rent, & magis muliebrem gradum fingerent, cum indicia quædã ſibi mon-
ſtruoſæ impuritatis innecterent, & fœmineis tegminum illigamentis capi-
ta uelarent, atque hoc publice in ciuitate Romana, urbe illic ſumma & cele-
berrima: quid aliud quàm Romani imperij dedecus erat, ut in medio Rei-
Poteſtas ſcele pub. ſinu execrãdiſſimum nephas palàm liceret admitti? Poteſtas quippe
ra permittẽs. magna & potentiſſima, quæ inhibere ſcelus maximum poteſt, quaſi pro-
bat debere fieri, ſi ſciens patitur perpetrari. In cuius enim manu eſt ut pro-
hibeat, iubet agi, ſi non prohibet admitti. Iterum quia dolor exigit, ab his
qui iraſcuntur requiro, in quibus hæc barbaris gentibus aut facta ſint un-
quam, aut fieri publica impunitate licuerit. Denique ne longius de hac re
ambigere aut inueſtigare neceſſe ſit, ipſos illos Africæ uaſtatores, Afrorum
populis comparemus. Videamus quid ſimile in Vuandalis factum ſit: &
certe barbari elatione tumidi, uictoria ſuperbi, delitiarum ac diuitiarum af-
fluentia diſſoluti: qui profecto etiamſi continentiſſimi & caſtiſſimi ſemper
fuiſſent, mutari tamen cum tanta rerum obſecundantium felicitate potue-
Exo.13 runt: ingreſſi ſcilicet, ut diuinis literis ſcriptum eſt, terram lacte & melle ma-
nantem, fœcundam, opulentiſſimam, omnium delitiarum copijs quaſi ebri
am. In qua utique minime mirum fuerat, ſi luxuriaſſet gens barbara, ubi ſi-
Ipſa natura luxurians milis quodammodo luxurianti erat ipſa natura. Ingreſſos hæc loca Vuan-
dalos, quis non putet omni ſe uitiorum atque impuritatum cœno immerſiſ-
ſe, aut ut leuiſſime dicam, ſaltem illa feciſſe, quæ ab Afris iugiter facta fue-
rant, in quorum iura migrarent: & certe ob ea tantum continentiſſimi ac
10 modeſtiſſimi iudicandi erant, quos non feciſſet corruptiores ipſa felicitas.
11 Quotus enim quiſque ſapientium eſt, quem ſecunda non mutent, cui nõ cre-
ſcat

ſcat cum proſperitate uitioſitas: ac per hoc temperatiſſimos fuiſſe Vuanda-
los eſt certum, ſi quales illi fuerant, qui capti ac ſubiugati ſunt, tales illi fuiſ-
ſent uictores. Igitur in tanta affluentia rerum atq; luxuria, nullus eorũ mol-
lis effectus eſt. Nunquid parum uidetur? certe familiariter etiam hoc nobi-
les fecere Romani. Sed quid adhuc addo? in illis nullus uel qui Romano-
rum illic mollium pollueretur inceſtu. Certe hoc apud Romanos iam pri-
dem tale exiſtimatum eſt, ut uirtus potius putaretur eſſe quàm uitium: & il-
li ſe magis uiribus præditos eſſe crederent, qui maxime uiros fœminei uſus
probroſitate fugiſſent. Vnde etiam illud fuit, quod lixis puerorum quon- 12
dam exercitus proſequentibus, hæc quaſi bene meritis expeditionibus ſti- *Lixæ puero-*
pendia laboris decernebantur, ut quia uiri fortes eſſent, uiros in mulieres *rum proſequẽ-*
demutarent. Proh nephas & hoc Romani, plus addo, & hoc Romani non *tes exercitus.*
huius temporis: attamen ne ueteres accuſemus, Romani, ſed non antiqui,
iam ſcilicet corrupti, iam diſſoluti, iam ſibi & ſuis diſpares, & Græcis quàm
Romanis ſimiliores: ut (quod iam diximus) minime mirum ſit, ſi Romana
Reſpub. aliquando patitur quod iam diu meretur. Hæc ergo impuritas in
Romanis & ante Chriſti Euangelium eſſe cœpit: & quod eſt grauius, nec
poſt Euangelia ceſſauit. Et quis poſt hæc non admiretur populos Vuan-
dalorum, qui ingreſſi urbem opulentiſſimam, ubi hæc omnia paſſim age-
bantur, ita delitias corruptorum hominum adepti ſunt, quo corruptelas
morum repudiarent, & uſum bonorum poſſiderent, malorum inquina-
menta uitantes. Sufficere igitur ad laudem eorum hæc poſſunt talia, etiam
ſi alia non dicam, abominati enim ſunt uirorum impuritates. Plus adhuc
addo, abominati etiam fœminarum, horruerunt luſtra ac lupanaria, hor-
ruerunt concubitus contactusq; meretricum. Nunquid hoc credibile ullis
uideri poteſt, Romanos hæc admiſiſſe, barbaros horruiſſe? aut nunquid
eſt poſt iſta quæ diximus, quod dici poſſe uideatur? Sed eſt tamẽ, & multo
plus eſt. Nam quod uitaſſe eos res fœdas diximus, minus eſt. Poteſt enim
quis inhoneſta horrere, non tollere: illud magni & ſingularis eſt meriti, nõ
ſolum ipſum labe non pollui, ſed prouidere etiam ne unquam alij polluan-
tur. Procurator enim eſt quodammodo ſalutis humanæ, qui non tantum *Salutis huma-*
id agit ut ipſe bonus ſit, ſed efficere hoc nititur, ut alij mali eſſe deſiſtant. *næ procura-*
Grande eſt profecto quod dicimus, grande ac ſupereminens. Quis credat *tor*
Vuandalos in ciuitatibus Romanis iſta feciſſe? Remota quippe eſt ab il-
lis omnis carnis impuritas. At quomodo remota? non ſicut remoueri ali-
qua à Romanis ſolet, qui ſtatuunt nõ adulterandum, & primi adulterant:
ſtatuunt non furandum, & furantur: quamuis penè nõ poſſim dicere quod
furentur: nõ enim ſunt quæ agunt furta, ſed latrocinia. Punit enim iudex in *Iudices ipſi*
alio peculatum, cum ſit ipſe peculator: punit rapinam, cum ipſe ſit raptor: *nequam ſunt.*
punit ſicarium, cum ipſe ſit gladiator: punit effractores clauſtrorum & ho-

ſtiorum, cum ipſe ſit euerſor urbium: punit expoliatores domorum, cum ipſe ſit expoliator ciuitatum atq; prouinciarum. Atq; utinam illi tantũ qui in poteſtate ſunt poſiti, & quibus ius exercendorum latrociniorum honor ipſe largitur. Illud grauius ac magis intolerabile, quod hoc faciunt, & priuati ijſdem ante honoribus functi. Tantum eis adeptus ſemel honor dat beneficij, ut ſemper habeant ius latrocinandi. Adeò etiam cum deſtiterint ad miniſtrandum poteſtatem habere publicam, nõ deſinunt tamen ad latrocinãdum poteſtatem habere priuatam: ac ſic leuior eſt poteſtas illa quam habuerunt iudices, quàm hæc quam priuati habent. In illa enim ſæpe eis ſucceditur, in hac nunquam. Ecce quid ualeant ſtatuta legum, ecce quid proficit definitio ſanctionum, quæ illi ſpernunt maxime qui miniſtrant. Sanè *Pauperes* ad parendum humiles, abiectiq; coguntur, compelluntur iuſſis obtemperare pauperculi: & niſi obtemperauerint, puniuntur. Eandem enim rationem habent in hac re quam in tributis. Soli iuſſis publicis ſeruiunt, ſicut ſoli tributa ſoluunt, ac ſic in ipſis legibus & in ipſa iuſta rerum præceptione maximum iniuſtitiæ ſcelus agitur, cum ea minores quaſi ſacra obſeruare cogũtur, quæ maiores iugiter quaſi nulla conculcant. Exceſſi paulisper cœptũ *Rerum indignitas* ſermonis ordinem, rerum indignitate compulſus. Nunc ad ſuperiora redeamus. Diximus quippe plenas fuiſſe impuritatibus monſtruoſis Africæ ciuitates, & præcipue illic reginam & quaſi dominam, Vuandalos autem ijs omnibus non fuiſſe pollutos. Non tales ergo iſti de quibus loquimur barbari ad emendandam noſtrarum turpitudinum labem extiterunt, abſtulerunt enim de omni Africa ſordes uirorum mollium, contagiones etiã horruere meretricum: nec horruerunt tantum, aut temporarie ſubmouerũt, ſed penitus iam non eſſe fecerunt. O pie domine, ô ſaluator bone, quãtum efficiunt per te ſtudia diſciplinæ, per quæ mutari poſſunt uitia diſciplinæ, ſicut ab illis ſcilicet immutata ſunt: at quomodo immutata? Intereſt enim non *Effectuũ cauſe dicende* ſolum effectus rerum, ſed etiam effectuum cauſas dicere. Difficile eſt quippe impudicitiam uerbo aut iuſſione tolli, niſi fuerit ablata: & difficile eſt pudicitiam uerbo exigi, niſi fuerit exacta. Quod iſti utiq; ſcientes ſic impudicitiam ſummouerunt, quod impudicas conſeruauerunt, nõ interficientes mulierculas infelices: ne uitiorum curam crudelitate reſpergerent, & dum peccata auferre cuperent, ipſi in peccatorum reſecatione peccarent. Sed ita errantes emendauerunt, ut factum eorum medicina eſſet, pœna non eſſet: iuſſerunt ſiquidem & compulerunt omnes ad maritalem thorum tranſire meretrices. Scorta in connubia uerterunt, implentes ſcilicet Apoſtoli dictũ *1.Cor.7* atq; mandatum: Et ut unaquæq; mulier uirum habeat ſuum, & unuſquiſq; uir coniugem ſuã, ut quia cohiberi incontinentia ſine hac carnalis uſus per *Matrimoniũ.* mixtione non poſſet, ita legitimum uſum calor corporalis acciperet, ut peccatum incontinentia non haberet. In quo quidem non id tantũmodo prouiſum

uiſum eſt, ut uiros fœminæ haberent, quæ ſine uiris eſſe non poſſent, ſed
etiam ut per conſeruatores domeſticos ſaluæ eſſent, quæ ſeipſas ſeruare ne
ſcirent, & adhærentes iugiter tabernaculo maritali, etiam ſi ad improbum
eas facinus conſuetudo anteactæ impuritatis illiceret, coniugalis tamen cu/
ſtodia ab improbitate prohiberet. Addiderunt quoq; ad libidinem com/
primẽdam, ſeueras pudicitiæ ſanctiones decretorum, gladio impudicitiam
cohercentes, ut puritatem ſcilicet utriuſq; ſexus, & domi connubij ſeruaret
affectus, & in publico metus legum: ac ſic duplici præſidio caſtimonia nite
retur, cum & intus eſſet quod amaretur, & foris quod timeretur. Leges au/
tem illorum nequaquam illis ſunt legibus conſentaneæ, quæ ita partem im
probitatis remouent, ut partem obſcœnitatis admittant, ut Romana illa
decreta, quæ ſcortatores quidẽ ab alienis uxoribus remouerunt, ad omnes
autem ſolitarias paſſim admiſerunt, adulteria uetantes, lupanaria ædifican
tes. Timuerunt uidelicet ne nimis caſti homines ac puri eſſent, ſi ab omni
eos penitus impuritate prohiberent. At non barbari, quoniã Romani non
ſunt. Parum eſt quod dicimus. Quæ nobis rogo ante deum aut uitæ eſſe,
aut ueniæ ſpes poteſt, quãdo caſtitatem in barbaris cernimus, & nos ſic ca/
ſti ſumus? Erubeſcamus quæſo & confundamur. Iam apud Gothos impu
dici non ſunt, niſi Romani, iam apud Vuandalos nec Romani. Tantum
apud illos profecit ſtudium caſtimoniæ, tantum ſeueritas diſciplinæ, non
ſolum quod ipſi caſti ſint, ſed ut rem dicamus nouam, rem incredibilem,
rem penè etiam inauditam, caſtos etiam Romanos eſſe fecerunt. Si infirmi
tas id humana pareretur exclamare ſuper uires meas cuperem, ut toto or/ 15
be reſonarem. Pudeat uos Romani ubiq; populi, pudeat uitæ ueſtræ, nul/
læ penè urbes luſtris, nullæ omnino impuritatibus uacant, niſi illæ tantum
in quibus barbari eſſe cœperunt. Et miramur, ſi miſeri qui tam impuri ſu/
mus, miramur ſi ab hoſte uiribus uincimur, qui honeſtate ſuperamur. Mi/
ramur ſi bona noſtra poſſident, qui mala noſtra execrantꝰ. Nec illos natura
le robur corporũ facit uincere, nec nos naturæ infirmitas uinci. Nemo ſibi *Vitia nos ui/*
aliud perſuadeat, nemo aliud arbitretꝰ, ſola nos morũ noſtrorũ uitia uicerũt. *cerunt*

SALVIANI MASSYLIENSIS EPISCOPI DE VERO IVDICIO ET PROVIDENTIA DEI, LIBER OCTAVVS.

ARBITROR, immo certus ſum faſtidioſam plurimis
ſtyli huius prolixitatem fore, maxime quia morum no
ſtrorum uitia caſtigat. Omnes enim admodum ſe lau/
dari uolunt. Nulli grata reprehenſio eſt, immo quod *Reprehenſio*
peius multo eſt quamlibet malus, quamlibet perditus *omnibus in/*
mauult mendaciter prædicari, quàm iure reprehendi, *grata*

& falſarũ laudũ irriſionibus decipi, quàm ſaluberrima admonitione ſeruari. Et cum hæc ita ſint, quid agendum eſt? nunquid uoluntati improborum hominum ſeruiendum? aut ſi ſibi illi etiam friuolas laudes deferri uolunt, decet nos friuola atque irridenda deferre? maxime cum à fidelibus uiris, nec illi quidem irrideri debeant, qui ſe rideri uolunt: ſicut ne illi quidem mendaciter prædicari, qui ſe cupiunt titulo falſæ laudis ornari: quia non tam illud quod unuſquiſque eorum cupiat audire, quàm quod nos dicere

Eſa.5 deceat conſiderandum eſt: præcipue cum propheta dicat: Væ illis qui dicunt dulce amarum, aut amarum dulce: ac per hoc modis omnibus tenenda ueritas, ut quod in re eſt, hoc & in uerbis ſit: quæ in ſe dulcedinem habent, dulcia: quæ amaritudinem, amara dicantur: præſertim nunc in negocio ſacto, ubi à plurimis noſtræ iniquitates tanquam deo dulces exiſtimantur: & ne accuſabiles ipſi eſſe uideantur, deum accuſare præſumunt. Cum enim eum incurioſum & negligentem, resq; humanas aut non ex iudicio gubernare, aut etiam nec gubernare blaſphement: quid aliud utiq; deum, quàm inertiæ, & abuſionis, & iniquitatis accuſant? O humanæ inſipientiæ cæcitatem. O inſanæ temeritatis furorem. Deum ergo ô homo incurioſum ac negligentem uocas: ſi quemlibet ingenuorum hominum hac contumelia læderes, iniuriarum inſolentium reus eſſes: certe ſi illuſtriorem quempiam aut ſublimiorem, etiã cenſuram iuris publici ſuſtineres. Pupillis enim

Prodigorũ conuicium uel maxime prodigis hæc obijciũtur obprobria, perditorum hoc adoleſcentium ſpeciale conuicium eſt, ut abuſores ſcilicet & incurioſi ac negligentes rerum ſuarum eſſe dicantur. O ſacrilegæ uoces, O profanæ procacitates. Deum ergo hoc eſſe dicimus, quod etiam inter homines non niſi perditiſſimos nuncupamus, quamuis non ſola iſta dicantur. Nota quippe ei, ut ante iam dixi, etiam iniquitatis impingitur. Si enim nos quæ patimur non meremur, & indigni miſeriarum præſentium tolerantia ſumus, iniuſtum utique deum dicimus, qui nos iubeat mala tolerare. Sed non tam, inquis, iubet, quàm permittit: acquieſcamus hoc ita eſſe: ſed quàm longe quæſo eſt à iubente permittens? qui enim ſinit nos iſta perferre, & prohibere poteſt ne perferamus, probat abſque dubio debere perferre, & quæcunque patimur ſuſtinere. Vnde uidemus quia iudicij eſt, ſed iuſta permiſſio: ita iſti de quibus loquimur, qui ſic inhibuerunt ſcorta ut adulteria, qui & fœminas nullis uoluerunt eſſe fœminas niſi maritis ſuis, & uiros nullis uoluerunt mulieribus eſſe maſculos, niſi uxoribus ſuis. Qui euagari obſcœnas libidines extra legitimum thorum non ſinunt, leges ſuas ſcilicet ad diuinæ legis regulam dirigentes, ut nihil ſibi in hac re crederent licere, quod deus uoluit non licere. Et ideo non putauerunt à ſe ulli homini permittendum, niſi quod fuiſſet omnibus à diuinitate permiſſum. Scio quàm intolerabilia quibuſdam uideantur iſta quæ diximus, ſed ratione rerum agendum eſt,

non

non libidine. Volo tantum dicat mihi quiſquis ille eſt, qui indignatur me iſta dicere, Num ita ſapientiſſimus omnium Socrates ſemper exiſtimatus teſtimonio ſcilicet Delphici dæmonis, qui quaſi princeps philoſophorũ ſicut ille dæmoniorum erat. Videamus ergo quas Socrates de pudicitia leges ſanxerit,& quas illi de quibus loquimur. Vxorem,inquit Socrates,propriam nullus habeat,matrimonia enim cunctis debent eſſe communia: ſic nanq; maior erit concordia ciuitatum, ſi omnes uiri fœminis ſine diſcretione omnibus miſceantur,& omnes fœminæ ſe omnibus uiris ſine diſtinctione ſubſternant:ac ſic fiant omnes uiri omnium mulierum mariti,omnes fœminæ uirorum omnium uxores. Nunquid ullum unquam aut freneticum, aut dęmoniacum uaria inſaniarum labe furioſum,tale aliquid locutum eſſe agnouimus? Tu dicis maxime philoſophorum hac ratione omnes uiros eſſe fœminarum omnium maritos, & omnes fœminas uirorum omniũ uxores,& paruulos omnes omnium filios: at ego hac ratione dico, neq; ullum uirum ullius fœminæ maritum, neque ullam mulierem ullius mariti uxorem,neq; ullum pignus ullius parentis filium. Vbi enim promiſcua omnia & confuſa ſunt,nemo eſt qui ſuum poſſit aliquid uendicare. Nec ſuffecit ſapientiſſimo,ut quidam aiunt,philoſopho docere hoc,niſi ipſe feciſſet, uxorem enim ſuam alteri uiro tradidit. Scilicet ſicut etiam Romanus Cato, id eſt,alius Italiæ Socrates. Ecce quæ ſunt & Romanæ & Atticæ ſapientiæ exempla,omnes penitus maritos, quãtum in ipſis fuit, lenones uxorũ ſuarum eſſe fecerunt. Sed uicit tamen Socrates, qui de hac re & libros condidit,& memoriæ hæc pudenda mandauit. Plus habet unde gloriari præceptis ſuis poſſit. Quantum ad doctrinam ſuam pertinet, lupanar enim fecit mundo. Iniuſte damnatus dicitur à iudicibus, & uerum eſt. Rectius enim hæc eum talia prædicantem genus damnaret humanum,ſicut abſq; dubio damnauit. Nam cum in hac re doctrinam eius omnes repudiauerint, omnes eam non ſolum ſententiæ autoritate,ſed quod multo maius eſt uitæ electione damnauerunt,& recte. Conferantur enim cum ĳs quæ ille conſtituit illa quæ ſtatuerunt ĳ,quos dominari Africæ deus iuſſit. Statuit ille, ut nullus penitus haberet uxorem ſuam, iſti ut nullus penitus non ſuam: ille, ut omnis fœmina uiris omnibus ſubiaceret,iſti ut nulla fœmina aliũ quàm ſuum uirum noſceret:ille generationem mixtam atq; confuſam, iſti puram & ordinatam: ille omnes domos ſcortari uoluit, iſti nullam: ille in cunctis habitaculis lupanaria eſt conatus ædificare, iſti etiam è ciuitatibus ſuſtulerunt:ille proſtare uoluit omnes uirgines, iſti caſtas fecere meretrices: atque utinam hic Socratis tantum error fuiſſet, nõ & complurium Romanorum ac penè omnium, qui etſi nequaquam Socratis uitam in cæteris, in hac re tamen Socratica inſtituta ſectantur: quia & complures uiri uxores plurimas ſinguli,& innumeræ mulieres uiros complures ſingulę habent,omnes

Marginal notes: 2 *Socrates de communibus uxoribus* — *Cato alter Italiæ Socrates* — 3 — *Leges Socratis cum Vuandalorum conſtitutionibus confert*

Magnæ urbes impuriores deniq; ciuitates, nunquid non luſtris plenæ ſunt, ac lupanaribus fœtent? Et quid dixi omnes? certe nobiliſſimæ quæq; ac ſublimi adeò dignitate: quæ etiam prærogatiua eſt honorum in magnis urbibus, ut quantum præcellũt cæteris magnitudine, tantum præſtent impuritate. Et quę eſſe rogo Romano ſtatui ſpes poteſt, quando caſtiores ac puriores ſunt de quibus dixi? ex ſententia ſuperna certe eſt quod patimur. Cum enim ſint omnia ditionis ſacræ, & nutu dei cuncta moderentur, quicquid malorum quotidie pœnarumq; perferimus, cenſura eſt diuinæ manus: quam utiq; cenſuram nos inardeſcere facimus, & peccatis noſtris iugiter commouemus. Nos cœleſtis iræ ignem accendimus, & excitamus incendia quibus ardeamus, ut recte utiq; quoties mala iſta perferimus, etiam ad nos dici illud propheticũ poſ-
Eſa.50 ſit: Ite in flammam ignis quam accendiſtis. Ac per hoc iuxta ſententiã ſa-
Pſal.7 cram: Ipſe ſibi parat peccator quiſq; quod patitur. Nihil eſt itaq; quod de calamitatibus noſtris deo imputare poſſimus. Nos calamitatum noſtra-
1.Tim.2 rum autores ſumus. Deus enim pius eſt & miſericors, & qui, ut ſcriptum eſt, neminem uelit perire uel lædere. Nos ergo aduerſum nos omnia facimus. Nihil itaq; nihil eſt in nobis, crudelius nobis. Nos, inquã, nos etiam deo nolente cruciamus. Sed uidelicet aduerſum meipſum dicere arbitror, qui cum ſuperius dixerim, ob peccata noſtra nos puniri à deo, nunc dicam nos puniri à nobis ipſis. Vtrunq; uerum eſt, à deo quippe punimur, ſed ipſi facimus ut puniamur. Cum autem punire nos ipſi facimus, cui dubium eſt quin ipſi nos noſtris criminibus puniamus: quia quicunq; dat cauſam qua
Pſal.11 puniatur, ipſe ſe punit, ſecundũ illud: Funibus peccatorũ ſuorũ unuſquiſq; cõſtringitur. Ergo ſi funibus peccatorũ ſuorũ peruerſi homines alligantur,
Afrorũ blaſphemiæ. ipſe ſe abſq; dubio alligat peccator quiſq; cũ peccat. Sed quia de impuritate Afrorũ iam multa diximus, nunc de blaſphemijs ſaltem pauca dicamus. Profeſſa enim illic iugiter plurimorũ paganitas fuit. Habent quippe intra
4 muros patrios inteſtinũ ſcelus. Cœleſtẽ illũ ſcilicet: Afrorũ dæmonẽ dico,
Cœleſtis Afrorum dæmon cui ideo reor ueteres pagani tam ſpecioſæ appellationis titulũ dederunt, ut quia in eo nõ erat numen, uel nomen aliquod eſſet: & quia nõ habebat aliquam ex poteſtate uirtutẽ, haberet ſaltẽ ex uocabulo dignitatem. Quis ergo illi idolo nõ initiatus, quis non à ſtirpe ipſa, forſitan etiã à natiuitate, deuotus? nec loquor de hominibus ſicut uita ita etiã profeſſione ac uocabulo paganis, & qui ſicut profani erant errore, ſic nomine. Tolerabilior quippe eſt, & minus nepharia gentilitas in hominibus profeſſionis ſuæ: illud perniciosius ac ſceleſtius, q̃d multi eorũ qui profeſſionẽ Chriſto dicauerant, mente idolis ſeruiebãt. Quis enim nõ eorũ qui Chriſtiani appellant, Cœleſtẽ illum, aut poſt Chriſtũ adorauit, aut q̃d eſt peius multo ante q̃ Chriſtũ? Quis nõ dęmoniacorũ ſacrificiorũ nidore plenus, diuinę domus limẽ intrauit, & cũ fauore ipſorũ dęmonũ Chriſti altare cõſcendit? ut nõ tam imma-

nis criminis fuiſſet ad templũ domini non uenire,quàm ſic uenire:quia Chriſti anus qui ad eccleſiã non uenit,negligentiæ reus eſt: qui autẽ ſic uenit, ſacrilegij.Minoris enim piaculi res eſt,ſi honor deo nõ deferat,quàm ſi irroget iniuria:ac per hoc quicunq; iſta fecerunt,nõ dederunt honorẽ deo,ſed derogarũt.Nam etiã ipſam quodãmodo eccleſiæ ſalutationẽ idolo præſtiterũt, quia ſecundi loci officioſitas honori illius proficit, cui principalia deferunt. Ecce quæ Afrorũ & maxime nobiliſſimorũ fides,quæ religio,quę Chriſtianitas fuit:dicebãtur Chriſtiani ad contũmeliã Chriſti, cũ Apoſtolus declamet:Nõ poteſtis calicem domini bibere,& calicem dæmoniorũ.Non poteſtis menſę domini participare,& menſæ dæmoniorũ.Illis hoc ſatis nõ erat, ut cũ calice dei calicem biberent dæmoniorũ, niſi illum etiã prętuliſſent:nec ſufficiebat,ut menſam dæmonũ menſæ dominicę compararẽt, niſi poſt ſuperſtitionũ nepharium cultum ad dei templa uenientes ſacroſanctis Chriſti altaribus ductu ipſius diabolici ſpiritus ſpurciſſimũ nidorẽ inhalaſſent. At inquis,nõ omnes iſta faciebant, ſed potentiſſimi quiq; ac ſublimiſſimi. Acquieſcamus hoc ita eſſe. Sed cum ditiſſimæ quæq; ac potentiſſimæ domus turbam faciant ciuitatis, uides perpaucorum potentiũ ſacrilega ſuperſtitione urbem cunctam fuiſſe pollutam. Nemini autẽ dubium eſt omnes dominorum familias aut ſimiles eſſe dominis,aut deteriores:quamuis hoc uſitatius, ut deteriores:ac per hoc cum etiam domini boni ſeruos uel maxime malos habeant,promptũ eſt intelligere, quales illic familiæ omnes fuerint,cum ſeruiles animos iam per ſe malos etiam dominorũ faceret nequitia peiores. Eſto ergo illa quæ diximus ad potẽtiſſimos quoſq; ac nobiliſſimos pertinuerũt, nunquid illa leuiora quæ nobilibus ignobilibuſq; cõmunia:odia ſcilicet,atq; execrationes ſanctorũ omniũ dico.Sacrilegij quippe genus eſt,dei odiſſe cultores.Sicut enim,ſi ſeruos noſtros quiſpiã cædat, nos in ſeruorũ noſtrorũ cædit iniuria:Et ſi à quoquã filius uerberet alienus,in ſupplicio filij pietas paterna torquet:Ita & cũ ſeruus dei à quocũq; lędit,maieſtas diuina uiolat,dicente idipſum ad apoſtolos ſuos domino: Qui uos recipit,me recipit:& qui uos ſpernit, me ſpernit. Benigniſſimus ac pijſſimus dominus cõmunem ſibi cum ſeruis ſuis & honorem ſimul,& contumeliam facit,ne quis cum læderet dei ſeruum, hominem tantum à ſe lædi arbitraretur:cum abſq; dubio iniurijs ſeruorum dominicorum,dei admiſcetur iniuria,teſtante id ſuis deo affectu indulgẽtiſſimo in hunc modum: Quoniam qui uos tangit,quaſi qui tangit pupillam oculi mei. Ad exprimẽdam teneritudinem pietatis ſuæ,tenerrimam partẽ humani corporis nominauit, ut apertiſſime intelligeremus eum tam parua ſanctorum ſuorum contumelia lædi,quàm parui uerberis tactu humani uiſus acies lęderetur.Inſectabant itaq; Afri,atq; oderant ſeruos dei,& in ijs deũ.Sed quærit forſitan,quibus modis probetur odiũ illorũ. Scilicet,quibus etiã Iudæorũ odia cõprobant

1.Cor.10

Sacrilegij genus dei cultores odiſſe ſimilia

Matth.10

Zach.2

Ioan.8 in Chriſtum, cum dicebant ad eum: Samaritanus es, & dæmonium ha-
bes, cum irridebant, cum maledicebant, cum inſufflabant in faciem eius, &
frendebant dentibus ſuper caput eius. Vnde etiam in Pſalmis dicit Salua-
Pſal.21 tor ipſe qui pertulit: Omnes qui conſpiciebant, aſpernabantur me, & locuti
Hiere.20 ſunt labijs, & mouerunt caput. Et alibi: Tentauerunt, inquit, me, & deriſe-
Monachi runt deriſu, frenduerunt in me dentibus ſuis. Ita igitur & in monachis, id
eſt ſanctis dei Afrorum probatur odium, quia irridebant ſcilicet, quia ma-
ledicebant, quia inſectabantur, quia deteſtabantur, quia omnia in illos pe-
nè fecerunt, quæ in ſaluatorem noſtrum Iudæorum impietas fecit, antea
quàm ad effuſionem ipſam diuini ſanguinis perueniret. Sed iſti, inquis,
ſanctos non occiderunt, ſicut Iudæos feciſſe legimus. An occiderint, neſcio,
non affirmo. Sed tamen magna defenſio, ſi hoc tantum in eis de pagano-
rum non fuit perſecutione, quod habet perſecutio ipſa poſtremum. Pute-
mus ergo occiſos illic non eſſe ſanctos: ſed quid faciemus, quod non ſunt
longe ab occidentibus qui animo occiſionis oderunt? præſertim cum domi-
1.Ioan.3 nus ipſe dicat: Qui odit fratrem ſuum ſine cauſa, homicida eſt, quamuis
non ſine cauſa perſecuti ſunt ſeruos dei. Nam quis dicere poſſit, quod ſine
cauſa, homines ſcilicet omnibus à ſe uitæ ſtudijs diſcrepantes, in quibus ni-
Diuerſitas hil uidebant ſuum, quoniam dei totum. Maxima enim cauſa eſt diſcordia-
uoluntatum rum diuerſitas uoluntatum: quia fieri aut omnino non poteſt, aut uix po-
teſt, ut eam rem in alio quiſquam diligat, à qua ipſe diſſentit. Itaque eos
non ſine cauſa, ut dixi, oderunt, in quibus omnia ſibi æmula atque inimica
cernebant. Illi enim uiuebant iugiter in nequitia, iſti in innocentia: illi in li-
bidine, iſti in caſtitate: illi in luſtris, iſti in monaſterijs: illi propè iugiter
cum diabolo, iſti ſine ceſſatione cum Chriſto. Non ſine cauſa itaque iſtud
fuit, quod intra Africæ ciuitates, & maxime intra Carthaginis muros pal-
liatum & pallidum, & reciſis comarum fluentium iubis ad cutem tonſum
uidere, tam infelix ille populus quàm infidelis ſine conuicio atque execra-
tione uix poterat. Et ſi quando aliquis dei ſeruus, aut de Ægyptiorum cœ-
nobijs, aut de ſacris Hieroſolymorum locis, aut de ſanctis eremi ueneran-
diſq; ſecretis ad urbem illam officio diuini operis acceſſit, ſimul ut in popu-
lo apparuit, contumelias, ſacrilegia, & maledictiones excepit. Nec ſolū hoc,
ſed improbiſſimis flagitioſorum hominū cachinnis, & deteſtantibus riden-
5 tium ſibilis, quaſi taureis cædebatur, uere ut ſiquis ea inſcius rerū fieri uide-
ret, non aliquem hominē ludificari, ſed nouum inauditumq; monſtrū abi-
gi atq; exterminari arbitraretur. Ecce Afrorū, & præcipue Carthaginenſiū
fidem: quondam apoſtolis paganas urbes licuit intrare, & minus primū eo-
6 rum aduentū atq; cōſpectum feri illi ac barbari ſacrilegorū coitus deteſta-
Act.17 bantur. Sanctum electionis uas Paulum apoſtolum de unius dei cultu ac
maieſtate ſuperſtitioſiſſimus licet Athenienſiū populus patienter audiuit.

Lycaonij

Lycaonij aũtem intantum etiam admirati ſunt, ut cum apoſtolis diuinas Act. 14
uirtutes ineſſe cernerent, eſſe eos homines non putauerint. Intra Carthagi
nem uero apparere in plateis & compitis dei ſeruos ſine contumelia atque
execratione uix licuit. Perſecutionem hoc quidem fuiſſe non putant, quia
non & occiſi ſunt. Latrones hoc quidem prouerbio uti ſolent, ut quibus nõ Latronum
auferant uitam, dediſſe ſe dicant. Sed in urbe illa non tam hominum fue- prouerbium
runt hæc beneficia, quàm legum. Interfici enim indemnatum quemcunq;
hominem, etiam duodecim tabularum decreta uetuerunt. Ex quo agno- Duodecim ta
ſcitur, quod magna illic prærogatiua dominicæ religionis fuit, ubi ideo tan- bulæ
tum ſeruis dei licuit euadere, quia à pagano iure defenſi ſunt, ne Chriſtia-
norum manibus trucidarentur. Et miramur, ſi nunc barbaros illi perferunt,
cum uideamus quod ſancti uiri in illis barbaros pertulerũt: iuſtus ergo eſt
dominus, & iuſtum iudicium ſuum. Quæ enim, ut ſcriptum eſt, ſeminarũt, Gal. 6
hæc & metunt, ut uere uideatur de improbitate illius gentis dixiſſe domi-
nus: Reddite ei ſecundum opus ſuum, iuxta omnia quæ fecit, facite illi, quia Hiere. 50
contra dominum erecta eſt. Miremur itaque aut indignemur, quod aliqua
nunc illi ab hominibus mala perferant: multo illa maiora ſunt,
quæ ipſi in deum ante fecerunt: iuxta perſonarum di
uerſitatem exiſtimentur quæ patian-
tur, & quæ fecerunt.

OCTO LIBRORVM SALVIANI MASSYLIENSIS EPISCO
PI DE VERO IVDICIO ET PROVIDEN
TIA DEI, FINIS.

ANNOTATIONES

ALIQVOT IN SALVIANI EPISCOPI DOCTISS. LOCA
uel ſubobſcura,uel quæ propter exquiſitam elegantiam atq; re
conditam eruditionem digna uiſa ſunt,ut & attentius
obſeruarentur,& dilucidius etiam explicarentur,
Autore Ioanne Alexandro Braſſicano.

IN PROOEMIVM.

Ad Salonium.) Huius Salonij Viennæ Galliarum Epiſcopi, cui Sal/ 1
uianus librum ſuum nominatim inſcripſit, ſæpiſſime meminit Sidonius
Apollinaris in Epiſtolis,& Gennadius etiam in Saluiano.

Omnes admodum homines.) Vſus eſt fermè Saluſtiano exordio. Vi 2
detur autem hic admodũ particula uſus eſſe pro quidem uel equidẽ, tam
& in aliam partem non ſemel hac utitur Eucherius Lugdunenſis,& Saluia
nus etiam noſter aliter uſus eſt,ut ſuo loco indicabimus.

Mundialium negociorum.) Videtur uſus eſſe dictione ſuo ſeculo fami 3
liari,nam aliâs mundiale uix ſatisfacit auribus eruditorum. Neq; uero ob
unam aliquam uoculam,ut quidam ſolent, integrũ autorem damnare con
uenit. Quando in omni re ſit improba ac reprehendenda præteritis melio
ribus malorum ſelectio,ut Cicero in libris de legibus docuit.

Scholaſtici.) Scholaſticos uocat,niſi fallar,quemadmodum etiam Gen 4
nadius, ſtylum tantum expolientes, nec animaduertentes interea quàm
ſplendidis illis uerbis, & exquiſitiore dictione minime dignum ſit argu/
mentum hoc quod tractandũ ſuſceperunt. Sic Prudentius Symmachum
damnat,quod eloquentia ſit abuſus,quando Gentilium deos eſſe recipien
dos ac ſeruandos,elegantiſſime quidem, ſed parum uere diceret,

Os dignum æterno tinctum quod fulgeat auro,
Si mallet laudare deum,cui ſordida monſtra
Prætulit,& liquidam temerauit crimine uocem.
Haud aliter quàm cum raſtris quis tentat eburnis
Cœnoſum uerſare ſolum, limoq; madentes
Excolere aureolis ſi forte ligonibus uluas,
Splendorem nitidi dentis ſcrobis inquinat atra,
Et precioſa acies ſqualenti ſordet in aruo, &c.

Cicero certe in primo Tuſcul. quæſt. libro ſcholas intelligi uoluit eruditas
diſſertationes, quibus ultro citroq; habitis,ea quæ ad philoſophiam perti/
nent,exquirerentur. Seneca libro ſexto controuerſiarum appellat ſcholaſti
cos,qui tantum in umbra declamationum argumentis ſeſe exercitarint,nec
dum in fori lucem prodierint.

Latinitate ſunt tumida.) Sic conſtanter habet exemplar deſcriptum. 5

Proinde

Proinde nihil immutare uolui, atq; utinam omnes eadem religione præſertim in re ſacra, hoc eſt in caſtigandis ueterum libris uterentur. Neque uero latini ſermonis elegantiam damnat Saluianus, ſed ita latinitatem eleuat, ut Cicero etiam in primo libro de Oratore docet, ſi non ſcientia plurimarum & optimarum rerum illi coniuncta ſit, ſine qua uerborum uolubilitas inanis atq; irridenda eſt. Sed & hunc locum doctioribus rectius uel explicandum, uel reſtituendum (Sacrilegij enim genus eſt reſtituere uelle id quod neſcias) in medium relinquo.

IN LIBRVM PRIMVM.

1 Magiſtrum ſuum philoſophia.) Magna laus Pythagoræ. Quippe quẽ ipſa philoſophia magiſtrum ſuum agnouerit, id quod ſatis approbat uel unicum hoc uerbum de illo uulgatum. αὐτὸς ἔφα.

2 Animus per omnes mundi partes.) Hoc fuſius explicat Plutarchus libro primo de placitis philoſophorum: & Vergilius libro ſexto Æneid. huc reſpexiſſe uidetur,

Principio cœlum ac terras, camposq; liquentes
Lucentemq; globum lunæ, titaniaq; aſtra
Spiritus intus alit, totamq; infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet. &c.

3 Gubernatori.) Hoc elegantiſſime docet Ariſtoteles in libro quem ad Alexandrum Magnum ſcripſit de mundo, ſic dicens: καθόλου δὲ ὅπερ ἐν νηῒ κυβερνήτης, ἐν ἅρματι δὲ ἡνίοχος, ἐν χορῷ δὲ κορυφαῖος, ἐν πόλει δὲ νόμος, ἐν στρατοπέδῳ δὲ ἡγεμών, τοῦτο θεὸς ἐν κόσμῳ. πλὴν καθ' ὅσον τοῖς μὲν, καματηρὸν τὸ ἄρχειν πολυκίνητόν τε καὶ πολυμέριμνον, τῷ δὲ ἄλυπον ἄπονόν τε, πάσης κεχωρισμένον σωματικῆς ἀσθενείας. &c. Latine ſic dixeris. Ad ſummã, quod in naui gubernator, in curru auriga, in choro præcentor, in ciuitate lex, in exercitu imperator, hoc idem in mundo eſt Deus: niſi quod illis ipſis principatus laborioſus, perturbatus, & anxius eſt: Deo autem expers omnis mœſtitiæ, laboris, nullamq; corpori afferens imbecillitatem, &c. Idem ferè ſcribit L. Apuleius in eiuſdem inſcriptionis & argumenti libro. Sic apud Prudentium deus ipſe loquitur:

Vnus ego ipſa elementa rego, nec mole laboris
Vt miſer, infirmusq; aliquis, fragilisq; fatigor.

4 Fabij, Fabritij.) Eiuſmodi uirtutum & uirtute præſtantiũ uirorũ exempla, deprehendes apud Valerium Maximum Lib. IIII. Cap. III. & IIII.

5 Decem argenti libras.) Is fuit Cornelius Rufinus, ut Valerius Maximus docet Lib. II. Cap. IIII. de nota Cenſoria.

6 Etiam in catenis.) Hæc ſententia ad Stoicorum ἀπάθειαν pertinet. Et Horatius Poëta indicat libro primo Epiſtolarum ad Quintium nihil planè ſapienti uiro nocere poſſe,

Vir bonus & ſapiens audebit dicere, Pentheu

Rector Thebarum, quid me perferre, patiq;
Indignum coges? Adimam bona. Nempe pecus, rem,
Lectos, argentum: tollas licet. Et manicis, &
Compedibus ſæuo te ſub cuſtode tenebo.
Ipſe deus, ſimul atq; uelim me ſoluet opinor.
Hoc ſentit, moriar, mors ultima linea rerum eſt. &c.

Anaxarchus etiam philoſophus cum piſtillis ferreis tunderetur, Tunde, inquit, Anaxarchi peram, neque enim Anaxarchum contundis. Poſſem hic multa congerere, niſi me non commentarios, ſed annotationes aliquot ſcripturum pollicitus fuiſſem.

Carnes.) Noue dixit habitius corpus, & nullo ualetudinis aduerſæ periculo offenſum aut imminutum. 7

Infirmitas carnis.) Galenus medicus in protreptico ſcribit ex Hippocratis ſententia, ſumme bonam corporis ualetudinem eſſe periculoſam. Vnde & Plato academiā locū inſalubrē ſibi delegit, ut immodicā corporis incolumitatē & prorſus inoffenſam ualetudinē hoc ceu remedio reprimeret. Meminit eius rei Gregorius theologus in monodia in Baſilium Magnum. Et Baſilius magnus ad nepotes. Item Æneas Platonicus Chriſtianus in dialogo de immortalitate animæ. 8

Manus tendimus.) Hoc etiam Ariſtoteles in libro de mundo agnoſcit: συνεπιμαρτυρεῖ δὲ καὶ ὁ βίος ἅπας τὴν ἄνω χώραν ἀποδοὺς θεῷ. καὶ γὰρ πάντες οἱ ἄνθρωποι ἀνατείνομεν τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν εὐχὰς ποιούμενοι, &c. Hoc eſt, confirmant etiam hoc uiuentes omnes. Quippe qui deo ſummum attribuant locum, omnes enim deprecaturi ad cœlum manus tollimus. Vnde toties eſt hoc repetitū apud Homerum, θεοῖσι δὲ χεῖρας ἀνέσχον. 9

Et apud Vergilium:

Et duplices cum uoce manus ad ſydera tendens.

IN LIBRVM TERTIVM, QVONIAM IN SECVNDO NIHIL NON APERTVM EST.

De quibus lis eſt, relinquere iubet.) Pudeat tandem nos Chriſtianos & uitæ & profeſſionis noſtræ, quando neq; ſacra, neq; profana, uel unius aſſis æſtimamus. Nam & Vlpianus iureconſultus in titulo 11. de rei uindicatione teſtatur prætorem eius factum non improbare, qui tanti habuit re carere, ne propter eam ſæpius litigaret. Hæc enim uerecundia eius & cogitatio, ut ipſe inquit, qui lites execratur, non eſt uituperanda, &c. Quid ſimile reperias in noſtri ſeculi iureconſultis, quorū ſutelis (cautelas dicere uolui) iam olim omnis æquitas corrupta eſt, lites creuerunt, & etiamnum creſcūt. Controuerſijs autem dirimendis tantū abeſt, ut aliquis eorū manus admoueat, ut multo libentius etiam frigidam ſuffundant: adeò ut uerum ſit quod ille dixit, Solis ijs uel in medio foro conceſſum eſſe latrocinium. 1

IN LIBRVM QVARTVM.

1 Implent canonem.) Summa cum elegantia dictum hoc eſt. Serui ita de menſum ſuum accipiunt, ut interea tamen ſtrenue cogantur eſurire. Ratio loquendi deſumpta eſt à canone frumẽtario. Cuius meminit Aſconius Pedianus, Suetonius, Lampridius, Spartianus, & alij. Extat etiam lib. XII. Codicis, Tit. de canone frumentario urbis Romæ.

2 Si extra conſcientiam ſuam ſunt.) Huc pertinet uulgata illa diui Hieronymi regula, Vbi generalis diſputatio de uitijs ſit, ibi nullius perſonæ iniuriam eſſe, neq; quenquam acerbius reprehendi quaſi malus ſit, ſed omnes admoneri ne ſint mali. Sic Martialis,

Hunc ſeruare modum noſtri didicere libelli,
    Parcere perſonis, dicere de uitijs.

3 Naturæ admirabilis gemmas.) Nempe Magnetem lapidem, de quo Lucretius ita ſcribit in VI

Quem magneta uocant patrio de nomine Graij,
Magnetum quia ſit patrijs in finibus ortus.   &c.

Meminit eius prolixe diuus Auguſtinus in XXI libro de Ciuitate dei. Hæc autem Saluiani ualde quàm elegans ſimilitudo ſumpta eſt ex Platonis dialogo, qui Ion, ſiue de furore Poëtico inſcribitur: eam quoniam Angelus Politianus in nutricijs non infeliciter expreſſit, nõ grauabor aſſcribere,

Ceu ferreus olim
Annulus, arcana quem ui magneſia cautes
Suſtulerit, longam nexu pendente catenam
Implicat, & cæcis inter ſe conſerit hamis.

4 Impræſtabilem.) Noue dixit, ſed non ineruditе, qui nihil præſtet pro rei dignitate, nam impij hoc de pientiſſimo deo conqueruntur.

5 Perſona peccantis.) Hoc Iuuenalis etiam attigit,

Omne animi uitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.

6 Syricorum.) Sic conſtanter legitur. Quamobrem nihil temere uel radere, uel ſubſtituere uolui. Qui autem ſint Syrici, hactenus me nec legiſſe, nec audiſſe memini. Apparet tamen aliquod mercatorũ genus ita dictũ fuiſſe, niſi quis legere malit ex cõiectura, Syrorũ, q celebres aliquãdo ſunt habiti, autore Strabone, in omni mercatus genere. Verũ & iſthic nihil pnũciaſſe uolo, ſed doctorũ iudicio, ne litem meam faciam, rem nõ ita apertã delego.

7 Initia noſtræ religionis.) Hæc omnia nõ minus uere quàm grauiter cõfutat Tertullianus in Apologetico, & Lactantius Firmianus non uno loco in libris diuinarum inſtitutionum.

IN LIBRVM QVINTVM.

1 Raritas bonorum.) Ita Iuuenalis,

Rari quippe boni,numero uix ſunt totidem,quot
Thebarum portæ,uel diuitis hoſtia Nili.

Baogandas.) Dictio eſt mere barbara, ſed ſeculo ſuo familiaris ac rece/pta, ut eiuſmodi multa uocabula Gothorum impreſſio tam multis regnis quàm etiam linguæ latinæ colonijs intulit. Sic autem appellabant transfu/gas prorſus inculpatos, qui ob inclementem potentiorum dominationem, ob crebras & intolerabiles exactiones,ad hæc ſeruitutem quauis morte du riorem ad barbaros profugiſſent. 2

Noui nuncij nouarum epiſtolarum.) Iuſtinianus Imperator lib. XII. Cod. Tit.ultimo, grauiſſimam pœnam in eos ſtatuit, qui uel bella regum, ubi deſinant,uel ubi uictoria feliciter euenerit,aut ubi faſtus honor quibuſ/dam datus fuerit,ſi compoſitam pacis tranquillitatē,ſi princeps ſacros uul/tus(ſic enim ipſe de ſe loquitur) inhiātibus forte populis inferat,immodico precio nuntiauerint,&c.ne eiuſmodi εὐαγγέλια nihil aliud ſint, quàm pau/perum præda. 3

Capitatio.) Capitationem noue,ſed eleganter dixit,quādo tributa ſin/gulis per capita imponūtur. Vſus eſt ea uoce, niſi me memoria deficiat,ali/bi Iulius Capitolinus. 4

Maleficæ potētis.) Circen ueneficam intelligit, quæ ſolebat homines in canes & porcos, & eiuſmodi immunda animalia demutare. De qua re co/pioſe ſcribit Homerus,& poſt eum noſter Vergilius. Plutarchus autem in uita Homeri figmentum hoc doctiſſime ut omnia explicat. 5

IN LIBRVM SEXTVM.

Perſonanter.) Noue dixit, hoc eſt in perſonam tantum unius, nemine interea ſuo nomine notato. Quod Cornelius Tacitus in dialogo de orato/ribus expreſſit, Neminem nominabo, genus hominū ſignaſſe contentus. 1

Si fuerit tamen aliquis.) Reſpexit ad modeſtiam illam Vergilianam, 2
Siquis tamen hæc quoq; ſiquis
Captus amore leget. Sic Perſius Satyra I
Quis leget hæc? min' tu iſtud ais? nemo Hercule. nemo?
Vel duo,uel nemo. &c.

Vnum ſæpiſſime malum.) Huc pertinet nobilis ille uerſiculus Heſio/di,ab Æſchyne rhetore aduerſus Timarchum honorifice citatus, 3
πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ.

Admodum.) Admodum dixit,id eſt præcipiti curſu, & proclinatis ani/mis in perditionem ruunt. 4

Beſtiarum dentibus.) Huc faciunt non aſpernanda illa uerba Iſidori: hæc quippe,inquit,ſpectacula crudelitatis,& inſpectio uanitatum,non tan tum hominum uitijs, ſed & dæmonum iuſſis inſtituta ſunt: proinde nihil 5

k 2 com/

communne eſſe debet homini Chriſtiano cum circenſi inſania, cum impudi-
citia theatri, cum crudelitate amphitheatri, cum atrocitate arenæ, cum luxu-
ria ludi: deum enim negat, qui talia ſpectat, fidei Chriſtianæ præuaricator
effectus, qui id denuo appetit, cui iam olim in lauacro renũciauit, id eſt dia-
bolo, pompis, & operibus eius. Sic Prudentius lib. I contra Symmachum.

Nam quid ueſani ſibi uult ars impia ludi,
Quid mores iuuenum, quid ſanguine paſta uoluptas
Quid puluis caueæ ſemper funebris: & illa
Amphitheatralis ſpectacula triſtia pompæ?

Aduerſus eiuſmodi diram & execrandam ſpectaculorũ atrocitatem Ter-
tullianus peculiare & iuſtum opus ſcripſit, quod & nos breui, dijs bene uo-
lentibus, inuulgabimus. Sed & alia cũ primis ueneranda rei literariæ κειμή-
λια proferemus, ſi Saluianum hunc, uti iure ſuo meretur, à doctis atq; ſtu-
dioſis exceptum uiderimus.

6 Tribulis.) Tribuli ſunt, uelut Græci uocant triboli, machinulæ ferreæ,
doloſæ, tetragona forma, quæ in quamcunque partem incubuerint, unum
aut plures infeſtos aculeos protendunt. Valerius Maximus, Q. Curtius, &
Vegetius Murices uocant. Hoc ex fide multorum autorum, uti ſolet, locu-
pletiſſime probat Guliel. Budæus in primis in ff. Annotationib.

7 Odeis.) Iulius Pollux, & Suetonius Tranquillus agnoſcunt ᾠδεῖον, id
eſt odeum, locum cantoribus deſtinatum. Odei à Conſtantio extructi me-
minit etiam Ammianus Marcellinus.

8 Petaminarijs.) Nihil memini me de ijs uel apud Græcos, uel apud La-
tinos legiſſe. Iulius Pollux eiuſmodi uocabulorum locupletiſſimus autor,
quod ego quidem deprehenderim nuſquam mentionem facit de petami-
narijs. Neq; Politianus illos in Panepiſtemona ſuã retulit: apparet autem
ſic appellatos fuiſſe circulatores quoſdam, noſtra etiam ætate non incogni-
tos, qui ſeſe uolaturos eſſe promitterent: quemadmodum funerepi per ex-
tentum funem incedunt. πέτασθαι Græcis eſt uolare, unde uox deriuata ui-
deri poteſt: ſed & hic libenter cedam, ſiquis aliquid doctius, uel quod pro-
pius ad rem accedat, attulerit. Ego quod nec debui, neq; uolui, nihil temere
immutandum eſſe arbitratus ſum.

9 Pantomimis.) Sic dicũtur omnium perſonarũ imitatores effictoreſq;.

10 Gigantum.) Res eſt notior quàm ut de illa multa dicere debeam; certe
gigantes non alios intellexit antiquitas, quàm qui contra naturam pugnarent,
ut eſt apud Ciceronẽ in Catone maiore, & Macrobium lib. I Saturnal.

11 Thymelicorum.) Thymelici dicti ſunt à pulpito ubi cõſiſtebant, quod
θυμέλη Græce dicitur. Ii erant citharœdi, cithariſtæ, lyriſtæ, & tibicines. Ci-
tharœdi qui & fidicines dicuntur, citharæ accinunt. Cithariſtæ citharã tan-
tum pulſant, non etiã accinunt: thymelici autẽ in Orcheſtra actiones ſuas
peragebant,

peragebant,ut Iulius Pollux & Latini complures autores teſtantur.

Imminente iam admodum excidio.) Admodũ nunc dixit ualde quàm 12
proxime,& quod aiunt penè in ipſis foribus.

Anguinum illud monſtrum.) Hydram lernæam intelligit, cũ qua mul/ 13
tum atq; diu conflictatus eſt Hercules. Propterea quod uno reciſo capite,
complura renaſcerentur.

Mortis imago.) Ex Vergilio lib. II Æneid. 14

crudelis ubiq;
Luctus,ubiq; pauor,& plurima mortis imago.

Eſt & apud Hieremiam prophetam Cap. II

πάγχρυσα.) Dictio græca latinis literis erat deſcripta,ſic autem appellat 15
munuſcula quæpiam inſigni dulcedine ac ſuauitate commendata, quibus
pueri non ſemel ad omne genus obſequij pertrahuntur,id quod & Quinti
lianus in primo docuit, & Horatius,

Vt quondam pueris dant cruſtula blandi
Doctores,elementa uelint ut diſcere prima.

Niſi quis alia coniectura aut diuinatione ductus legere malit,παιδικὰ,quę Suidas interpretatur res in delitijs habitas,& ex omni parte nobis charas.

IN LIBRVM SEPTIMVM.

Sparſis redemerunt crimina nummis.) Hemiſtichiũ eſt ex Poëta quo/ 1
piam. Simile quiddam Plutarchus ſcribit in libello De uitanda uſura, de Philoxeno melopœo, qui domum opulentiſſimam in colonia Sicilia hæ/reditate nactus,cum delitias, uoluptates,ac indigenarũ conſideraſſet inelegantiam μὰ τοὺς θεοὺς εἶπεν, ἐμὲ ταῦτα τὰ ἀγαθὰ οὐκ ἀπολεῖ, ἀλλ᾽ ἐγὼ ταῦτα. Hoc eſt,Per deos,inquit,bona hæc me non perdent,ſed ego illa:atq; ita relicta alijs hæreditate diſceſſit.

Paſſiuitatem.) Noue dixit, παθητικὸς Græcis paſſiuus eſt, nimirum 2
is, ut Simplicius in Categorias Ariſtotelis docet, in quem paſſio ſiue affectus aliquis ferendi, tolerandiúe cadere poſſit. Vnde facile licebit aſſequi, quid paſſiuitatem intelligi uelit, quanquam hic impuræ rei attribuatur.

Mariti gregum.) Apud Vergilium legimus,Vir gregis ipſe caper. Et 3
Papinius dixit,Stabuliq; maritus,cum de tauro admiſſario,hoc eſt ad initum electo loqueretur. Cicero in Piſonem, admiſſarium pro homine peruagatæ libidinis poſuit. Lucanus autem mariti uocabulo ualde q; honeſte uſus eſt libro ſecundo,

Pater eſt,urbiq; maritus.

Cum de Catone loqueretur, qui Rempub. Romanam quaſi coniugali fide ac amore complectebatur,

4 Sardonicis herbis.) Hoc Eraſmus noſter in Adagiorum Chiliadibus locupletiſſime interpretatus eſt, quamobrem Solini tantum uerba aſſcribam. Is in Polyhiſtore Cap. X ubi de Sardinia agit, ita ſcribit: Huic incōmodo accedit & herba ſardonia, quæ in defluuijs fontaneis prouenit iuſto largius: ea ſi edulio fuerit, ueſcentibus neruos cōtrahit, rictu ora diducit, ut qui mortem oppetunt, uelut ridentium facie intereant. Sic Pacatus in Panegyrico Theodoſio Auguſto dicto. Serenos ergo nubilis mētibus uultus induebamus, & ad illorum uicem qui deguſtato ſardorum graminum ſucco feruntur in morte ridere, imitabamur læta mœrentes.

5 Vber totius fœcunditatis.) Sæpe eſt apud Homerum & Nicandrum in Theriacis, οὖθαρ ἀρούρης, id eſt uber terræ, quod Didymus interpretatur. τὸ πιότατον καὶ τροφιμώτατον τῆς γῆς, id eſt hoc quod è terra proueniat, & pinguius, & ad alimoniam magis appoſitum. Ita Vergilius in III Æneid.

quæ uos à ſtirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem uos ubere læto
Accipiet reduces.

6 Paradiſi imaginem.) Eam Homerus in deſcribendo horto Alcinoi expreſſit, ut ſcribit Iuſtinus martyr & Philoſophus in Apologetico.

7 In miſerationem hoſtium.) Elegans & mire ſcita ſententia, omnibus ſupplicijs, ac grauiſſimis quibuſq; exemplis acerbiorem eſſe pœnam ita miſerum eſſe, ut ab hoſtibus etiam miſerationem extorqueas. Sic Diomedes apud Vergilium libro undecimo Æneid. uolens oſtendere quicunque tandem Troiano excidio interfuiſſent, cum nullo non malorum genere conflictatos fuiſſe. Quæ res Priamo etiam hoſti miſeranda uideri potuerit. Sic autem loquitur,

Quicunq; Iliacos ferro uiolauimus agros
(Mitto ea quæ muris bellando exhauſta ſub altis
Quos Simois premit ille uiros) infanda per orbem
Supplicia, & ſcelerum pœnas expendimus. Omnes
Vel Priamo miſeranda manus.

Quod Seruius ex illo Pacuuij ſumptum putat.
Si Priamus adeſſet, & ipſe eius commiſereſceret.

8 Inuolentia.) Noue dictum, ſunt enim qui non uelint alijs prodeſſe, ac interea minime ſunt maleuoli, quoniam non male uolunt, ſed non uolunt ut ita dixerim.

9 Viris nihil magis pudori.) Vlpianus etiam iureconſultus in ſecundo titulo de auro & argento legato docet: ijs quæ muliebria cenſeantur, uirum (ſi ſaltem id uult eſſe quod dicitur) non facile uti poſſe ſine reprehenſione. Vnde & eleganti prouerbio dicimus, Herculem in Lydia, qui cultu indecoro, & ſibi neutiquam accommodato utitur: ueluti ſi ſacerdos militari

tari ſago,miles autem ſacris illis ueſtibus uteretur. Notum eſt enim, quàm parum uiriliter Hercules apud Omphalen ſeruierit.

Ipſa felicitas.) Ita Annibalis uires infregit rerum omnium in Campania exuberantia, ut Liuius ſcribit. 10

Secunda non mutant.) Saluſtij ſententia eſt,res ſecundas etiam ſapientum animos fatigare.Et Liuius ſcribit,raro ſimul & bonam mentem,& bonam fortunam hominibus à dijs immortalibus tribui.Proinde feliciſſimus is eſſe dicitur ab Ariſtotele,cuius fortunæ ſapientia, & ſapiẽtiæ fortuna ſuppetit.Sic Vergilius In X 11

Neſcia mens hominum fati,fortisq; futuræ
Et ſeruare modum rebus ſublata ſecundis.

Lixis.) S. Pompeius lixas interpretatur, qui exercitum ſequantur quæſtus gratia.Sic autem dicti ſunt, quod extra ordinem militiæ ſint, eisq; liceat quod libuerit: eius autem obſcœnæ impuritatis,cuius hic mentionem facit Saluianus, meminit etiam Quintilianus in declamationibus. 12

Exclamare ſuper uires meas.) Ita Socrates in Clitophonte Platonis dialogo, & Crates apud Plutarchum de liberis educandis,ex altiſſima urbis parte tanquam ex tragica quadam machina, inania ſtudia & perditiſſimorum hominum uitam reprehendunt. 13

IN LIBRVM OCTAVVM.

Quæ in ſe dulcedinem.) Reſpexit ad prouerbium, τὰ σῦκα σῦκα, τὴν σκάφην σκάφην λέγων. Ficus ficus,ac ligonem appellans ligonem. 1

Vxorem,inquit Socrates, propriam nullus habeat.) Locus eſt apud Platonem libro V de Repub. 2

Libros condidit.) Nuſquam certe uel apud Græcos aut Latinos ſcriptores inuenio,Socratem aliquid ſcripſiſſe, ac ad poſteritatem tranſmiſiſſe. At Plato non uno loco fatetur ingenue ſeſe nihil aliud ſcripſiſſe, quàm quod ex Socratis diſertationibus acceperit. 3

Cœleſtem.) Tertullianus in Apologetico, Cap. XXIII Cœleſtum Africæ deũ nominat, nos in Saluiano nihil immutare uoluimus, qui cœleſtem eum,imò inteſtinum ſcelus appellat. Eſt autem aliâs non infelix annominatio in duabus illis dictionibus cœleſtus & ſceleſtus. 4

Taureis.) Sic appellat lora ex taurino corio deſecta, quibus lorarij noxios cædebant. 5

Coitus.) Conuentus ita uocauit, & eiuſmodi improborũ conuenticula. 6

ANNOTATIONVM IN OCTO LIBROS SALVIANI MASSYLIENSIS EPISCOPI, FINIS.

ANTICIMENON LIBER PRIMVS, EX VETERI TESTAMENTO, quæſtiones de locis in ſpeciem pugnantibus, incerto Autore.

EX LIBRO GENESEOS.

INTERROGATIO

CVM in Geneſi ſeptem primi dies legantur, per quos deus uniuerſam creationem perfecit, iuxta quod ſcriptum eſt: Et requieuit die ſeptimo ab omni opere ſuo. Quomodo ecōtra ibi poſt aliqua unus dies tantum legitur, in quo uniuerſa mundana conditio ſit creata? Dicit enim: Iſtæ generationes cœli & terræ, quādo creatæ ſunt in die quo fecit dominus cœlum & terram, & omne uirgultum agri? & cætera. RESP. Qui ſuperius per dies ſingulos condita omnia retulit, qualiter ſimul omnia uno die creata ſubiunxit, niſi ut liquido oſtenderet, quod creatura omnis ſimul per ſubſtantiam extitit, ſed non ſimul per ſpeciem proceſſit: rerum quippe origo ſimul creata, ſed ſimul ſpecies formata non eſt. Et quod ſimul extitit per ſubſtantiam materiæ, non ſimul apparuit per ſubſtantiam formæ. Cum enim ſimul factum cœlum & terra dicitur, ſimul ſpiritualia & corporalia, ſimul quicquid de cœlo oritur, ſimul factum quicquid de terra producitur indicatur. Sydera quippe quarto die in cœlo facta perhibētur, ſed quod quarto die proceſſit in ſpecie, primo die in cœli ſubſtātia extitit per conditionem. Item in primo creata terra dicitur, & tertio arbuſta condita, & cuncta terræ uirentia ſcribūtur. Sed hoc quod die tertio in ſpecie apparuit, primo die in ipſa quo ortum eſt terræ ſubſtantia conditum fuit. Scriptum eſt enim: Qui uiuit in æternum creauit omnia ſimul.

INT. Cum ſcriptura Geneſis in ſexto die creatum hominem narret, quomodo poſt ipſam creationem hominis, uel euolutionē ſeptem dierum ibi ſcribitur: Non enim pluerat dominus ſuper terrā, & homo nō erat qui operaretur eam. Cur non erat homo qui operaretur terram, qui iam ſexto die factus fuerat? RESP. Hoc recapitulādo commemorat, quia quando fecit deus uiridia agri, nondū pluerat, nondumq́ homo factus fuerat.

INT. Quomodo in illis primis diebus factum ueſpere & mane ſcribitur, cum in quarto die facta ſint ſydera per quę dies à noctibus diſtinguuntur. Sic enim in quarto die dixiſſe dominus legitur: Fiant ſydera in firma

mento cœli, ut luceant ſuper terram, & diuidant inter diem ac noctem, & ſint in ſigna & tempora, & dies & annos: quomodo iam deus diuiſerat inter diem & noctem, ſi hoc quarto die ſydera faciunt? RESP. Reſtat ut intelligamus per tres illos dies, qui ſine ſole uel luna fuerũt, in ipſa quidem mora temporis diſtinctiones ipſas operum ſic appellatas: id eſt ueſperam propter tranſactionem conſummati operis: mane propter inchoarionem futuri operis, de ſimilitudine ſcilicet humanorum operum: quia pleraque à mane incipiunt, & ad ueſperam deſinunt. Hoc autem quod in quarto die dicitur: Diuidam inter diem & noctem, &c. Sic debemus accipere, tanquã ſi diceretur: Sic inter ſe diuidant inter diem & noctem, ut ſoli dies detur, nox uero lunæ & ſyderibus cæteris. In tres ergo illos dies iam diuiſio facta fuerat inter noctem & diem, ſed nondum inter ſydera, ut iam certum eſſet de ſyderũ numero quid per diem, & quid per noctẽ appareret hominibus.

INT. Cum in Geneſi non inueniatur ſcriptum, quia deus in ſexto die fundauerit terram, ſed tantum animalia & hominem, quomodo Pſalmiſta in titulo Pſalmi nonageſimi ſecundi quaſi econtrario uidetur dicere: Laus cantici ipſi Dauid in diem ante ſabbatum, quando fundata eſt terra? RESP. AVGVST. Sexto die fecit deus hominem ad imaginem ſuam, & ſexto ſeculo uenit dominus Ieſus Chriſtus, ut reformaretur homo ad imaginem dei. Primum enim tempus tanquam primus dies ab Adam uſque ad Noë, ſecundum à Noë uſque ad Abraham, tertium tempus quaſi tertius dies uſque ad Dauid, quartum uſque ad tranſmigrationem Babyloniæ, quintum uſque ad prædicationem Ioannis, ſextum tempus tanquam ſextus dies à Ioanne uſque in finem. In hoc ſexto die Chriſtus de uirgine natus eſt, hoc die ſpiritualis terra fundata eſt, id eſt eccleſia. Fundamentum enim nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Cum ergo omnes qui credunt per uniuerſam terram, immobiles ſunt in fide, fundata eſt terra: & tunc fit homo ad imaginem dei, quia illic figuratum eſt.

INT. Cum primo die angeli, ſexto homo creatus ſit, quomodo dominus ad Iob loquitur, quaſi ſimul angelum & hominẽ creauerit, dicit enim: Ecce Beemoth, quem feci tecum. RESP. GREG. Simul creati ſunt, nõ unitate temporis, ſed cognitione rationis. Scriptum nanq; de homine eſt: Faciamus hominẽ ad imaginẽ & ſimilitudinẽ noſtrã. Et per Ezechiel ad ſatan dicit: Tu ſignaculũ ſimilitudinis plenus ſapiẽtia, & perfectus decore in delitijs paradiſi dei fuiſti. In cuncta igitur creatura homo & angelus ſimul conditus extitit, quia ab omni creatura irrationabili diſtinctus proceſſit.

INT. Cũ poſt creationẽ Adæ ſpecialiter ſcriptura dicat: Immiſit deus ſoporẽ in Adã, & tulit unã de coſtis eius, & repleuit carnẽ ꝑ ea, & ædificauit deus coſtã quã tulerat de Adã in mulierem: quõ cõtra hoc tunc creata eſſe dicatur

dicatur mulier quando & uir,eadem ſcriptura dicente de ſexto die: Creauit deus hominem ad imaginem ſuam. Ad imaginem dei creauit illum, maſculum & fœminam fecit eos. Ecce in ſexto die necdum facta Eua deſcribitur,& iam homo maſculus & fœmina perhibetur. RESP. Quia ex Adæ latere erat proculdubio fœmina proceſſura, in illo iam tunc computata fuit per ſubſtantiam,à quo fuerat producenda per formam.

INT. Cum in Geneſi ſcriptum ſit: In ſeptimo die requieuit deus ab omni opere ſuo,quomodo econtra Chriſtus in Euangelio dicit, Pater meus uſq; nũc operatur,& ego operor? RESP. Requieuit die ſeptimo, quia deinceps nullam creaturam nouam fecit: uſq; nunc operatur, quia omnia ex eis facit,quæ in illis ſex diebus myſticis fecit:quia quæ tunc primordialiter condidit, nunc potentialiter adminiſtrata regit. Ergo requieuit à condendis generibus creaturæ,non autem ceſſauit ab opere regendi uel adminiſtrandi omnia quæ creauit.

INT. Cum dominus ad Noë dixerit: Erunt dies hominis CXX anni, quomodo contra hoc decretum multo plures annos poſtea homines uixiſſe reperiunt? Sicut Iacob interrogatus à Pharaone CXXX annos uitæ ſuæ ſe habere reſpondit. RESP. Non ſic accipiendum eſt,quaſi prænuntiatum ſit poſthac homines CXX annos uiuendo non tranſgredi, cum & poſt diluuium etiam quingentos exceſſiſſe inueniamus. Sed intelligendum eſt hoc deum dixiſſe,cum circa finem D annorum eſſet Noë,id eſt quadringentos octuaginta uitæ annos ageret, quos more ſuo ſcriptura quingentos uocat, nomine totius maximam partem plerunq; ſignificans. Sexcenteſimo quippe anno uitæ Noë, ſecundo menſe factum eſt diluuiũ, ac ſic CXX anni prædicti ſunt futuri uitæ hominum prætcritorum, quibus tranſactis diluuio delerentur.

INT. Cum in Geneſi deus ad Abraham dicat: Sciendo ſcies,quia peregrinum erit ſemen tuum in terra non ſua,& in ſeruitutem redigent eos,& affligent eos CCCC annis,quomodo econtra ſcribitur in Exodo: Habitatio filiorum Iſraël qua manſerunt in Ægypto fuit CCCC XXX annorum? RESP. Hæc duo ſi liquidius computentur, nec CCCC XXX annis, nec ſolum CCCC filij Iſraël in Ægypto ſub ſeruitute manſerunt, ſi tamen à die ipſo quo Iacob uel filij ſui Ægyptum ingreſſi ſunt, uſque ipſum ad ultimum diem quo inde Moyſe duce egreſſi ſunt ſupputentur. Nam manifeſtum eſt omnes annos quos Hebræi in Ægypto fecerunt ſecundum computationem Euſebij CXV eſſe. A prima tamen promiſſione Abrahæ,id eſt ab anno LXXV uitæ ſuæ uſque ad tempus illud quando Iacob Ægyptum cum filijs ingreſſus eſt,fuerunt anni CC XV Poſt ingreſſionem autem Iacob in Ægyptum uſq; ad tempus illud quo omnes filij Iſraël in ſignis & prodigijs de Ægypto egreſſi ſunt,compu

tantur fuiſſe anni CC XV qui in ſummã redacti fiunt CCCC XXX Vt ergo utraque à ſe non diſcrepent, ſi ſupputes à LXXV anno ætatis Abrahæ, quo ad eum prima die promiſſio facta eſt,uſq; ad exitum filiorũ Iſraël de terra Ægypti, CCCC XXX reperies. Si autem ab anno V natiuitatis Iſaac uſq; ad exitum filiorum Iſraël de terrã Ægypti annorum ſummã collegeris,ex quo paruulus ipſe Iſaac ſemen utiq; Abrahæ ab Iſma ele cœpit affligi, CCCC annos,ſecũdum quod dominus dixit, inuenies. Item Auguſtinus ſic:quod dictum eſt ad Abraham,Sciendo ſcies,quia pe regrinũ erit,& reliqua,de populo Iſraël, quierat in Ægypto ſeruiturus,aper tiſſime prophetatum eſt:non quod in eadem ſeruitute ſub Ægyptijs affli/ gentibus CCCC annos ille populus fuerat peracturus, ſed in ipſis CC CC annis prænunciatum eſt hoc futurum.Quemadmodũ enim ſcriptum eſt de Tara patre Abrahæ:Et fuerunt dies Taræ in Carra V & CC an ni:non quia ibi omnes acti ſunt, ſed quia ibi completi ſunt. Ita & hic pro/ pterea interpoſitũ eſt, & in ſeruitutẽ redigent eos,& affligent eos CCCC annis:quoniã iſte numerus in eadẽ afflictione cõpletus eſt, nõ quia ibi uni uerſus peractus eſt. CCCC ſanè dicunt anni propter numeri plenitudi nem, quãuis aliquanto amplius ſint, ſiue ex hoc tempore computent quo iſta promittebant Abrahæ:ſiue ex quo natus eſt Iſaac,propter ſemẽ Abra hæ,de quo iſta prædicunt.Cõputant ergo, ut ſupra diximus,à promiſſio/ ne Abrahæ uſq; ad exitũ Iſraël CCCC XXX, quorũ Apoſtolus ita me minit:Hoc autem dico,inquit,teſtamentũ confirmatũ à deo poſt CCCC & XXX annos facta lex non infirmata ad euacuandam promiſſionem. Iam ergo iſti CCCC XXX anni poterant nuncupari,quia nõ ſunt mul to amplius: quanto magis cum aliquot iam ex iſto numero præteriſſent, quando illa in uiſu demonſtrata & dicta ſunt Abrahæ.

INT. Cum in Geneſi de coniugio corporali prior illa ſententia à domi no prolata ſit,ubi mulierem ſubijci uiro uoluit,dicens:Ad ipſum erit cõuer/ ſio tua,& ipſe dominabitur tui:quomodo econtrario dominus Abrahæ lo quitur:Omnia quæcunq; dixerit tibi Sara,audi uocem eius? RESP. Pri ma illa utiq; ſententia de corporali coniugio à domino eſt prolata, ubi ob/ temperare uiro ſuo uxor iubet.Contra quã nihil hic contrarium dicit,quia non de corporali coniugio dictum eſſe uidetur:ſed Sara hic uxor quaſi pro uirtute animi ponitur,quam ſemper unuſquiſque uir audire præcipitur: id eſt, ut quodcunq; nobis uirtus animi ſuggeſſerit faciẽdum,per omnia à no bis,quaſi à uiris fortibus impleatur,manẽte illa ſententia de corporali con/ iugio,ut uxor ſemper ſubdita ſit uiro.

INT. Cum ante natiuitatẽ duorũ fratrũ Eſau & Iacob in Geneſi ſpiri/ tus dei pro ipſis dicat:Maior ſeruiet minori: quomodo iuxta ipſius libri hi ſtoriam minor maiorem adorauit,id eſt,quando Iacob minor de Meſopo tamia

tamia rediſt,Eſau maiorem fratrem ſuum adorauit? RESP. Hoc quod dictũ eſt,Maior ſeruiet minori,hiſtoriç ueritatem nõ impedit: ſed figurali ter illud ſpiritus dei prædixit,iuxta quod per Eſau populus Iudęorũ,per Ia cob Chriſtianus ſignatur.Et ideo contraria ſibi nõ ſunt,cũ iuxta hiſtoriam minor maiorem adorauit,& iuxta allegoriam maior minori deſeruit.

INT. Cum ſcriptum ſit, Erant omnia ualde bona, quomodo in lege quædam animalia uocantur immunda? RESP. Immunda appellata ſunt uſui,non creationi. Horum enim in cibum uſus pro quibuſdam figu-tis diuina interdictus lege cognoſcitur.

INT. Cum in Geneſi omnia ualde bona dicãtur,& in alijs ſubſequentibus multa bonitatis nomine cenſeat,Chriſtus quoq; in Euangelio & bonum hominem,& bonum ſeruum pronuntiat:cur idem dominus econtrario loquitur,Nemo bonus niſi ſolus deus? RESP. Omnia quæ ſcriptura bona pronuntiat, ſecundum ſe bona eſſe dubium non eſt: tamen ſi reſpiciamus ad bonitatem dei, nullus eorum pronunciabitur bonus, dicente domino: Nemo bonus niſi ſolus deus. Cuius intuitu etiam ipſi apoſtoli, qui electionis merito bonitatem generis humani multis exceſſerant modis, mali eſſe dicuntur, domino ad eos ita loquente: Si ergo uos cum ſitis mali,noſtis bona data dare filijs ueſtris,quanto magis pater ueſter, qui in cœlis eſt dabit bona petentibus ſe?

INT. Cum in Geneſi ſcriptum ſit,Fecit deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, quomodo propheta in Pſalmo LXX quaſi non ſit homo ad ſimilitudinem dei formatus dicit: Deus,quis ſimilis tibi? RESP. Aliud eſt ſi peruerſe quis uelit fieri ſimilis deo,id eſt per ſuperbiam,ſicut diabolus qui dixit: Ero ſimilis altiſſimo: & aliud ſi per obedientiã & ad impletionem præceptorum eius, ſimilitudinem dei in ſe reportet.Homo enim ſuadente diabolo, dum peruerſe uoluit fieri ſimilis deo, captiuus eſt ſub ſeductore ſuo.Ecce ipſe hic clamat,q ab illo ceciderat,& dicit:Deus, quis ſimilis tibi? quia in ipſo utiq; captiuo homine ſimilitudo dei perierat, cum per ſuperbiam deo eſſe ſimilis cupiebat. At uero ad ſuam nos deus ſimilitudinem facit,cum præceptis ſuis nos ammonet inhærere, cũ tales nos uult fieri ſicũt ipſe eſt,cum per ſcripturam ſuam clamat:Sancti eſtote,quia & ego ſanctus ſum.Nam etiam cum dicit:Diligite inimicos ueſtros, orate pro eis qui uos perſequuntur,benefacite ijs qui oderunt uos: ad ſimilitudinem ſuam nos hortatur. Denique quid adiungit? Vt ſitis filij patris ueſtri qui in cœlis eſt.Quid enim? ipſe facit hoc? facit certe, quia ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos,& pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Qui ergo bene uult inimico ſuo,deo ſimilis eſt:nec iſta ſuperbia, ſed obedientia eſt. Quare? quia ad imaginem dei facti ſumus. Ergo quiſquis uult ita eſſe ſimilis deo,ut ad illũ ſtet, fortitudinem ſuam, ſicut ſcriptum eſt, ab illo cuſtodiat:

non ab illo recedat, ei cohęrendo ſignetur tanquam ex annulo cera: uere cu ſtodiet imaginem ad quam factus eſt. Porro autem ſi peruerſe uoluerit imitari deum, ut quomodo deus non habet à quo regatur, ſic ipſe uelit ſua poteſtate uti: quid reſtat, niſi ut recedens ab eius colore torpeſcat, etiam quodammodo alienus redditus ab imagine dei, quaſi captiuus clamet: Domine quis ſimilis tibi? Tanquam ſi diceretur, Ecce ego uolui eſſe peruerſe ſimilis tibi, & factus ſum ſimilis pecori: nam ſub tua dominatione uere tibi ſimilis eram, ſed homo in honore poſitus non intellexi, comparatus ſum iumentis inſenſatis, & ſimilis factus ſum illis. Iam ergo hic non in ſimilitudinem dei poſitus, ſed in ſimilitudine iumentorum conſtitutus, clamat cum dicit: Deus, quis ſimilis tibi?

INT. Cum in Geneſi quando deus hominem fecit tantum ſimpliciter referatur, Fecit deus hominē de limo terræ, quomodo Pſalmiſta dicit, Manus tuæ fecerunt me & plaſmauerunt me? RESP. AVGVST. Cur inquit, quibuſdam uiſum fuerit uerbo deum feciſſe cætera, hominem uero uelut aliquid præcipuum feciſſe manibus ſuis, non uideo: niſi forte quia ex puluere formatum legitur hominis corpus, non potuiſſe fieri niſi manibus arbitrantur: nec attendunt quod in Euangelio de uerbo dei ſcriptum eſt, Omnia per ipſum facta ſunt, non poſſe conſtare, ſi non per uerbum factum eſt etiam corpus humanum. Sed adhibent teſtimonium Pſalmi, & dicunt: Ecce ubi apertiſſime clamat homo, Manus tuæ fecerunt me & plaſmauerunt me: quaſi non etiam aperte dictum ſit, Videbo cœlos opera digitorum tuorum. Et illud: Et opera manuum tuarum ſunt cœli. Multóque apertius, Et aridam terram manus eius finxerunt. Manus ergo ſunt poteſtas dei. Aut ſi pluralis numerus eos mouet, quia non dictum eſt, manus tua, ſed, manus tuæ: accipiant manus dei uirtutem, & ſapientiam dei quæ utraque, unus dictus eſt Chriſtus: qui etiam intelligitur brachium domini, ubi legitur, Et brachium domini cui reuelatum eſt. Aut accipiant manus dei filium & ſpiritum ſanctum, quia & ſpiritus ſanctus cooperator eſt patris & filij. Vnde & Apoſtolus: Omnia hæc operatur unus atque idem ſpiritus. Propterea quippe unus dixit, ne tot ſpiritus quot opera putarentur, non quod ſine patre & filio ſpiritus operetur.

INT. Cum deus autor uel creator mali non ſit, dicente ſcriptura, quod creauerit omnia bona ualde, quomodo ipſe dominus loquitur per Eſaiam quaſi econtrario, dicens: Ego dominus, & non eſt alter, formans lucem & creans tenebras, faciens pacem, & creans mala? RESP. Bonus deus ſecundum quod in Geneſi legitur, bona cuncta creauit. Mala autem quæ ſe creare dixit, non ſimiliter per naturam ſe creare perhibuit: neque enim mala, quæ nulla ſua natura ſubſiſtūt, à deo creantur. Sed creare ſe mala dominus indicat, cum res bene conditas nobis male agentibus in flagellum for

mat,

mat: ut ea ipſa & per dolorem quo feriuntur, delinquentibus mala ſint, & per naturam qua exiſtunt, bona. Vnde & uenenum mors quidem eſt homini, ſed uita ſerpenti. Bene itaque dicitur, Formans lucem, & creans tenebras: quia cum per flagella exterius doloris tenebræ creantur, intus per eruditionem lux mentis accenditur. Faciens pacem, & creans mala, quia tunc nobis pax cum deo redditur, cum hæc quæ bene ſunt condita, ſed non bene concupita, in ea quæ nobis mala ſunt flagella uertuntur. Per culpam quippe deo diſcordes exiſtimus: dignũ ergo eſt, ut ad pacem illius per flagella redeamus: ut cum unaquæq; res bene condita nobis in dolorem uertitur, correcti mens ad autoris pacem humiliter reformetur. 1

INT. Quomodo promiſſum ſit Abrahæ quarta generatione exire filios Iſraël de terra Ægypti, cum Moſes dicat quinta progenie exierunt filij Iſraël de Ægypto. RESP. Si quartã generationẽ cõputes, de Leui tribu eam numerare incipies, ſi quintã de Iudę, replica ergo genealogiã Leui. Leui genuit Caat, Caat genuit Amram, Amram genuit Aaron, Aaron genuit Eleazar, Eleazar genuit Finees. Caat cum patre ſuo Leui ingreſſus eſt Ægyptum. Rurſum Eleazar cum patre ſuo Aaron egreſſus eſt Ægypto. A Caat uſq; Eleazar generationes ſunt IIII. Si ergo uis oſtendere, quomodo ſecũdum Exodum quinta generatione egreſſi ſunt filij Iſraël de terra Ægypti, tribus tibi Iudæ ordo numeretur. Iuda enim genuit Fares, Fares Eſrom, Eſrom Aran, Aran Aminadab, Aminadab Naaſon, Naaſon Salmon. Fares enim cũ patre ſuo Iuda ingreſſus eſt Ægyptũ, Naaſon princeps tribus Iuda in deſerto deſcribitur, cuius filius Salmon terram repromiſſionis introiuit. A Fares ergo uſq; ad Naaſon generationes ſunt V. quamuis nonnulli in Eſrom initium faciant, & ad Salmon perueniant. Similiter & ab Amram uſq; ad Finees. Hæc Hieronymus. 2

INT. Cũ in Geneſi Iacob deũ ſe uidiſſe teſtet', quomodo Ioannes Euãgeliſta dicit: Deũ nemo uidit unquã. Iob etiã ſibi cõcordãte, q ait: Dei ſapientia abſcõdita eſt ab oculis omniũ uiuentiũ. RESP. Vidit quippe Iacob deũ, q ait: Vidi deũ facie ad faciẽ. Vidit Moſes deũ, de q̃ ſcriptũ eſt: Loquebat' dominus ad Moſen facie ad faciẽ, &c. Vidit & Iob dominũ, quia dixit: Nũc aũt oculus meus uidet te. Vidit Eſaias dominũ, q ait: Vidi dominũ ſedentẽ ſuper ſoliũ excelſum & eleuatũ. Vidit & Micheas dominũ, qui ait: Vidi dominũ ſup ſoliũ ſuũ. Quid eſt ergo, q̃d tot Teſtamẽti ueteris patres deũ ſe uidiſſe teſtati ſunt, & tamẽ de hac ſapiẽtia quæ deus eſt dicit': Abſcõdita ab oculis omniũ uiuẽtium. Et Ioannes ait: Deũ nemo uidit unquã, niſi hoc quod patẽter dat' intelligi: quia quãdiu hic mortaliter uiuit', uideri per quaſdã imagines deus põt: ſed per ipſam naturæ ſuæ ſpeciẽ nõ põt: ut anima gratia ſpiritus afflata, per figuras quaſdã deũ uideat, ſed ad ipſam eius eſſentiã nõ pertingat. Hinc eſt enim, quod Iacob qui deũ ſe uidiſſe teſtatur,

hunc nō niſi in angelo uidit. Hinc quod Moſes, qui cū deo facie ad faciē lo-quit̃, in ipſo uerbo ſuę locutionis dicit: Si inueni gratiā in cōſpectu tuo, oſtē de mihi teipſum. Certe enim ſi deus nō erat cū quo loquebat̃, oſtēde mihi deū diceret, & nō oſtende temetipſum. Si aūt deus erat cū quo loquebatur, cur petebat uidere quem uidebat? Sed ex hac eius petitione colligitur, quia eum ſitiebat per incircūſcriptam naturæ ſuæ claritatē cernere, quē cœperat per quaſdam imagines uidere. Et uiderunt ergo ij dominum, & tamen Ioannis uoce, Deum nemo uidit unquam: quia in hac mortali carne cōſiſtentibus uideri potuit per quaſdam circumſcriptas imagines, & uideri non poteſt per incircumſcriptum lumen æternitatis. Sin uero à quibuſdam poteſt in hac adhuc corruptibili carne uiuentibus ſanctis quodam contemplationis acumine uideri, hoc quoque à beati Iob ſententia quam protulimus non abhorret, nec illa Euangeliſtæ Ioannis, Deum nemo uidit unquam: quoniam quiſquis ſapientiam quæ deus eſt, uidet, huic uitæ funditus moritur, ne iam eius amore teneatur: nullus quippe eum uidet qui adhuc carnaliter uiuit, quia nemo poteſt amplecti deum ſimul & ſeculum. Qui enim deum uidet, eo ipſo moritur, quo uel intentione cordis, uel affectu operis ab huius uitæ delectationibus tota mente ſeparatur.

INT. Cum inter cæteros patriarchas & prophetas Chriſti pollicentes aduentum, Iacob ſpecialiter de Chriſti incarnatione, & gentium uocatione prædicet, dicens: Non deficiet princeps de Iuda, nec dux de fœmoribus eius, donec ueniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium: quomodo Paulus in epiſtola ad Epheſios pro eodem ſacramento incarnationis Chriſti dicit: Alijs generationibus non fuit notum filijs hominum, ſicut nunc reuelatum eſt ſanctis eius apoſtolis & prophetis in ſpiritu eſſe gentes cohæredes, & concorporales, & comparticipes promiſſionis in Chriſto per Euangelium. RESP. Aut illud eſt reſpondendum, quia caute Paulus ſignanterq́ teſtatur ſic filijs hominum ignotum fuiſſe myſterium, non filijs dei, ad quos dicitur: Ego dixi dij eſtis: quod ſcilicet ij qui ſpiritum adoptionis acceperint, de quibus patriarchæ & prophetæ fuerint, dei ſcierunt ſacramentum. Aut notandum non definite & generaliter dixiſſe Paulum, alijs generationibus ignotum fuiſſe omnino domini ſacramentum: ſed ſic, quomodo nunc reuelatum eſt ſanctis eius & apoſtolis, neſciſſe patriarchas ueteres & prophetas. Aliud eſt enim in ſpiritu uentura cognoſcere, aliud ea cernere opere cōpleta. Vnde & Ioannes propterea maior prophetis omnibus dicitur, quia quem cæteri prophetauerunt, ipſe cōſpexerit, & digito demonſtrarit. Hoc etiam ſentiendum in eo, quia idem Apoſtolus in eadem Epiſtola hoc myſterium non ſolum gentibus, ſed & principatibus & poteſtatibus per eccleſiā manifeſtatū docet: propter quod idem doctor exequitur, dicens; Si principatibus & poteſtatibus in cœlis ignota fuit multiplex

ſapientia dei,quæ nuncijs per eccleſiã reuelata eſt:quãto magis patriarchis & prophetis ignota fuit,quos ſupra non ignoraſſe myſterium Chriſti, ſed ita ut apoſtolos neſciſſe monſtrauimus. Multiplex quippe ſapientia dei, per eccleſiam dei nunc & principatibus & poteſtatibus reuelata eſt, quam olim deus futuram in ſua mente decreuerat, & nunc eſſe perfectum ex eo quod uidemus cognoſcimus. Crux itaq; Chriſti non ſolum nobis, ſed & angelis cunctisq; in cœlo uirtutibus profuit,& aperuit ſacramentum, quia antea neſciebant.Hæc Hieronymus.

INT. Cum in libro Geneſi uel in alijs locis ſcripturarum Iſraëlitico populo prohibitum ſit à deo,ne ſanguinem comederent,ſpecialiter tamen in libro Leuitici ubi dominus dicit: Dixi filijs Iſraël, ſanguinem uniuerſæ carnis non comedetis: quomodo in libro Numeri econtrario de ipſo eodemq; populo Iſraëlitico ſcribitur,Non dormiet donec comedat prędam, & ſanguinem uulneratorum bibat. RESP. Dicant nunc Iudæi, Quis eſt iſte populus, qui in uſum habet ſanguinem bibere? Hæc quippe erant quæ in Euangelio audientes ſcandalizati ſunt,& dixerũt:Quis poteſt man ducare carnem,& ſanguinem bibere?Sed populus Chriſtianus audit hęc, & amplectitur,& ſequitur eum qui dicit: Niſi manducaueritis carnem meam,& biberitis ſanguinem meum,non habebitis uitam in uobis ipſis:quia caro mea uere cibus eſt,& ſanguis meus uere potus eſt.Et utiq; quia hæc di cebat,uulneratus eſt pro peccatis noſtris,ſicut Eſaias dicit.Bibere autem di cimus ſanguinem Chriſti non ſolum ſacramentorum ritu, ſed & cũ ſermones eius recipimus in quibus uita cõſiſtit,ſicut & ipſe dicit: Verba quæ ego locutus ſum,ſpiritus & uita ſunt.Eſt ergo ipſe uulneratus,cuius nos ſanguinem bibimus, id eſt doctrinæ eius uerba ſuſcipimus. Sed & illi nihilominus uulnerati ſunt,qui nobis uerbum eius prædicauerũt: & ipſorum enim, id eſt apoſtolorum eius uerba cum legimus, & uitam ex eis conſequimur, uulneratorum ſanguinem bibimus.

INT. Cum in Geneſi uel Exodo LXX tantum animæ cum Iacob Ægyptum ſcribantur ingreſſæ, quomodo in Actibus apoſtolorũ introiſſe in Ægyptum cũ Iacob LXXV animæ referuntur? RESP. Conſtat in Ægyptum cum Ioſeph Efraim & Manaſſe LXX tantum animas introiſſe,ubi LXXV animarum numerus refertur: quaſi pro anticipatione etiam filios nepotesq; Efraim & Manaſſe enumerandos putauit, quos po ſtea in Ægypto natos diuina relatio lectionis oſtendit.

INT. Cum munda & immunda animalia diuina per Moſen lege diſcreta ſint, quomodo etiam ante diluuium de his quæ in arca recipienda erant,immunda appellantur animalia. RESP. Moſes inſpirante ſan cto ſpiritu pentateuchi ſcriptor & conditor eſt.Et quia in Leuitico de mundis immundisq; animalibus erat proferẽda diſcretio,etiam in Geneſi,quia utriuſq;

utriuſq; libri idem autor eſt,eadem animalia appellauit immunda.

INT. Cum in Exodo dominus nomen ſuum Moſi indicaſſet, dicens: Hæc dices filijs Iſraël,qui eſt, miſit me ad uos: quomodo in ſubſequẽtibus aliud ſibi nomen eſſe, quaſi econtrario indicat,dicens: Vade dic filijs,deus Abraham,& deus Iſaac,& deus Iacob miſit me ad uos, hoc mihi nomẽ eſt in æternũ. RESP. AVGVST. Hęc duo didicimus,diſtinguente Auguſtino,unum ad diuinitatis pertinere naturã, aliud humanitatem aſſumptam. Quod enim dixit deus Moſi: Ego ſum qui ſum, & qui eſt miſit me ad uos,diuinitatis ſubſtantiam ſignat.Quia autẽ dicit,ego ſum deus Abraham,& deus Iſaac,& deus Iacob,myſteriũ ſuſceptę incarnationis inſinuat: quia de illis ſecundum carnem generatus agnoſceretur, quorũ nomina ſub ſacramento hic poſuiſſe cognoſcitur.

INT. Cum in Exodo inter decem præcepta quæ data ſunt quartum præceptum reperiatur eſſe,Honora patrem tuũ & matrem tuam: quomodo Chriſtus in Euangelio econtra dicit, Honora patrem tuum & matrem, quod eſt mandatum primum. RESP. Duæ tabulæ fuerunt in quibus Moſes decem pręcepta ſcripta accepit:de ipſis quoq; decem præceptis tria quæ in capite ponuntur pertinent ad dilectionem diuinę trinitatis,ſeptem uero reliqua ad dilectionẽ pertinent proximi.Tria ergo illa ad dei dilectionem pertinẽtia,id eſt,Dominus deus tuus deus unus eſt, &: Non aſſumes nomen dei tui inuanum,& ut dies ſabbati ſanctificetur.Hæc tria in una tabula fuerunt ſcripta.In ſecũda uero tabula ſeptem reliqua præcepta ſcripta ſunt. Et ideo honora patrem tuũ & matrem inter ſeptem præcepta primũ mandatum ſcriptum eſt. Si autem tota decem præcepta in unum computes,quartum hoc pręceptum inter decem inuenies.A parentibus enim ſuis homo aperit oculos,& hæc uita ab eorum dilectione ſumet exordium: inde hoc mandatũ primũ eſt inter ſeptem.Sed quomodo primũ,quia quartum,niſi ut dictũ eſt, quia primũ eſt in altera tabula:uel quia decem præcepta primitus data ſunt,poteſt unũquodq; ex illis appellari primũ mãdatũ.

INT. Quomodo in Exodo ſcribitur: Qui reddis iniquitatem patrũ in filijs ac nepotibus,cum ecõtra in Ezechiel dicatur: Quid eſt quod inter uos parabolam uertitis in prouerbium iſtud in terra Iſraël,dicentes:Patres comederunt uuam acerbam,& dentes filiorum ſtupuerũt? Viuo ego dicit dominus deus, ſi erit ultra uobis parabola hæc in prouerbium in Iſraël, ecce omnes animæ meæ ſunt,ut anima patris,ita & anima filij mea eſt: anima quæ peccauerit, ipſa punietur. RESP. Reddunť peccata patrũ in filijs, dum pro culpa parentis ex originali peccato anima polluitur prolis: & rurſum nõ redduntť parentũ peccata in filijs,quia cũ ab originalis culpa per baptiſmũ liberamur,nõ iã parẽtũ culpas, ſed quas ipſi cõmittimus habemus.

INT. Cum in Exodo dominus Moſi præcipiat, dicens: Solue calceamentum

mentum de pedibus tuis, locus enim in quo ſtas terra ſancta eſt: quomodo in eodem libro ueſcentibus paſcha præcipitur, Manducabitis illud lumbis ueſtris accinctis, & calceamenta ueſtra in pedibus ueſtris. Necnon & Paulus ad Epheſios calceatos pedes eſſe præcipit, in præparatione Euãgelij pacis. RESP. Si & perfectis calceamenta non eſſe neceſſaria, & imperfectis adhuc neceſſaria eſſe accipiamus, non erit forte contrarium, quod pro diuerſitate meritorũ eſt inſtitutum. Perfectiores etenim ſunt, qui ſicut Moſes & Ieſus deum iam uidere merẽtur, quàm hi qui ad ipſam uiſionem tendunt, & adhuc in uia poſiti, agnum in paſcha calceatis pedibus manducare iubentur. His ergo forſitan adhuc calceamenta ſunt neceſſaria, quibus in uia domini currentibus utilia eſſe iudicantur bonorum patrum exempla. Quid enim pedes noſtri niſi opera, quid uero calceamenta, niſi pelles mortuorum animalium? Calceamenta autem pedes muniunt: quæ uero ſunt mortua animalia ex quorum pellibus noſtri muniuntur pedes, niſi antiqui patres qui nos ad æternam patriam præceſſerunt? quorũ dum exempla perſpicimus, noſtri operis pedes munimus. Calceamenta uero in pedibus habere, eſt mortuorum uitam conſpicere, æterna ueſtigia à peccati uulnere cuſtodire: ut muniti eorũ exemplo uaſtam huius ſeculi eremũ tranſeamus, quamdiu deum facie ad faciem uideamus. Ergo iam ad dominũ perfecte uenientibus non erunt forte neceſſaria hæc calceamenta: quia uidelicet non ibi erunt forte neceſſaria patrum exempla, ubi deus eſt uidentibus ſe in omnibus plena notitia: quia ſi etiam calceamenta propter uitia accipiuntur, non hoc erit contrarium, cum nullus uidere deum poſſit, niſi qui terrena & mortalia uitia depoſuerit. Qui ergo adhuc ambulat, calcietur: qui uero iam Iordane trãſmiſſo terram repromiſſionis intrauit, nudet pedem, ſoluat calceamentum, locus enim in quo ſtat terra ſancta eſt. Si quis nõ eſt Ieſus Naue, nec apoſtolus, calciet pedes ſuos in præparatione Euangelij pacis. Siquis autem apoſtolus eſt, & inter duodecim enumerari poteſt, nequaquam tollat in uia calceamentum ſuum, nec ad ſcorpiones & colubros declinandos calcaneum tegat: ſed iam conſummatus atque perfectus, in terra ſancta uiuat in Chriſto, & ſequatur agnum quocunq; uadit.

INT. Cum dominus in Exodo honorantibus parentes ſuos longæuitatem uitæ promiſerit, dicens: Honora patrem tuum & matrem, ut bene ſit tibi, & ſis longæuus ſuper terram, quomodo Dauid hanc ipſam longæuitatem uitæ paruipẽderit, dicens: Heu me quia incolatus meus prolongatus eſt. Necnõ & Salomon mortẽ potius q̃ uitã amplectat̃, dicẽs: Laudaui omnes mortuos, qui olim mortui ſunt, ſuper uiuentes. Et Hieremias: Maledicta dies in qua natus ſum: præſertim cũ multos fuiſſe credamus, q & parẽtibus obſequẽtes, cito mortui ſint, & erga parẽtes impij, uſq; ad extremam uenerint ſenectutẽ. RES. Reſpõdeãt Iudæi & ſimiles Iudæorũ, ſi uitæ iſtius longi-

longitudo eſt in promiſſis, & diu in corpore commorari felicitas eſt: quid ſibi uult illud, quia incolatum uitæ ſuæ prolongatũ Dauid gemit? Si enim ſecundum Salomonem laudantur ſuper uiuos mortui, & iuxta Hieremiã maledicta eſt dies in qua naſcimur, quomodo nũc repromittitur honoran tibus patrem & matrem, quia longæui ſunt ſuper terram, quam dominus deus ſuus dederit eis? Quęrẽda eſt ergo terra quã dominus deus promittit & tribuit ijs, qui ſpiritualem Ægyptum reliquerint, & cum omnipotentia magna & terribilia uitæ iſtius deſerta tranſierint, ij utiq; poſſidebunt terrã quæ manſuetis eſt præparata. Beati quippe mites, quoniã ipſi poſſidebunt terram, quæ uera eſt terra uiuentium, iuxta illud: Credo uidere bona domi ni in terra uiuentium.

INT. Cum in Leuitico dominus præcipiat, dicens: Ne cõtaminetur ſa cerdos in mortibus ciuium ſuorum, niſi tantũ in ſanguineis ac propinquis ſuis, id eſt ſuper patre & matre, & filio ac filia, fratre quoq; & ſorore, uirgi ne quæ non eſt nupta uiro, ſed nec in principe populi ſui contaminabitur. Quomodo poſt paulum econtra uidetur dicere: pontifex, id eſt ſacerdos maximus ad hominem mortuum non ingredietur omnino, ſuper patre quoque ſuo & matre non contaminabitur? RESP. Vnum ex his mi noribus ſacerdotibus præcepit, ubi nõ iubentur ingredi ad quemlibet mor tuum, niſi ad eos cognatos & propinquos de quibus ſupra dictum eſt. Sa cerdos autem magnus, id eſt pontifex plus aliquid habebat à cæteris ſacer dotibus, & ob hoc quia nec pietate illũ, nec affectu flecti opportebat, ideo præceptum eſt illi ne immundus fieret in ſupradictis nominibus, & ab o mni mortuo generaliter ſuum cohiberet affectũ. Illud ergo quod primum eſt poſitum de minori ſacerdotum gradu, hoc uero quod ſequitur de ſolo magno ſacerdote accipi debet.

INT. Cum dominus in libro Leuitici præcipiat, dicens: Memento ut diem ſabbati ſanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, ſeptima autem die ſabbata domini dei ſunt. Quomodo per Eſaiam econ trario dicit: Sabbata ueſtra odiuit anima mea? RESP. Sabbatum re quies interpretat̃, quod Iſraëlitæ ſpiritualiter in munere acceperunt, ut hac ſignificatione nullo in hac uita terrenorum deſideriorum appetitu fatiga rentur: quod tamen Iudæorum ille populus non intelligens dominum ſpi ritualiter præcepiſſe, conſumebant ſabbata in luxurijs, & ebrietate, & come ſatione. Vnde talia ſabbata odiſſe dominus dicit, quia nõ ſunt illa quæ de us ſpiritualiter pręcepit, ſed quę ſibi populus carnaliter elegit. Nam de illis dixit: Sabbata mea profanaſtis. Vnde agnoſcimus ſabbatum temporale humanum eſſe, ſabbatum autem diuinum, illud æternum eſſe, de quo per Eſaiam dicitur: Et erit menſis ex menſe, & ſabbatum ex ſabbato. Ergo cum dicit, Sabbata ueſtra odit anima mea, non prioris præcepti immutat oracu lum,

lum,ſed ſabbatum ipſum redarguit à carnali populo uitiatum.

INT. Cum in libro Leuitici iubente domino inſtituta ſit uictimarum oblatio,quomodo Eſaias ex uoce domini econtrario loquitur,dicens: Quò mihi multitudinem uictimarum ueſtrarum dicit dominus, plenus ſum holocauſtis arietum, & adipe pinguium, & ſanguinem uitulorũ & agnorum nolui. RESP. Hoſtiæ & immolatio uictimarum nõ principaliter à deo quæſita ſunt, ſed ne idolis fierent, & ut à carnalibus uictimis quaſi per typum & imaginẽ ad ſpirituales hoſtias tranſiremus. Dicendo autem ſe hoſtiam nõ quæſiſſe,oſtendit quia lex ſpiritualis eſt, & omnia quæ Iudæi carnaliter faciunt,à nobis impleri ſpiritualiter.

INT. Cum in Leuitico dominus fermentum penitus abiecerit de ſacrificijs,dicens: Omnis oblatio quæ offertur domino,abſq; fermento fiet, nec quicquam fermenti ac mellis adolebitur in ſacrificio domini: quomodo in ſubſequentibus ſuper panes fermentatos ſacrificiũ iubet imponi? RESP. Diligentius intuere quia non ad ſacrificium, ſed ad miniſteriũ ſacrificij fermentatus panis aſſumitur. Quid ergo hoc ſit uideamus. Dominus in Euãgelijs humanã doctrinã phariſæorũ, qui tradebant traditiones, præcepta hominũ,fermentũ appellat,cũ dicit diſcipulis: Obſeruate à fermento phariſæorũ: ſimiliter ergo humana doctrina eſt. Verbi cauſa,grãmatica ars, uel rhetorica, uel etiã dialectica: ex qua doctrina ad ſacrificiũ qdẽ,hoc eſt ĩ his q̃ de deo ſentiẽda ſunt,nil ſuſcipiendũ eſt. Sermo uero lucidus & eloquẽtię ſplendor ac diſputandi ratio ad miniſteriũ uerbi dei decẽter iubet̃ admitti.

INT. Quomodo legi præcipienti, Diliges proximũ tuum, & odio habebis inimicum tuum, non eſt cõtrarium quod Chriſtus dicit, Diligite inimicos ueſtros? RESP. Vnuſquiſq; homo inquantum iniquus eſt,odio habendus eſt: inquantum homo eſt,diligendus eſt. Hæc inquã regula eſt, qua & oderimus inimicum propter id quod in eo malum eſt,id eſt iniquitatem: & diligamus inimicum propter id quod in eo bonum eſt, id eſt ſocialem rationalemq; creaturam.

INT. Cum dominus in Leuitico per Moſen,pontificem ordinans duabus tunicis ueſtiendum præceperit,quomodo Chriſtus in Euangelio econtrario ſacerdotes ſuos & apoſtolos duas tunicas habere prohibuit? RES. Quod præcepit Ieſus duas tunicas non habendas,nõ eſt contrariũ legi,ſed perfectius lege: ſicut & cum lex homicidium uetat, Ieſus autem etiã iracundiam reſecat: & cum lex prohibet adulterium, Ieſus etiam cõcupiſcentiam cordis abſcidit. Sic ergo uidebitur & duabus ibi tunicis pontificem,hic una apoſtolos induiſſe. Siquidẽ etiã ſenſus probabilis ſibi uidetur: ego tamen non intra huius intelligentiæ anguſtiam pontificalia ſacramẽta concludo, amplius mihi aliquid ex iſta forma uidetur oſtendi. Pontifex eſt,qui ſcientiã legis tenet, & uniuſcuiuſq; myſterij intelligit rationes, ut breuiter expli-

cem,qui legem & ſecundum ſpiritum & ſecũdum literam nouit. Sciebat ergo pontifex ille quem tunc ordinabat Moſes,quia eſſet circuncíſio ſpiritualis:ſeruabat tamen & circũciſionem carnis, quia incircunciſus pontifex eſſe non poterat. Habebat ergo iſte duas tunicas,unam myſterij carnalis, & aliam intelligẽtiæ ſpiritualis:ſciebat quia & ſacrificia ſpiritualia offerri debent deo,offerebat tamen nihilominus & carnalia: non enim poterat eſſe pontifex,qui tũc erat, niſi hoſtias immolaret. Ita ergo conuenienter ille pontifex duabus indutus tunicis dicitur:apoſtoli uero qui dicturi erant,quia ſi circũcidamini, Chriſtus uobis nihil proderit: & qui dicturi erant, quia nemo uos iudicet in cibo aut in potu,aut in parte diei feſti,aut neomeniç,aut ſabbatorum,quæ ſunt umbra futurorum. Iſti ergo cũ huiuſmodi ſecundum literam legis obſeruantiã penitus repudiarent,nec occuparent diſcipulos Iudaicis fabulis,& imponerent eis iugum quod neq; ipſi, neq; patres eorum portare potuerunt,merito duas tunicas habere prohibentur,ſed ſufficit eis una & hæc interior:nam iſtã quæ foris eſt,& quæ deſuper apparet, legis tunicam nolunt,unam nanq; eis Ieſus, & ipſam interiorem habere permittit.

INT. Cũ in libro Numeri ſcriptũ ſit: Nõ eſt deus quaſi homo ut mẽtiatur,nec ut filius hominis ut mutetur: necnon & illud per Ezechielẽ: Verbũ quod locutus fuero implebitur, dicit dominus deus: quomodo econtrario plerunq; deus uidetur mutare ſentẽtiam ſuam, ſicut in Niniuitis factũ eſt, quando per Ionã dixit,Quadraginta dies,& Niniue ſubuerteť: ubi ſtatim ſubſequiť,nũquid & ego nõ parcã Niniue ciuitati magnæ? Et de Dauid in Regũ, ubi tribus diebus promiſſa fuerat mors,ut uaſtaret populũ,& intra unã diẽ uſq; ad horã prandij ceſſauit. RESP. Fortaſſe hæc quæ per interrogationẽ dicunť,nõ penitus pro definito accipienda ſint:ſed talis quædam figura uerbi ſit,quæ mediũ aliquid uideatur oſtendere, non tamẽ definitæ & irreuocabilis ſententiæ declaret affectũ:quo temperantius aliquid dictũ uideať,in eo quod ſcriptum eſt, ipſe cũ dixerit,nõ faciet? q̃ ſi ſcriptũ eſſet,ipſe cũ dixerit omnimodis faciet. Sed recenſeamus & ipſa ſcripturæ loca, quæ uel in Iona,uel in Regum libris poſita ſunt,ne forte & ibi, ut moris eſt ſcripturæ, diuini ſecreti aliquid habeat ſcriptũ. Ergo in Iona:Et factum eſt uerbum domini ad Ionam ſecundo,dicens:Surge, uade in Niniue ciuitatem magnam,& prædica in ea ſecũdum prædicationem quam ego locutus ſum ad te. Et Ionas quidem prædicauit,& dixit:Adhuc tres dies, uel ut Hebræi ſcriptũ habere ſe dicũt,adhuc quadraginta dies,& Niniue deſtruetur. Viri aũt Niniuitæ crediderũt deo, & prædicauerũt ieiuniũ, & induerũt ſe cilicijs à minimo uſq; ad maiorẽ ipſorũ. Et poſt pauca, Et uidit, inquit, deus opera eorũ quia conuerſi ſunt à uijs ſuis malis, & pœnituit ſuper malitiã quã locutus eſt facere eis,& non fecit. Obſerua igitur in his quæ aſſumpſimus de propheta,quod nõ inuenitur in ſermonibus dei,quibus ad pro-

phetam

phetam locutus eſt dictum, quia adhuc tres dies & Niniue ſubuertetur, ut ſermo iſte qui dictus eſt, & non eſt factus ab Iona potius quàm à deo prolatus eſſe uideatur. Sed & de ſecũdo regnorum libro proferamus quæ ſcripta ſunt, ubi cum Dauid populum numeraſſet, factum eſt, inquit, uerbum domini ad Gad prophetam uidentem, dicẽs: Vade, & loquere ad Dauid: Hęc dicit dominus, tria ego leuabo ſuper te, elige tibi unum ex his quod faciam tibi. Et introiuit Gad ad Dauid, & denuntiauit ei, dicẽs: Aut ueniet tibi tribus annis fames ſuper terram tuam, aut tribus menſibus ut fugias ante inimicos tuos, q te perſequunť, aut triduo ut mors fiat in terra tua. Nũc ergo ſcito, & uide quid reſpõdeam ei qui miſit me. Et dixit Dauid ad Gad: Anguſtiæ mihi undiq;, ſed incidã in manus domini magis, quia multæ miſerationes eius ſunt, & in manus hominum nõ incidam. Et dedit dominus in Iſraël mortem à mane uſq; ad horam prandij, & mortui ſunt de populo ex Dan uſq; Berſabee LXX milia uirorum. Et extendit angelus domini manum ſuam in Hieruſalem, ut corrumperet eam. Et deprecatus eſt dominus ſuper malitiam, & ait ad angelum qui exterminabat populũ: Satis eſt, remitte manum tuam. Obſerua ergo, quomodo nec in his tribus comminationibus deus inuenitur dixiſſe de morte trium dierũ. In uerbo enim Gad poſitum eſt, non in mandatis domini: & non ſemper ea quæ per prophetã dicuntur, quaſi à deo dicta ſuſcipiantur. Deniq; per Moſen multa quidem locutus eſt deus, aliqua tamẽ & Moſes propria autoritate mandauit: quod dominus in Euangelijs euidenti diſtinctione ſecernit, cum de repudio mulieris interrogatur: quia ad duritiam cordis ueſtri ſcripſit uobis hęc Moſes, ab initio autem non fuit ſic. Vides ergo & hic deum quidem nõ præcepiſſe, nec fieri uoluiſſe diuortium, Moſen uero propter duritiam cordis Iudæorum ſcripſiſſe dandum eſſe repudium. Oſtẽdit hæc & Paulus in literis ſuis, cum dicit de quibuſdam: Dominus dicit, & non ego. Et de alijs: Hæc autem ego dico, non dominus. Et iterum in alijs: Præceptum domini non habeo, ſed conſilium do. Et iterum: Quæ loquor, non loquor ſecũdum dominum. Vnde ſimiliter etiam in cæteris prophetis, aliqua quidem dominus locutus eſt & non prophetæ, alia uero prophetæ & non dominus: & ſic uidebitur obiectio intenta diſſolui, cum non tam ſua quàm prophetæ uerba dominus reuocat ac mutat in melius. Sed magis arbitror abſolutionem priorem totius ſcripturæ ſenſibus conuenire, ex illis præcipue dictis, quibus patiens & multæ miſericordię & pœnitens ſuper malitias dicitur deus, uel his maxime quæ generaliter ab Hieremia pronuntiantur: in quibus euidenter oſtẽditur, pro multis miſerationibus & incõprehẽſibili bonitate ſua deus, dicere & non facere, loqui & nõ permanere. Ait ergo per Hieremiam deus: In finem loquar, hoc eſt ex definito loquar ſuper gentem & ſuper regnum, ut auferam eos & diſperdam. Et ſi conuertatur gens illa à malitijs ſuis, pœ-

nitebo de omnibus malis quæ cogitaui facere eis. Et in finem loquar ſuper gentem & regnũ,ut reædificem eos, & repleam:& ſi fecerit mala in conſpectu meo, ut non audiant uocem meam, pœnitebit me de omnibus bonis quæ locutus fueram,ut facerem eis. Quomodo ergo poſſumus his quæ abſolute per Hieremiã dicta ſunt,præferre illa quæ ſuſpenſe per prophetã dicuntur,niſi quia negligentibus & contemptoribus illa confirmanda, hęc uero perfectioribus ſecretius aduertẽda ſunt. INT. Quomodo dominus in Deuteronomio præcipiat,per nomen meum iurabitis,& econtra in Teſtamento nouo uideatur præcepiſſe,nolite iurare. RES. Periurare quippe graue peccatũ eſt, non iurare autem ſicut uerũ iurare nullum peccatum eſt:ſed longius remotus eſt à falſo iurando,qui nec iurare conſueuit, quàm qui uerũ iurare procliuis eſt. Vnde maluit nos dominus, & nõ iurantes nõ recedere à uero,quàm uerũ iurantes propinquare periurio. Ergo ammonitio nõ iurandi,cõuerſio eſt à peccato periurij. Nam omnino qui uerũ iurat, non peccat. Vnde dominus omnẽ occaſionẽ uoluit amputare periurij,cum nos iurare prohibuit. Nã & Apoſtolus in ſermonibus quos habuiſſe narratur,neq; iurauit,neq; iurandi conſuetudinẽ habuit, ne aliquando uel neſcius in periurium laberetur. Scriptis autem,ubi eſt cõſideratio maior,atq; perpenſior,pluribus locis iuraſſe inuenitur:nequaquã quod putaret etiã iurando peccare,ſed potius intelligeret humanæ fragilitatis corda non iurando tutius à periurio cõſeruari. INT. Cum dominus in Deuteronomio præcipiat,dicẽs:Dominũ deũ tuũ adorabis,quomodo Pſalmiſta ecõtrario in Pſalmo XCVIII terrã nos iubet adorare,præcipiendo: Adorate ſcabellũ pedũ eius. Quod utiq; terra eſt,iuxta quod alius propheta dicit:Cœlum mihi ſedes eſt,terra aũt ſcabellum pedũ meorũ. RESP. Illam terrã dicit adorãdã propheta,quã dominus Ieſus incarnationis aſſumptione ſuſcepit. Itaq; per ſcabellũ terra intelligi͛,per terrã aũt crux Chriſti, quã quotidieq́ue in miniſterio adoramus,& quam apoſtoli in domino Ieſu adorarunt. Suſcepit enim de terra terrã, quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnẽ accepit. Et quia in ipſa carne hic ambulauit,& ipſam carnẽ nobis mãducandã ad ſalutem dedit,nemo aũt illam carnẽ manducat,niſi prius adorauerit: inuentũ eſt quemadmodũ adore͛ ſcabellũ pedum domini, & non ſolum nõ peccemus adorando, ſed peccemus nõ adorando. INT. Quomodo in Deuteronomio Moſes dicat,Tentat uos dominus ueſter deus: & ecõtra Iacobus apoſtolus prædicet,Deus neminẽ tentat. RESP. Duas eſſe tentationes in ſcripturis ſanctis ſolet intelligi, una quæ decipit, altera quæ probat:ſecundũ eam quę probat dictũ eſt, Tentat uos dominus deus ueſter. Secundũ eam uero quæ decipit,Iacob apoſtolus pręd icat,Deus neminẽ tentat. INT. Cũ ſcriptũ ſit in libro Deuteronomij, Maledictus q nõ reliquerit ſemen in Iſraël: quomodo contra hanc diuinã ſententiã pluri

mi, & in ueteri Teſtamento & in nouo nec coniugia ſortiti ſunt, nec ſemen ſuæ carnis ullo modo reliquerunt. Sicut in ueteri Teſtamento Helias, Hieremias, & Daniel: in nouo autē Ioannes Baptiſta, & Ioannes Euangeliſta, cæteriq́ʒ quamplures feciſſe monſtrantur, qui ſemen ſecundum carnem nō reliquerunt. RESP. Hæc duo quæ ſibi uidentur eſſe cōtraria, ita ab Origene reperimus explanata, ait enī: Qui cōſummatæ & perfectę uirtutis eſt, ſemper neceſſe eſt ut in aliqua eruditione uerſetur, quā eruditionē coniugē eius ſermo diuinus appellat: ſecundū hoc puto, quod in lege celebs & ſteri lis maledicto ſubiacet: quia ſi hæc de carnali ſemine dici putent̄, omnes ecclesiæ uirgines ſub maledicto poſitæ uidebuntur. Similiter & Ioannes Baptiſta, & alij ſanctorū plurimi: ſed certū eſt illos ſpirituale ſemen reliquiſſe, & habuiſſe unūquenq́ʒ coniugem ſapientiā, ſicut & Paulus per Euangeliū generauit. INT. Cum in libro Regum primo deus ad domum Heli loquens promiſerit, dicens: Hæc dicit dominus, domus tua, & domus patris tui miniſtrabūt in cōſpectu meo uſq́ʒ in ſempiternū: quomodo ecōtra quaſi mutata promiſſione ſubijciat, dicens: Ecce dies uenient, & præcidā brachium tuū & brachium domus patris tui, & non ſit ſenis in domo tua. Et poſt aliqua ſubiungit: Suſcitabo mihi ſacerdotē fidelem, qui iuxta cor meum & animā meam faciat, & ædificabo ei domū fidelem, & ambulabit corā Chriſto meo cunctis diebus. RESP. AVG[illegible]ST. Cum hæc tanta tunc altitudine prænunciata ſint, tanta nunc prænuntiatione clareſcant, nō fruſtra tamen moueri quiſpiā poteſt ac dicere: quomodo cōfidimus uenire omnia quæ in illis libris uentura prædicta ſunt, ſi hoc ipſum quod ibi diuinitus dictum eſt, Domus tua & domus patris tui miniſtrabūt corā me in æternū, effectū habere non potuit: quoniā uidemus illud ſacerdotiū fuiſſe mutatū, & quod illi domui promiſſum eſt, nec ſperari aliquādo cōplendum: quia illud quod ei reprobato mutatoq́ʒ ſuccedit, hoc potius prędicat̄ æternū. Hoc qui dicit nōdum intelligit, aut nō recolit etiā ipſum ſecundū ordinē Aaron ſacerdotium, tanquam umbram futuri & æterni ſacerdotij cōſtitutū: ac per hoc quādo ęternitas eius promiſſa eſt, nō ipſi umbrę ac figuræ, ſed ei quod per ipſam adumbrabatur figurabaturq́ue promiſſum eſt: ſed ne putaretur ipſa umbra eſſe manſura, ideo etiam mutatio eius debuit prophetari.

INT. Cum in libro Regum ſcriptū ſit, quod eleuatus fuerit Helias per turbinem in cœlum: quomodo dominus in Euāgelio dicit: Nemo aſcendit in cœlum, &c. RESP. Aliud eſt cœlum aëreū, aliud æthereum: cœlum quippe aëreum terræ eſt proximū. Vnde & aues cœli dicimus, quia eas uolitare in aëre uidemus: in cœlum itaque aëreum Helias ſubleuatus eſt, ut in ſecreta quadā terræ regione repente duceret̄, ubi in magna iā carnis & ſpiritus quiete uiueret, quouſq́ʒ ad finē mundi redeat, & mortis debitū ſoluat.

INT. Quomodo Eſaias dicat, Spiritus domini ſuper me, uel cæteri pro

phetæ, ſiue Symeon, uel Zacharias per ſpiritum ſanctum futura pronunciaſſe credanť, cum in Euangelio dicať, Nõdum erat ſpiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus. RESP. Vtiq; non ſine ſpiritu ſancto antiqui patriarchæ atq; prophetæ futura pronuntiauerũt. Sed quod dicit, ſpiritus nõdũ erat datus, id eſt illa abundantia gratiæ ſpiritualis, adhuc antea illis ſic nunquã fuerat data: ſicut poſtea cũ cõgregati in unum diſcipuli, linguis omniũ gentium ſunt locuti, ac ſic in linguis omniũ gentium futura eſt pronũtiata eccleſia. INT. Quomodo Eſaias pro Chriſto dicit, Qui peccatũ non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, cũ Paulus econtra uideatur dixiſſe, eum qui non nouerat peccatũ, pro nobis peccatum fecit. RESP. Quod enim Eſaias dicit, quia peccatũ non fecerit, apertiſſime oſtendit quia perſona ipſa filij peccatis coinquinata nõ extitit. Ipſe eſt eñ agnus ſine macula, ſine peccato. Quod aũt Paulus dicit eum, qui nõ nouerat peccatũ, pro nobis peccatũ fecit: hoc ipſum quia dixit fecit, ad patris perſonam retulit: id eſt quia deus pater filium ſuũ qui peccatum non fecit, hoſtiã illum pro peccatis noſtris fecit, cum eum pro ſaluatione mundi immolari permiſit. Dicit̃ enim, quod eum pater peccatũ fecit, quia eum hoſtiã pro peccato fieri uoluit: ſicut dicit̃, Peccata populi mei comedent, cum non peccata comedanť, ſed oblationes quæ pro peccatis offerũtur. INT. Quomodo Eſaias de Chriſto dicit, Generationẽ eius quis enarrabit: cũ Euangeliſta omnẽ Chriſti generationẽ dinumerans inter cætera dicat, Chriſti autem generatio ſic erat. RESP. Propheta de diuinitatis generatione prædixit, Euãgeliſta incarnationis myſterium ſequens, generationẽ Chriſti ſecundum humanitatem expoſuit. INT. Quomodo Eſaias dicat pro perſona Chriſti filij dei: non eſt ſpecies ei neq; decor: & uidimus eũ, & nõ erat aſpectus: & deſiderauimus eum, & nouiſſimum uirum dolorũ, & ſcientem infirmitatẽ, & quaſi abſconditus uultus eius & deſpectus, unde nec reputauimus eum: & econtra Pſalmiſta dicit, Specioſus forma præ filijs hominum. RESP. Quod Eſaias dicit pro noſtro ſponſo Chriſto, quod nihil eſt pulchrius eo: q̃d quaſi fœdus apparuit, de interfectoribus Chriſti hoc dicit, q̃bus Chriſtus ipſe uilis apparuit: ſi enim cognouiſſent, nunquã dominum gloriæ crucifixiſſent. Quod aũt Pſalmiſta dicit, quod ſpecioſus fuerit præ filijs hominum, ad fidem credentium reputať, qui ſic illum uidere meruerunt, ut uerũ illum deum & hominem fide integra faterenť. Reſtat igitur quia & fœdus apud perſequentes, & ſpecioſus exiſtimatus eſt apud credentes. INT. Cum dominus Eſaiæ prophetę præcipiat, dicens: Clama, ne ceſſes: quomodo econtrario uidetur Apoſtolus clamorem prohibens dicere: Ira & indignatio, & clamor tollať à uobis. RESP. Alius eſt clamor qui de prædicatione uel poſtulatione, alius qui de ira deſcendit: & ideo clamorem hunc qui de ira deſcendit Apoſtolus prohibuit, non illum quo aut Eſaias prædi

care

care iubetur, aut contritorũ corda ad dominũ gemebundos clamores emit tunt. INT. Cum Eſaias dicat pro Ægyptijs, Clamabũt ad dominum à facie tribulantis,& mittet eis ſaluatorem & propugnatorẽ qui liberet eos: quomodo quaſi econtrario ſtatim ſubiungit, dicens: Et percutiet dominus Ægyptũ plaga. RESP. Percuſſio hæc domini ſuper Ægyptios parcentis eſt, non perdentis: quæ potius per plagã pœnitentiæ, animã poſſit perducere ad ſalutẽ: & ideo contrarium illud non erit, ubi à facie tribulantis ſaluator & propugnator eis miſſurus promittit᷑: quia & hæc percuſſio uel plaga quæ ſubijcitur, non ad reprobationem, ſed ad ſanitatem conuerſionis induci᷑. Hoc enim ualet ſupra quod dici᷑, Mittet eis ſaluatorẽ qui liberet eos: quia & hic ſubſequitur, Et percutiet dominus Ægyptũ plaga, & ſanabit eam: quod ut maniſeſtius aperiretur, addidit dicens: Et reuertent᷑ ad dominũ, & placabit᷑ eis, & ſanabit eos. INT. Quomodo Hieremias utrunque dicat, quæ ſibi cõtraria eſſe uidenẽ: dicit enim ex uoce dei: Filij colligũt ligna, & patres ſuccendunt ignẽ, & mulieres cõſpergunt adipem, ut faciant placentas reginæ cœli, & libent dijs alienis, & me ad iracundiã prouocant, nunquid me ad iracundiã prouocãt dicit dominus? Vbi ſtatim quaſi econtrario ſubiũgit, Ecce furor meus & indignatio mea cõflatuta locũ iſtũ ſuper uiros & ſuper iumenta, &c. Qui ſupra dixerat, Nunquid me ad iracundiam prouocant: quomodo nunc dicit, Ecce furor meus & indignatio mea ſtillabit ſuper locũ iſtum. RESP. Iſte eſt ſenſus, ego quidẽ naturaliter non iraſcor, ſed illi ita agunt, ut me ad iracundiã prouocent, & meã uidear mutare naturã: ſentiant igi᷑ iratum, quod quantũ in ſe eſt facere conant᷑. INT. Cũ nouerimus, quod Hieremias propheta ſilentiũ ſibi prædicationis indixerit per hoc quod dicit, Nõ recordabor eius, neq; loquar ultra in nomine illius: quomodo quaſi ecõtrario ſtatim ſubiungit, Factus eſt in corde meo quaſi ignis exæſtuans, clauſusq; in oſſibus meis: & defeci ferre nõ ſuſtinẽs, audiui enim cõtumelias multorũ. RESP. Pro eo enim quod ſe minime audiri cõſpexit, ſilentiũ appetit: ſed cũ creſcentia mala cerneret, in eodẽ ſilẽtio nõ permanſit: quia enim foris tacuit, ex tædio locutionis intus ignẽ pertulit de zelo charitatis. INT. Cũ multiplicia & dura peccata Iudæorũ ante aduentum Chriſti prophetarũ uocibus prædicata ſint, ſicut illud peccatũ ſuũ ſicut Sodoma prædicauerunt, nec abſcõderũt. Et in Hieremia peccatũ Iuda cõſcriptum eſt ſtylo ferreo in ungue adamantino, &c. quomodo Chriſtus in Euangelio quaſi ecõtrario uidetur de Iudæis dixiſſe, Si nõ ueniſſem, peccatum non haberent. Quid hoc eſt? nunquid ſine ullo peccato erant antequàm Chriſtus in carne naſceretur, & ex quo uenit, cœperũt habere peccatum? RESP. Peccatum quoddam certum, id eſt infidelitatis intelligi uoluit, quoniam non crediderunt in eum qui iuſtificat impium.

INT. Si iuxta uerba Ezechielis, Iuſtitiæ iuſti obliuioni tradentur, in

quacunq; die peccauerit:quomodo cõſequens eſt quia Paulus ſcribit, quia deus reddet unicuiq; ſecũdũ opera ſua,cũ ſi quid de iuſtitię operibus iuſtus habuit tunc id perdidit cũ deliquit,pręſertim cũ & Paulus ſcribat,quod uniuſcuiuſq; opus,id eſt & bona & mala per ignẽ ſint ponderanda. RESP. Videamus,ne forte abſolutionẽ ſui in ſeipſo ſermo diuinus inueniat, ſi obſeruemus quomodo ſcriptũ eſt,quia dicit:Cũ auerſus fuerit iuſtus à iuſtitia ſua:& non ſufficit ut diceret,cũ auerſus fuerit à iuſtitia ſua:ſed addidit, & fecerit omnem impietatẽ ſecundũ omnes iniquitates quas fecerit iniquus: in quo uidet latenter huiuſmodi inſeruiſſe intellectũ, ut ſi forte nõ ſecundũ omnes iniquitates quas fecit iniquus, fecerit & iuſtus,nõ omnes iuſtitiæ eius de memoria auferant. Si uero omnes iniquitates fecerit quas fecit iniquus, tunc demũ omnes iuſtitiæ in lapſu eius de memoria ſubtrahunt. Hæc quãuis occultauerit in ſcripturis ſpiritus ſanctus, propter hos qui diuitias bonitatis & patientiæ eius cõtemnunt,nõ tamẽ penitus abſtulit. Si igit ſub iſto intellectu accipiat illud quod Paulus dixit,nõ erit omnino cõtrarium:nam & beatus Gregorius iuxta translationẽ nouã hoc teſtimoniũ ſub iſto intellectu ediſſerit,dicens:Cum dicit,iuſtus in peccato ſuo morietur,& non erunt in memoria iuſtitiæ eius quas fecit: hoc nobis maxime cõſiderandum eſt, quia cum mala cõmittimus, ſine cauſa ad memoriã bona noſtra tranſacta reuocamus: quoniã in perpetratione malorum,nulla debet eſſe fiducia bonorum præteritorũ. INT. Quomodo Ezechiel propheta motus animalium narrat,dicens:Nõ reuertebant cũ incederent: & paulo poſt quaſi ecõtrario ſubijciens dicit, Et animalia ibant & reuertebant. RESP. Sãcta quippe animalia aliquando uadunt,& minime redeunt:aliquando uadũt, & protinus reuertunt:quia electorum mẽtes cum per collatã ſibi actiuę uitæ gratiam erroris uias deſtruunt,redire ad mala mundi neſciunt,quæ reliquerunt. Cum uero per cõtemplationis aciem,& ab hac ſe eadẽ actiua uita ſuſpendunt,eunt & redeunt: quia per hoc quandiu perſiſtere minime in cõtemplatione ſufficiunt,ſeſe iterum ad operationẽ fundunt: ut in his quæ ſibi iuxta ſunt,ſe exercendo refoueant, & ſuper ſe rurſum ſurgere cõtemplando cõualeſcant. INT. Cum dominus per Ezechielem dicat, Ego dedi eis præcepta nõ bona:quomodo Paulus quaſi ecõtrario dicit, Lex quidem ſancta,& mandatum ſanctum & iuſtum,& bonum. RESP. Mala eñ quaſi mala eſſe deſinunt cõparatione peiorũ: & bona quaſi bona non ſunt comparatione meliorum: nam ſicut peius delinquenti Iudææ de Sodoma atq; Samaria dicit, Iuſtificaſti ſorores tuas in omnibus abominationibus tuis quas operata es: ita melioribus teſtamenti noui præceptis ſubſequentibus,præcepta bona quæ rudibus data ſunt, non bona eſſe memorantur.

INT. Cum in Ezechielis libro de uolumine quod acceperat ſcriptum ſit, Et factum eſt in os meum ſicut mel dulce, qua ratione poſtmodum

Ezechiel

Ezechiel ipſe de ſe loquat̃,dicẽs:Abij amarus in indignatione ſpiritus mei. RESP. Mirũ quippe ualde eſt,ſi dulcedo ſimul & amaritudo conueniant: ſed ſciendũ eſt,quia cui ſermo dei in ore dulceſcere cœperit,huius proculdubio contra ſemetipſum animus amareſcit. Quo enim in illo ſubtilius diſcit qualiter ſe reprehendere debeat, eò ſe durius per amaritudinem pœnitentiæ caſtigat: quia tanto ſibi magis diſplicet, quãto in ſacro uolumine amplius de omnipotẽte deo uidet quod amet. INT. Cũ in uiſione ſpiritualis ædificij Ezechiel propheta prius dicat ſe uidiſſe, quod gazophylacia ad auſtralẽ uiã facies haberent:qua ratione poſt ſubijcit,quia gazophylacium quod reſpicit uiam meridianã ſacerdotũ eſt, qui excubant in cuſtodijs templi:& gazophylaciũ q̃d reſpicit uiam aquilonis,ſacerdotũ qui excubant ad miniſteriũ altaris. Si utraq; facies ad auſtralem uiã tendebat, quo modo nũc unũ ad meridianã, atq; aliud ad aquilonis uiã reſpicere dicitur? RESP. In his uerbis agnoſcimus,quia gazophylaciũ ſacerdotũ qui excubant in cuſtodijs templi,ita impoſitũ fuerat ut ſolã meridianã uiam reſpiceret:gazophylaciũ uero ſacerdotũ qui excubabant ad miniſteriũ altaris, ita erat in atrio,ut auſtralem uiã & aquilonis faciẽ intenderet:quatenus & cum gazophylacio ſacerdotũ,qui excubant in cuſtodijs templi,meridianã uiam reſpiceret,& tamen ſine gazophylacio eorundẽ ſacerdotũ ab aquilonis uiã uideret.Sed quid eſt hoc,q̃d his uerbis myſticis poſſumus intueri, niſi hoc quod ſecundũ ea quæ præmiſſa ſunt,iam ſpiritualis auditor intelligit: quia ſacerdotes maioris ordinis qui excubãt in cuſtodijs tẽpli,ſolã meridianã uiam reſpiciũt:q̃niã ſolis ſtudijs ſpiritualibus occupari ſunt,pro his quę amoris dei ſunt ſolicite intendũt.Sacerdotes aũt minoris ordinis,qui diſcutiẽdis peccatis delinquentiũ præſunt,etiã ad aquilonis uiã oculos reflectunt:ut in mẽte peccantiũ quæ ſint torporis frigora uideãt,& hæc uerbis correctionis uſq; ad pœnitentiæ gemitus reducẽtes, quaſi carnes in altare domini incendant.Reſpiciebãt etiã cũ magnis ſacerdotibus ad meridianã uiã:quia quãtum ad ſemetipſos eſt, feruent igne charitatis, & ſuccẽſi ſunt flammis amoris dei: ſed quia peccatũ delinquentiũ crebro corrigũt,etiã ad aquilonis uiã oculos reducũt. INT. Si poſt tres annos,ſicut in principio Danielis ſcriptum eſt,pueri ipſi ingreſſi ſunt in cõſpectu Nabuchodonoſor, quomodo in ſubſequenti uiſione ſcribit̃,Anno ſecũdo Nabuchodonoſor uidit Nabuchodonoſor ſomniũ? Hæc magnã inter ſe uident̃ habere contrarietatẽ,pro eo quod pueri ipſi,qui nuſquã antea niſi poſt tres annos in cõſpectũ prædicti regis primũ introducti atq; interrogati ſunt:nũc in ſecũdo Nabuchodonoſor anno & ipſum Nabuchodonoſor ſomniũ uidiſſe, & Danielẽ interpretationẽ ſomnij ipſius aperuiſſe ſcriptura cõmemorat. RES. HIERO. Hoc ita ſoluũt Hebræi:ſecũdũ hic annũ dici regni eius,omniũ gẽtiũ barbararũ nõ Iudęæ tantũ & Chaldæorũ,ſed Aſſyriorũ quoq; & Ægyptiorum, & Moa-

& Moabitarũ, & reliquarũ nationum, quas domino cõcedente ſuperarat. Vnde & Ioſephus in X Antiquitatum ſcribit libro, poſt annum ſecundũ Ægyptiæ uaſtitatis rex Nabuchodonoſor uidit mirabile ſomnium.

INT. Cum Daniel ſententiam dei quam incõmutabilem nouerat, iam prius Nabuchodonoſor regi de ultione regni ſui prædixiſſet implendam, dicens: Ejicient te ab hominibus, & cum beſtijs feris erit habitatio tua: quomodo in ſubſequentibus eundẽ Nabuchodonoſor pro immutatione eiuſdem ſententiæ ad pœnitentiam cohortatur, dicens: Quamobrem rex conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum, forſitan ignoſcat deus delictis tuis. RESP. Hoc facile ſoluitur Ezechiæ regis exemplo, quem Eſaias dixerat moriturum eſſe. Et Niniuitarum, adhuc tres dies, & Niniue ſubuertetur: & tamen ad preces Ezechiæ & Niniue dei ſententia commutata eſt: non uanitate iudicij, ſed eorum conuerſione, qui meruerunt indulgentiam. Alioquin & in Hieremia loquitur deus, ſe mala minari ſuper gentem, & ſi bona fecerit, minas clementia commutare. Rurſum bona agenti ſe aſſerit polliceri, & ſi mala fecerit, dicit ſe ſuam mutare ſententiam, non in homine, ſed in operibus quę mutata ſunt: neq; enim deus hominibus, ſed uitijs iraſcitur: quæ cũ in homine non fuerint, nequaquam punit, quia mutatum eſt.

INT. Cum in Danielis libro in fine primæ uiſionis pro ipſo Daniele ſcribatur: Fuit Daniel uſq; ad annum primum Cyri regis: quomodo in eodem libro econtrario ſcribitur: Anno tertio Cyri regis Perſarum uerbũ reuelatum eſt Danieli? RESP. Quod dicitur fuiſſe Danielem uſq; ad annum primũ Cyri regis, non uitæ illius tempus accipiendum eſt, ſed hoc ſignificatur quia uſq; ad primum annum Cyri regis, qui Chaldæorum deſtruxit imperium, Daniel potẽs fuerit in Chaldæa. Poſtea uero à Dario in Medos translatus eſt. Itẽ in expoſitione Ezechielis idem Hieronymus ſic dicit: fuiſſe Danielem apud Chaldæos in priſtina dignitate purpura byſſoque ueſtitum, uſque ad primum annum Cyri regis intelligimus, quando ſubuertit Chaldæos: & poſtea cœpit eſſe cum Dario filio Aſſueri de ſemine Medorum, qui imperauit ſuper regnum Chaldæorũ: aut certe iam Dario mortuo, cuius anno primo LXX hebdomadarum ſacramẽta cognouerat, nunc tertio anno Cyri regis hæc uidiſſe narrantur.

INT. Cum in Danielis libro ſcriptum ſit, pro uiſione quam angelo interpretante cognouit, ubi ait: Cum uiderem ego Daniel uiſionem, & quærerem intelligentiam, audiui uocem uiri dicentis: Gabriel, fac intelligere iſtã uiſionem uirum iſtum: quomodo ſtatim econtrario ſubiungitur, ubi ipſe Daniel ait: Et ſtupebam ad uiſionẽ, & non erat qui interpretaretur: ſi non erat qui interpretaretẽ, quomodo ſupra interpretatus eſt angelus? RESP. Quod dicit hoc eſt: reges audierat, & eorũ nomina neſciebat, futura cognouerat,

uerat,& quo futura eſſent tempore dubius fluctuabat. INT. Cũ domi nus per Oſee prophetã de reprobis regibus dicat:Ipſi regnauerũt,& nõ ex me principes extiterũt,& nõ cognoui:quomodo ecõtrario Iob dicit:Qui re gnare facit hypocritã propter peccata populi: quis eñ recte ſentiens dicat, quia fecit dominus q̃d minime cognoſcit? RESP. Scire dei,approbare eſt:neſcire,reprobare. Vnde quibuſdã quos reprobat,dicit:Neſcio uos un/ de ſitis.Et aliquãdo facere dei,eſt id q̃d fieri prohibet iraſcẽdo permittere. Vnde & regis Ægypti cor ſe obdurare aſſeruit, qa uidelicet obdurari per/ miſit:miro modo hypocritas dominus & regnare facit & neſcit,facit ſinen/ do,neſcit reprobãdo. INT. Quomodo Amos propheta inquiſitus re/ ſpondit:Nõ ſum propheta,cũ & prophetã eũ nouerimus,& uerba prophe tiæ illius teneamus. RESP. Eadẽ hora qua requiſitus eſt, prophetiæ ſi bi ſpiritum deeſſe ſenſit,& de ſemetipſo teſtimoniũ ueraciter intulit, dicẽs: Nõ ſum propheta:qui tamen ſecutus adiunxit, Et nũc audi uerbũ domini, hæc dicit dominus,uxor tua in ciuitate fornicabitur,& filij tui & filię tuæ in gladio cadẽt,& humus tua ſuniculo metieť, & tu in terra polluta morieris. Quibus prophetę uerbis aperte oſtendiť,quia dũ de ſe illa loquereť,imple tus eſt, & mox habere prophetãdi ſpiritũ meruit, quia ſe prophetã nõ eſſe humiliter agnouit. INT. Cũ Zacharias dicat pro deriſoribus Chriſti, Videbũt in quẽ pupugerũt:quomodo quaſi ecõtrario de ipſis uideť Eſaias dixiſſe,Tollať impius, ut nõ uideat claritatẽ domini? RESP. Excitatur impius, ut aliqd nõ uideat. Viſurus eſt formã hominis,de qua dictũ eſt,ſic ueniet. Non uiſurus eſt formã dei,de qua diciť:Oſtendã meipſum illi:quã non impij,ſed ſoli iuſti uidebũt. Vnde propter ſolã formã hominis,quæ & à iuſtis & ab iniuſtis uidenda eſt, dictũ eſt, Videbunt in quẽ pupugerunt: propter formã aũt domini, quæ ſolis iuſtis uidebiť dictum eſt, Tollať im/ pius,ne uideat,&c. INT. Cũ Dauid in Pſalmo quarto dicat, Iraſcimini & nolite peccare:quomodo Paulus in Epiſtolis ſuis dicit, Deponite omnẽ iram & indignationẽ? RESP. Alia eſt ira qua zelo iuſtitię cõmouemur, alia qua irrationabili motu ferimur. Non ergo illã Apoſtolus quæ de iuſti/ tia deſcẽdit,abſcindere uoluit,præſertim cũ idipſum teſtimoniũ de Pſalmo in epiſtola ad Epheſios aſſumpſerit,dicẽs:Iraſcimini,& nolite peccare:ac ſi dixiſſet,ſic iraſcimini,ut à culpa abſtineatis:ſed omnẽ potius irã quæ de ir/ rationabili motu procedit, uoluit amputari. INT. Quõ Dauid in Pſal/ mo XV dicat,Caro mea requieſcit in ſpe,quoniã non derelinques animã meã in infernũ,nec dabis ſanctũ tuũ uidere corruptionẽ: cũ quaſi ecõtra ui deať dicere in Pſal. 29. Quæ utilitas in ſanguine meo, dũ deſcẽdo in corru/ ptionẽ? RES. Quod dicit,caro mea requieſcit in ſpe,quoniã nõ derelinques animã meã,&c. Vtrãq; Pſalmiſta ex perſona Chriſti id affirmatiue pronũ/ tiat:ac ſi diceretur, ex uoce filij ad deũ patrẽ:caro mea in ſpe reſurrectionis obdormiet,

obdormiet,quia non dabis animam meam inferis poſſidendam,neq; ſanctificatum corpus meum,per quod & alij ſanctificandi ſunt, corrumpi patieris. Hoc autem quod uidetur eſſe contrarium, hoc eſt quod & illud, nec diuerſum eſt. Dicit enim quodammodo Chriſtus ad patrem: Quę utilitas in effuſione ſanguinis mei,ſi ſic fuerit corrupta caro mea,quomodo cęterorum hominum,ut in fine reſurgam? nunquid confitebitur tibi puluis,id eſt turba impiorum,quæ niſi me reſurgente iuſtificari non poterit? Ergo ſic intellecta non ſunt contraria.

INT. Cum Pſalmiſta dicat,Dolores inferni inuenerunt me,necnon & illud,Deus noſter refugium & uirtus,adiutor in tribulationibus,quæ inuenerunt nos nimis: quomodo immutato alio locutionis genere non ſe à tribulationibus inuentum eſſe,ſed ſe tribulationē potius inueniſſe teſtatur,dicens: Tribulationem & dolorem inueni. RESP. Aliæ ſunt tribulationes uel dolores quas nos inuenimus, aliæ quæ nos inueniunt. Nam quando ſine alicuius admonitione uel percuſſione homo conſiderat factum ſuum,& rogans deum plangit & contremiſcit, iſte utiq; tribulationem & dolorem inuenit. Qui autem aut alio increpante, aut altero admonente, aut percutiente conteritur,hunc tribulationes & dolores inueniunt.

INT. Cum Dauid propheta in XXI Pſalmo nō exauditum ſe conqueratur,dicēs: Deus meus clamabo per diem,nec exaudies & nocte, quomodo econtra in eodem Pſalmo teſtatur,dicens: Non auertit faciem ſuam à me, & dum clamarem ad eum,exaudiet me? RESP. Dominus Chriſtus ex perſona ueteris hominis cuius mortalitatem portabat, uerbis delictorum clamare ſe dicit die ac nocte, & non exaudiri: uerba enim delictorum ſunt,& non iuſtitiæ:cum clamatur ad dominū per diem, id eſt in proſperitate,ut hæc ipſa proſperitas nō mutetur:& cum clamatur nocte, ut ad uerſitas proſperetur. Hæc igitur talis petitio longe eſt à ſalute. Nam inde & ſequitur,& non ad inſipientiam mihi: id eſt neq; hoc facias ad inſipientiam mihi,ſed potius ut ſapiam quid me clamare uelis,non uerbis delictorum & deſiderio temporalis uitæ, ſed uerbis conuerſionis, atq; in uitā æternam. Ex his igitur uerbis cōuerſionis atq; iuſtitiæ in ſubſequentibus idem exauditum ſe commemorat,dicens: Nō ſpreuit neq; deſpexit precem pauperis,neq; auertit faciem ſuam à me: & dum clamarem ad eum, exaudiuit me: id eſt non illius qui uerbis delictorum clamans ad deum,uitam iſtam, id eſt proſperitatem tranſire nolebat,ſed precem pauperis exaudiuit. Qui ergo uerbis delictorum ſuperius clamaſſe, & non exauditum ſe cōteſtatur, ipſe uerbis iuſtitiæ deprecans ſe commemorat exauditum. Clamauit ſuperius uerbis delictorum ex perſona ueteris hominis,exauditus non eſt. Clamauit ſubterius uerbis iuſtitiæ & conuerſionis ad deum,ex perſona hominis ad nouam uitam pertinentis,& exauditus eſt.

INT.

INT. Cum Pſalmiſta in pſalmo XXIIII dicat, Vniuerſæ uiæ domi ni miſericordia & ueritas: quomodo in alio pſalmo econtra dicit, Omnes uiæ tuæ ueritas, uel ſicut in alia tranſlatione legitur, Omnia mandata tua ueritas? RESP. Erga ſanctos & uniuerſæ uiæ domini miſericordia, & uniuerſæ uiæ domini ueritas: quia & in iudicando ſubuenit, atq; ita nō deeſt miſericordia: & in miſerēdo id exhibet quod promiſit, ne ueritas deſit. Erga omnes autem & quos liberat & quos damnat, omnes uię domini miſericordia & ueritas: quia ubi non miſeretur, uindictæ ueritas exhibet. Multos quippe immeritos liberat, immeritum autem neminem damnat.

INT. Quomodo Pſalmiſta in XXIX pſalmo contraria de ſe prædicare uideatur, ait enim: Ego dixi in mea abundantia, non mouebor in æternum. Et poſt modicum ſubiungit: Auertiſti faciem tuā à me, & factus ſum conturbatus. RESP. Quia de confidentia uirtutis intumuit, dicit: Ego dixi in mea abundantia, &c. Sed paulo poſt quid pertulit adiunxit, Auertiſti faciem tuam, &c. ac ſi aperte dicat, Fortem me inter uirtutes credidi, ſed quantæ infirmitatis ſim derelictus agnoui. Hic rurſus dicit: Iuraui, & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ. Sed quia eius uirium non erat manere in cuſtodia quam iurabat, debilitatem ſuam protinus turbatus inuenit. Vnde ad preces & opem repente ſe contulit, dicens: Humiliatus ſum uſquequaq;, uiuifica me ſecundum uerbum tuum. INT. Quomodo Dauid dicat, Dixi, pronuntiabo aduerſum me iniuſtitias meas domino, & tu remiſiſti, &c. Et illud quod alibi dicitur, Peccator, cum ingemuerit, ſaluus erit: cum econtra in Euangelio ille cæcus dixerit, Nos ſcimus quia peccatores deus non exaudit. RESP. Quia deus peccatores audiat ex multis ſcripturarum locis monſtratur, ſicut de publicano illo, uel de alijs in Euāgelio ſcribitur. Hoc autē quia cæcus iſte dixit, quaſi adhuc inuictus loquitur: ac proinde non eſt ita accipiendum, quia deus peccatores non audiat: uel non exaudit in miraculis, exaudit pro culpis. INT. Cum Pſalmiſta in pſalmo XXXIII dicat, Semper laus eius in ore meo: quomodo econtrario ſpecialem numerum tenens in pſalmo CXVIII dicit, Septies in die laudē dixi tibi? RESP. Septenarium laudis numerum poſuit propter ſeptē dies, quibus mundus iſte peragitur, in quibus ſemper laus deo refertur.

INT. Quomodo Pſalmiſta in pſalmo XXXVII ex perſona Chriſti dicat, Vim fecerunt, qui quærebant animam meam: cum econtra ſimiliter ex perſona Chriſti in CXLI redarguens dicat, Non eſt qui quærat animam meam. Si quoſdā redarguit quaſi inimicos, qui non quęrant animam eius, ergo amici erant quærentes animam eius. RESP. Quæritur anima Chriſti, & bene & male: bene, qui incorporari cupiūt membris eius: male autem, qui uim faciunt & perſequuntur, uel illum uel membra ipſius. Quis eſt qui quærit bene animam ipſius? Qui eius paſſiones imitat. Qui

ſunt qui quærebât male animã eius? Qui ei uim faciebât & crucifigebât eũ.

INT. Quomodo Dauid in pſalmo quadrageſimo tertio dicit: Exurge, quare obdormis domine: & quaſi econtra in pſalmo centeſimo uigeſimo, Ecce non dormitabit neque obdormiet qui cuſtodit Iſraël. Si non dormiuit, neque dormitat qui cuſtodit Iſraël, quomodo clamatur ad eum, Exurge, quare obdormis domine? RESP. Dormit dominus in cordibus infidelium, non dormit in cordibus Chriſtianorum. Ergo cum canitur, Exurge, quare obdormis domine, pro infidelibus hoc eccleſia clamat, qui Chriſtum mortuum, ſed reſurrexiſſe non credunt: & ideo quaſi in cordibus talium ſemper dormit Chriſtus, quia Chriſtum adhuc mortuum putant: Ab hoc petitur, ut reſurgat in illis, id eſt, ut fides illis præſtetur, qua credant eum reſurrexiſſe à mortuis. Cum autem canimus, quia nõ dormit, neq; dormiet qui cuſtodit Iſraël, quia Iſraël uidens deum interpretatur, ad ſolos fideles hoc teſtimonium refertur, qui Chriſtum à ſomno mortis ſuſcitatum non dormientem, id eſt mortuum, ſed uiuentẽ in ſecula confitentur.

INT. Cum in XLIIII pſalmo ex uoce aduocantis dei, animæ dicat humanæ, Audi filia & uide, & inclina aurem tuam: quomodo alterius patris mentionem faciens ſubiungat econtrario dicens, Et obliuiſcere populũ tuum, & domum patris tui. RESP. Aduocat hic deus pater filiam, id eſt animã hominis, ut de domo alterius patris ſui, id eſt mũdi huius exeat, & ad ſpeciem patris, creatoris utiq; ſui, redire contendat. Quod ita fit, cum mortificati cum Chriſto ab elementis huius mundi, contemplamur, ſecundum Apoſtolum, iam non ea quæ uidentur, ſed quæ non uidentur: quæ enim uidentur, temporalia ſunt: quæ autem non uidentur, æterna.

INT. Quomodo unus idemq; propheta Dauid cũ dixiſſet, Immola deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo uota tua: quaſi econtrario uidetur dicere, Quoniam ſi uoluiſſes ſacrificiũ dediſſem utiq;, holocauſtis uero non delectaberis: quomodo & delectari & nõ delectari deũ humanis ſacrificijs dicit? RESP. Sacrificiũ uiſibile inuiſibilis ſacrificij ſacramentũ, id eſt ſacrum ſignũ eſt. Vnde ille pœnitens apud prophetã, uel ipſe propheta quærens deũ peccatis ſuis habere propitiũ, Si uoluiſſes, inqt, ſacrificiũ, dediſſem utiq;, holocauſtis nõ delectaberis. Sacrificiũ deo ſpiritus contribulatus, cor contritũ & humiliatũ deus non ſpernit. Intuemur quẽadmodũ ubi deũ dixit, nolle ſacrificiũ, ibi deũ oſtẽdit uelle ſacrificiũ: nõ uult ergo ſacrificiũ trucidati pecoris, ſed uult ſacrificiũ cõtriti cordis. Illo igit quo eũ nolle dixit, hoc ſignificat, quia eũ uelle ſubiecit: ac per hoc ubi ſcriptũ eſt, miſericordiã uolo, nõ ſacrificiũ, nihil aliud ꝙ ſacrificiũ ſacrificio prælatũ oportet intelligi: quoniam illud ꝗd ab hominibus appellat ſacrificiũ, ſignũ eſt ueri ſacrificij. Porrò aũt miſericordia uerũ ſacrificiũ eſt, unde & Apoſtolus ait: Benefacere & communicatores eſſe nolite obliuiſci, talibus enim ſacrificijs placetur deo.

INT. Cum Dauid propheta dicat,peccatori dixit deus:Quare tu enar ras iuſtitias meas:quomodo Paulus uideatur econtra præcipere,ubi etiam malos in prædicationem admittit,dicens:Siue per occaſionem,ſiue per ueritatem Chriſtus adnuntietur.Et illud Euangelicum, Quod dicunt, facite: quæ autem faciunt,facere nolite. RESP. Sed hæc dicta ſunt,ne timeant qui audiunt, à quocunq; audiant:non ut ſecuri ſint qui dicunt bona,& faciunt mala. Sed noluit deus ſine correptione dimittere illos qui dicunt: ne hoc ſolo quod dicunt ſecuri obdormiſcant in mala uita, & dicant ſibi, Neq; enim perdet nos deus, per quorum os uoluit tanta bona dici populo ſuo. Secundum hunc igitur intellectum prædicatores peccatores ammonentur ne uiuant male, & prædicent bene, non ut os ſuum prohibeant à prædicamento iuſtitiæ.

INT. AVGVSTINI. Cum in pſalmo quinquageſimo ſecundo ſcriptum ſit,Non eſt qui faciat bonum,non eſt uſque ad unum: quomodo ſtatim bonorum nomen ſubiungitur, dicendo, Qui deuorant populum meum. Si non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum, quis eſt iſte populus,qui dei tantum populus nominatur? Nec enim poteſt dei populus dici, niſi bonum faciendo & inhærendo illi. RESP. Ecce in uno eodemq; pſalmo & boni, id eſt dei populus deſcribuntur: & quia non ſit qui faciat bonum uſque ad unum,ſententia ſuperiori præfertur. Propheta enim uolens diſtinguere filios dei à filijs hominum,dixit, Non eſt qui faciat bonum,&c.quia pertinet ad filios hominum, qui adhuc filij dei nõdum ſunt. De his enim ſuperius dixerat,Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum.Idem dixit,Qui deuorant populum meum. Ecce hic populum dei nominauit, quod utiq; pertinet ad filios dei, iuxta Ioannis uocem,Filij dei ſumus. Tolle ergo homines qui filij dei ſunt, remanent qui filij hominum ſunt,id eſt reprobi & peccatores, de quibus dictum accipitur, Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. Cum autem inter malos quidam boni inueniuntur, ipſi filij dei ſunt, qui hoc loco populus nominatur: qui etiam ſicut cibus panis à filijs hominum,id eſt ab iniquis deuoratur,cum à perſequentibus lacerantur. Cum autem & ipſi mali boni efficiuntur, iam non filij hominum, ſed filij dei ſunt. Si ergo ſuperiorem uerſum quo dicitur,Non eſt qui faciat bonum, filijs hominum tribueris: & ſubſequentem uerſum quo dicitur, Qui deuorant populum meum, filijs dei aſſcripſeris, nulla erit in his repugnantia quæſtionis.

INT. Cum Dauid in Pſalmo LIIII pro quibuſdam ſchiſmaticis imprecetur,dicens:Veniet mors ſuper illos:quomodo quaſi econtrario uideatur ſubiungere, Et deſcendant ad infernum uiuentes. RESP. Veteris hiſtoriæ factum, quod Dathan & Abiron uiuentes terra abſorbuit, populum autem illis conſentientem ignis conſumpſit, Pſalmus iſte replicans

dicit: Veniat mors ſuper illos, & deſcendant ad infernum uiuentes. Sed ſi iam mors ſuper eos uenerat, quomodo uiui ad inferos deſcendebant? aut quomodo poteſt fieri, ut prius uenisſe uideantur in mortem, & poſtea approbentur uiuentes ad inferna deſcendere? Sed quia dicit, Veniat mors ſuper illos, ad populum pertinet illis conſentientem, qui igne conſumptus eſt. Quod autem ſubijcit, Deſcendunt ad infernum uiuentes, ad duces ipſorum malorum Dathan & Abiron pertinet, quos uiuos terra abſorbuit. Primum quippe illud ſchiſmatis initium noua mors perdidit. Vel uiuentes ad infernum deſcendere, eſt uiuentes ſentienteſque per prauum opus ad inferni clauſtra deſcendere.

INT. Cum in ſexageſimo primo pſalmo loquatur propheta, dicens: Semel locutus eſt deus, quomodo quaſi econtra uidetur ſubiungere, duo hæc audiui: præſertim cum & Paulus apoſtolus ad Hebræos ſcribat, Multifariam multiſq; modis olim deus locutus eſt patribus noſtris in prophetis? RESP. Omnino inueſtigare difficile eſt, quemadmodum poſitum ſit prius, Semel locutus eſt deus. Deinde cũ ille ſemel locutus eſt, ego duo audiui. Si enim diceret, Semel locutus eſt deus, unum hoc audiui, uidebatur partem quæſtionis huius amputaſſe, ut tantummodo quæreremus quid ſit, Semel locutus eſt deus. Nunc uero quæſituri ſumus & quid ſit, Semel locutus eſt deus, & quid ſit, Duo hæc audiui, cum ille ſemel locutus ſit. Sed ſciendum, quia inter homines hominibus ſæpe multis modis multis partibus per multiformem creaturam locutus eſt deus: apud ſe ſemel locutus eſt deus, quia unum uerbum genuit deus: in illo uerbo ſunt omnia, quia per uerbum facta ſunt omnia: unum uerbum habet, ibi omnes theſauri ſapientię & ſcientiæ abſconditi. Duo uero quę audiſſe ſe dixit, iſta ſunt, poteſtas & miſericordia: iſta planè intelligite, poteſtatem dei, intelligite miſericordiam dei. His duobus continentur propè omnes ſcripturæ. Propter hæc duo prophetæ, propter hæc patriarchæ, propter hæc lex, propter hæc ipſe dominus noſter Ieſus Chriſtus, propter hæc apoſtoli, propter hæc annuntiatio: omnis celebratio uerbi dei in eccleſia, poteſtatem eius timete, miſericordiam eius amate: nec ſic de miſericordia præſumatis, ut poteſtatem contemnatis: nec ſic poteſtatem timeatis, ut de miſericordia deſperetis. Apud illum poteſtas, apud illũ miſericordia: hunc humiliat, & hunc exaltat: hunc humiliat poteſtate, illum exaltat miſericordia.

INT. Cum in pſalmo ſexageſimo octauo propheta ex perſona Chriſti dicat, Laboraui clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ: quomodo Euangelium dicit, quia in paſſione ſua dominus non reſponderit eis uerbum. Necnon & illud, quia Eſaias dicit: Sicut agnus coram tondente ſe, ſic non aperuit os ſuum. RESP. Ideo iam tunc tacebat, quia raucus erat qui ſine cauſa tantum clamauerat. Et illam quidem eius uocem de Pſalmo

alio

alio in cruce nouimus, Deus meus, deus meus, ut quid me dereliquiſti. Sed quanta illa uox fuit, aut quàm diuturna, ut in ea raucæ factæ eſſent fauces eius? Diu clamauit, Væ uobis ſcribæ & phariſæi. Diu clamauit, Væ mundo ab ſcandalis. Et reuera quomodo raucus clamabat, & ideo non intelligebatur quando dicebant Iudæi: Quid eſt quod dicit, Durus eſt hic ſermo, quis poteſt illum audire? Non ſcimus quid dicat ille, Omnia uerba dicebat: ſed illis raucæ fuerunt fauces eius, qui uoces eius non intelligebant. Hæc igitur ſub tali intellectu præmiſſa, non erunt ſibi contraria: ut iuxta quod ſuperius dicit, clamor ipſe unde raucæ fauces eius factæ fuiſſe dicuntur, non ipſo paſſionis tempore, ſed ante paſſionem actum accipiatur.

INTERROGATIO

Cum propheta ex perſona Chriſti in pſalmo ſexageſimo octauo præmiſerit primum, dicens: Veni in altitudine maris, & tempeſtas demerſit me: quomodo quaſi econtrario in ſubſequentibus deprecatur de profundo aquarum, non me dimergat tempeſtas aquæ, necnon & alia quæ ſuperius in eodem pſalmo contraria ſibi eſſe uidentur. Primum quod dixit, In limum profundi, aliudque econtra ſubſequitur, Saluum me fac de luto ut non inhęream.

RESPONSIO

Quod ſuperius dictum eſt, Tempeſtas dimerſit me, pro corpore, quod iam in paſſione tenebatur, hoc dictum accipitur. Quod autem ſequitur, Non me demergat tempeſtas aquæ, pro ſpiritu deprecari uidetur: ut quia corpus tenebatur ad paſſiones, ſaltem pro anima precaretur, ut in tempeſtate paſſionum non mergeretur. Hoc quippe & in his alijs duobus ſentiendum eſt, quibus ait: Infixus ſum in limo profundi: & quod repetijt, Saluum me fac de luto, ut non inhæream. Paulo ante dixerat, Infixus ſum: modo dicit, Saluum me fac de luto, ut non inhæream, cum ſecundum ſententiam priorem deberet dicere, Saluum me fac de luto ubi eram, eruendo me, non agendo ut non hæream. Ergo hæſerat carne, ſed non hæſerat ſpiritu. Dicit hoc ex infirmitate membrorum ſuorum: quando forte caperis ab eo qui te premit, ad iniquitatem tenetur quidem corpus tuum, ſecundum corpus infixus es in limum profundi: ſed quandiu non conſentis, non hæſiſti. Si autem conſentis, hæſiſti. Hæſiſti, oratio tua ibi ſit, ut quomodo iam tenetur corpus tuum, non teneatur & anima tua. Item & de profundo aquarum, Non me demergat tempeſtas aquæ. Sed iam dimerſus erat. Veni in altitudinem maris, tu dixiſti: & tempeſtas dimerſit me, tu dixiſti. Dimerſit ſecundum carnem, non dimerſit ſecundum ſpiritum. Quibus dictum eſt: Si uos perſecuti fuerint

in unam ciuitatem, fugite in aliam: hoc eis dictum eſt, ut nec carne hæ rerent, nec ſpiritu.

INTERROGATIO

Cum ueteris & noui Teſtamenti patres Moſen, Aaron, Eliam, Eliſæum, uel cæteros illius temporis ſanctos, atque ipſos Chriſti filij dei apoſtolos diuerſa mirabilia & ſigna legerimus feciſſe, cur econtrario in pſalmo ſeptuageſimo primo ſcribitur: Benedictus dominus deus Iſraël, qui facit mirabilia magna ſolus?

RESPONSIO

Deus facit mirabilia ſolus, quoniam quicunque faciunt, ipſe in eis operatur, qui facit mirabilia ſolus.

INTERROGATIO

De eo quod in pſalmo ſeptuageſimo quarto ſcriptum eſt, Quia calix in manu domini uini meri plenus eſt mixto, uidetur eſſe contrarium: quia & uini meri plenum ipſum calicem dixit, & mixto ſubſecutus adiunxit.

RESPONSIO

Prima quæſtio iuxta quod ſanctus Auguſtinus ait, iſta occurrit: uini meri plenus eſt mixto: quomodo meri ſi mixto? Nõ ergo uos terreat, quia dicit, & merum, & mixtum: merum propter ſynceritatem, mixtum propter fecem. Calix enim uini meri plenus mixto, uidetur mihi eſſe lex quæ data eſt Iudæis, & omnis illa ſcriptura ueteris, quod dicitur, teſtamenti. Ibi ſunt pondera omnium ſententiarum: nam ibi nouum Teſtamentum abſconditum latet, tanquam in fece corporalium ſacramentorum. Circũciſio carnis, magni ſacramenti res eſt, & intelligitur inde circumciſio cordis. Templum illud in Hieruſalem magni ſacramenti res eſt, & intelligitur ex eo corpus domini: terra repromiſſionis intelligitur regnum cœlorum. Sacrificium uictimarum & pecorum magnum habet ſacramentum, ſed in omnibus illis generibus ſacrificiorum intelligitur unum illud ſacrificium & unica uictima in cruce domini: pro quibus omnibus ſacrificijs unum nos habemus quod illa figurabant, & hæc ex illis figurabantur. Accepit populus ille legem, accepit mandata iuſta & bona. Quid tam iuſtum quàm non occides, non mœchaberis, non furaberis, nõ falſum teſtimonium dices, honora patrem & matrem, non concupiſces rem proximi tui, non concupiſces uxorem proximi tui, unum deum adorabis, & ipſi ſoli ſeruies. Omnia iſta ad uinum pertinent: illa uero carnalia quaſi reſederunt, ut remanerent apud illos, & funderetur inde omnis ſpiritualis intellectus. Calix in manu domini, id eſt in poteſtate domini: uini meri, id eſt legis ſynceræ: plenus eſt mixto, id eſt cum fece corporalium ſacramentorum. Et quia hunc humiliat ſuperbum Iudæum, & hunc exaltat confitentem gentilem, inclinauit ex hoc in hunc, id eſt à Iudaico populo in gentilem populũ. Quid inclinauit? Legem

eliquatus eſt inde ſpiritualis intellectus:ueruntamen fex eius non eſt exinanita, quia omnia ſacramenta carnalia apud Iudæos remanſerunt. Bibent omnes peccatores terræ. Qui bibent omnes peccatores terræ? Iudæi erant quidem peccatores, ſed ſuperbi: & gentiles erant peccatores, ſed humiles. Omnes peccatores bibent, ſed uide qui fecem, qui uinum. Etenim illi bibendo fecem euanuerunt,iſti bibendo uinum iuſtificati ſunt.

INTERROGATIO

Cum Pſalmiſta in pſalmo octuageſimo quarto quaſi præterita narrans dicat: Benedixiſti domine terram tuam, auertiſti captiuitatem Iacob. Remiſiſti iniquitatem,&c.uſque,auerſus eſt ab ira indignationis tuæ: quomodo quaſi facta non fuerint, ſtatim ſubiungit: Conuerte nos deus ſalutaris noſter, & auerte iram tuam à nobis,ne in æternum iraſcaris nobis.

RESPONSIO

Quomodo narrat quaſi factum eſſe, & quomodo orat ut fiat, niſi quia uoluit oſtendere præterita uerba ſe in prophetia dixiſſe? nondum autem factum eſſe, quod dicebat iam factum, hinc oſtendit, quia orat ut fiat: nam ſic tibi propheta reſponderet,Illa dico quaſi facta, quæ uideo futura. Quia uero nondum facta ſunt, oro ut ueniant quæ iam uidi.

INTERROGATIO

Cum de deo propheticæ & apoſtolicæ literæ clament, quod ſit idem deus iuſtus & uerax, præſertim Pſalmiſta dicente in pſalmo octuageſimo quinto,Et tu domine miſerator & miſericors, &c. uſque,uerax: quomodo quaſi econtrario uidetur deus ipſe in libro Iob de ſe contra ſatan dixiſſe: Tu autem commouiſti me aduerſus Iob, ut affligerem illum fruſtra. Qui enim iuſtus eſt,affligere fruſtra non potuit, & rurſum quia uerax non potuit aliter dixiſſe quàm fecit.

RESPONSIO

Vt ergo iuſto & ueraci utraq; conueniant, quatenus & uera dicat, & iniuſta non faciat,cognoſcamus beatum Iob, & iuxta aliquid fruſtra, & rurſum iuxta aliquid non fruſtra percuſſum. Beatus ergo Iob & non fruſtra percutitur,quia nullum in eo punitur admiſſum.Deus ergo uerax ſecundũ modum illum locutus eſt, quo beatus Iob non pro puniendis culpis, ſed pro augendis meritis percuſſus eſſe cognoſcitur.

INTERROGATIO

Quæritur quomodo ſibi utraque concordent,id eſt iucunditas & timor, iuxta quod in pſalmo octuageſimo quinto ſcribitur, Iucundetur cor meum ut timeat nomen tuum: quomodo iocunditas ſit timor, nónne timor amarus ſolet eſſe?

RESPONSIO

Erit aliquando iocunditas ſine timore, modo iocunditas cum timore,

Non eſt enim plena ſecuritas nec perfecta iocunditas: ſi nulla iocunditas, defecimus: ſi plena ſecuritas, male exultamus. Ergo & iocunditatem aſpergat, & timorem incutiat: ut de dulcedine iocunditatis perducat nos ad ſedem ſecuritatis, dando timorem non nos faciat male exultare & recedere de uia. Ideo dicit in pſalmo: Seruite domino in timore, & exultate ei in tremore. Sic & Apoſtolus cum timore & tremore ueſtrã ſalutem operamini.

INTERROGATIO

Cum in pſalmo octuageſimo octauo legatur deus ad Dauid iuraſſe, dicẽs: Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar, Semẽ eius in æternũ manebit: & ſedes eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum manebit, & teſtis in cœlo fidelis: quomodo econtrario ſubiungit, Tu uero repuliſti, & ad nihilum deduxiſti, diſtuliſti Chriſtum tuum, euertiſti teſtamentum ſerui tui, &c. perfudiſti eum confuſione. Nunquid ita falſum promittit deus, quod dici ſumma dementia eſt: aut falſum iurat? Quare ergo illa promiſit & iſta fecit?

RESPONSIO

Dauid poſitus erat cui promitterentur hæc omnia in ſemine eius, qui eſt Chriſtus implenda. Propter promiſſa ergo quæ dicta ſunt ad Dauid, expectabant homines ea impleri in Dauid. Proinde ne quiſquam Chriſtianus cum diceret, de Chriſto dixit: alius diceret non, ſed de illo Dauid dixit, & erraret dum diceret impleta omnia eſſe in Dauid: deſtruxit ea in Dauid, ut cum uides ea in illo non impleta, quæ neceſſe eſt impleri, quæras alterum in quo oſtenderentur impleri. Ita etiam & de Eſau & Iacob inuenimus, maiorem adoratum à minore, cum ſcriptum ſit, Maior ſeruiet minori: ut cum in illis duobus præcedentibus uideris non impletum, expectes duos populos in quibus impleatur, quia non mendax deus polliceri dignatur. Ecce ex ſemine tuo, dixit ad Dauid, ponam ſuper ſedem tuam. Promiſit ex ſemine eius in æternum aliquid, & natus Salomon factus eſt tantæ ſapientiæ, ut promiſſio dei de ſemine Dauid in illo putaretur impleta. Sed cecidit Salomon, & dedit locum ſperando Chriſto, ut quoniam deus nec falli poſſit nec fallere, quem ſciebat caſurum, non in eo poneret promiſſum ſuum: ſed poſt caſum eius reſpiceres tu dominum, & flagitares promiſſum tuum. Ergo domine mentitus es, non imples quod promiſiſti, non exhibes quod iuraſti? Forte hic dicturus erat tibi deus, Iuraui quidem & promiſi, ſed iſte noluit perſeuerare. Quid ergo tu domine deus? non præſciebas iſtum non perſeueraturum? utiq; ſciebas. Quare ergo hoc non perſeueraturo, mihi quia in æternum eſſet promittebas? Nónne tu dixiſti, Si dereliquerint legem meam,

& man-

& mandata mea non cuſtodierint,& teſtamentum meum profanauerint, manebit tamen promiſſio mea, implebitur iuratio mea. Semel iuraui in ſancto meo, intus in ſecreto quodam, in ipſo fonte unde prophetæ biberunt, qui nobis hæc ructuauerunt. Semel, inquit, iuraui, ſi Dauid mentiar. Exhibe ergo quod iuraſti, redde quod promiſiſti: ſublatum eſt de iſto Dauid, ne expectaretur in iſto Dauid. Expecta ergo, quod promiſi, nouit illud & ipſe Dauid. Vide enim quid dicat, Tu uero repuliſti, & ad nihilum deduxiſti. Ergo ubi eſt quod promiſiſti, diſtuliſti Chriſtum tuum: quamuis triſtia quædam enumeret, in hoc tamen uerbo reficit nos. Manet omnino deus, quod promiſiſti: nam Chriſtum tuum non abſtuliſti, ſed diſtuliſti. In hoc ergo Dauid, In quo ſperabant ignari promiſſa ſua deum completurum, uidete quid accidit, ut promiſſa dei firmius in alio ſperata compleantur. Euertiſti teſtamentum ſerui tui. Vbi eſt enim Teſtamentum uetus Iudæorum? Vbi eſt terra illa promiſſionis, in qua habitantes peccarunt, qua deleta migrarunt? Regnum Iudæorum quæris, non eſt. Profanaſti in terram ſanctitatem eius. Sancta illa quæ habebant, terrena eſſe oſtendiſti. Deſtruxiſti omnes macerias eius quibus eum munieras. Quando enim diriperetur, niſi maceriæ dirutæ fuiſſent? Poſuiſti munitiones eius in formidinem. Quid eſt formidinem? Vt dicatur peccantibus, Si deus naturalibus ramis non pepercit, neque tibi parcet. Diripuerunt eum omnes tranſeuntes uiam, omnes ſcilicet gentes: per uiam, hoc eſt, per uitam iſtam tranſeuntes, diripuerunt Iſraël, diripuerunt Dauid. Primum uidete fruſta eius in omnibus gentibus, de ipſis enim dictum eſt, Partes uulpium erunt. Reges quippe impios uulpes appellauit ſcriptura, doloſos & timidos, quos terret uirtus aliena: ideo ipſe dominus cum de Herode comminante loqueretur, Dicite, inquit, uulpi illi. Rex qui neminem hominem timet, ipſe uulpis non eſt: leo ille de tribu Iuda, cui dicitur: Aſcendiſti recumbens, dormiuiſti ſicut leo, poteſtate aſcendiſti, poteſtate dormiuiſti, quia uoluiſti dormiſti. Vnde & illud, Ego dormiui. Ergo de quibus dictum erat, Partes uulpium erunt, de his nunc dictum eſt, Diripuerunt eum omnes tranſeuntes uiam, factus eſt obprobrium uicinis ſuis: exaltaſti dexteram inimicorum eius, iucundaſti omnes inimicos eius. Aduertite Iudæos, & uidete omnia impleta quæ prædicta ſunt, Auertiſti adiutorium gladij eius. Quomodo ſolebant pauci dimicare, multos proſternere, Auertiſti adiutorium gladij eius, & non es opitulatus ei in bello. Merito uictus, merito captus, merito à regno ſuo alienatus, merito diſperſus: eam enim terram perdidit, pro qua dominum occidit. Diſſoluiſti eum ab emundatione. Quid eſt hoc? Inter omnia mala magnus hic terror. Si enim diſſoluit ab emundatione, iam non habet mundandum, ſed proijciendum. A qua

ergo

ergo inundatione diſſoluitur Iudæus: à fide. Ex fide enim uiuimus, & fide dictum eſt, Fide mundans corda eorum. Et quia ſola fides Chriſti mūdat, non credendo in Chriſtum ſoluti ſunt ab emundatione: ſedem eius in terra colliſiſti merito & fregiſti, minuiſti dies ſedis eius: putabant ſe in æternum regnaturos, perfudiſti confuſione. Hæc omnia uenerunt Iudæis, non tamen ablato Chriſto, ſed dilato.

INT. Cum Pſalmiſta dicat, Quis eſt homo qui uiuit, & non uidebit mortem: quomodo Chriſtus in Euangelio econtrario uidetur promiſiſſe, dicens: Si quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non uidebit in æternum? RESP. De alia morte Pſalmiſta egit, de alia quoque ſaluator prædixit. Et Pſalmiſta quidem, dicens: Quis eſt homo qui uiuit, & non uidebit mortem? De morte carnis ſciſcitans loquebatur, & confirmans prænunciauit, quia nullus omnino ſit qui uiuat, & non uideat mortem: tanquam ſi diceret, nullus eſt alius homo qui uiuit, & non uideat mortem, niſi ipſe ſolus, qui animam ſuam eruit de manu inferni, id eſt qui pro nobis mortuus eſt, & ultra non moriens reſurrexit. Quia uero dominus in Euangelio loquitur, promittens: Si quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non uidebit in æternum: non de hac corporali morte dixit, qua omnes moriuntur: ſed de morte æterna, id eſt morte damnationis cum diabolo & angelis eius, ipſa eſt uera mors, nam iſta migratio eſt. Secūdum hunc ergo ſenſum non ſunt hæc duo contraria.

INT. Cum Pſalmiſta dicat, Quis ſimilis erit deo inter filios dei: quomodo Apoſtolus dicit, Cum apparuerit ſimiles ei erimus, quoniam uidebimus eum ſicuti eſt? RESP. Vnde ergo ſimiles, & unde non ſimiles? niſi quia huic ſapientiæ & ſimiles erunt ad imaginem, & non erunt ſimiles ad æqualitatem. Aſpiciendo quippe æternitatem dei fit eis ut æterni ſint. Et dum uiſionis eius donum percipiunt, ex perceptione beatitudinis imitantur quod uident: & ſimiles ergo ſunt, quia beati fiunt: & tamen creatori ſimiles non ſunt, quia creatura ſunt: & habent itaque quandam dei ſimilitudinem, quia non habent finem: & tamen incircumſcripti æqualitatem non habent, quia habent circumſcriptionem.

INT. Cum Dauid de Chriſto dicat in pſalmo CIX, Dominus à dextris tuis, quaſi ſignificet deum patrem ad dextram adſiſtere filij: quomodo Paulus quaſi econtra in epiſtola ad Epheſios Chriſtum ad dexteram patris ſedere pronuntians dicat: Sedere eum fecit ad dexteram ſuam in cœleſtibus: præſertim cum id ipſum quod Paulus dicit, & Pſalmiſta in principio prædicti pſalmi teſtetur, dicens: Dixit dominus domino meo. RESP. Cum dicitur, Sede à dextris meis, patet filium ad dextram ſuam collocaſſe intelligitur: & cum dicitur, Dominus à dextris tuis, ad ipſum patrem ſermo dirigitur: quaſi ei dicatur: O deus pater, ecce dominus Chriſtus

ſtus à dextris tuis ſedens, confringet in die iræ ſuæ reges: & nihilominus utroque teſtimonio inſinuatur filius ad patris dexteram ſedens.

INT. Cum Pſalmiſta dicat, Superbo oculo & inſatiabili corde huic non conueſcebar: quomodo econtrario dominus in Euangelio legitur cum ſuperbis & peccatoribus manducaſſe? RESP. Quid eſt, non conueſcebar? non cum illo manducabam, ueſci enim manducare eſt. Cum ergo ipſum primo dominum inuenimus manducaſſe cum ſuperbis: nam ſuperbus quidam inuitauerat illum: ipſe eſt cui diſplicuit: quia mulier peccatrix, quæ erat in ciuitate famoſa, acceſſit ad pedes domini. Iſte phariſæus ſuperbus erat, conueſcebatur cum illo deus. Quomodo nobis proponit hæc, quando ipſe non fecit ad imitationem ſuam nos hortatur? Videmus eum conuiuatum eſſe cum ſuperbis, quomodo nos prohibet, ne conuiuemur cum eis? Conuiuamur nos quidem cum fratribus propter correctionem aliquam: tenemus nos etiam à fratribus noſtris, & non cum eis conuiuamur ut corrigantur. Cum extraneis potius conuiuamur, cum paganis, quàm cum his qui nobis hærent, ſi uiderimus eos male uiuere, ut erubeſcant & corrigantur, ſicut dicit Apoſtolus: Si quis non obaudit uerbo noſtro per Epiſtolam, hunc notate, & nolite commiſceri cum eo: & non ut inimicum exiſtimetis, ſed corripite ut fratrem. Facimus hoc plerunque propter medicinam, & tamen cum extraneis multis & cum impijs ſæpe ueſcimur. Quid eſt hoc, Superbo oculo & inſatiabili corde huic non conueſcebar? Habet epulas ſuas cor pium, habet epulas ſuas cor ſuperbum. Nam propter cibos ipſos cordis ſuperbi, ideo dixit, inſatiabili corde. Cor ſuperbum unde paſcitur? Si ſuperbus eſt inuidus eſt, & aliter non poteſt. Superbia mater inuidentiæ eſt. Omnis ergo ſuperbus inuidus eſt: ſi inuidus eſt, malis alienis paſcitur. Vnde dicit Apoſtolus: Si mordetis & comeditis inuicem, uidete ne ab inuicem conſumamini. Videntes ergo comedentes, nolite his conueſci, fugite tale conuiuium. Neque enim ſe ſatiant gaudendo de malis alienis, quia inſatiabili corde ſunt: caue ne capiaris in epulis eorum.

INT. Cum in pſalmo CVI Pſalmiſta dicat, Et benedixit eos, & multiplicati ſunt nimis, & iumenta eorum non ſunt minorata: quomodo quaſi econtrario uidetur ſubiungere, dicens: Pauci facti ſunt, & uexati ſunt?

RESP. Iumenta & pecora dicuntur in eccleſia ſimpliciter ambulantia, ſed utilia: non multum docta, ſed fide plena. Ergo & ſpirituales & carnales benedixit eos, & multiplicati ſunt nimis, & iumenta eorum non ſunt minorata. Iſtud capitulũ pſalmi ad fideles populos refertur: hoc autẽ quod ſubſequitur, pauci facti ſunt, & uexati ſunt, de hæreticis dicitur: quia omnes qui ſe diuidunt ab unitate, pauci fiunt. Multi enim ſunt, ſed in unitate, dum nõ ſeparantur ab unitate. Cum enim cœperit ad eos non pertinere multitudo

unitatis, in hæreſi & in ſchiſmate pauci ſunt. INT. Cum Pſalmiſta dicat, Non mortui laudabunt te domine: quomodo idem quaſi econtrario uidetur dicere: Laudabo nomen tuum in æternum, & in ſeculum ſeculi. Necnon & illud, Beati qui habitant in domo tua, in ſecula ſeculorum laudabũt te. RESP. Dictum eſt quidem, Non mortui laudabunt te domine, ſed in illis de quibus dicitur, à mortuo uelut qui non ſit perijt confeſſio: nõ illis, de quibus ait: Qui credit in me, licet moriatur, uiuit: quia & deus Abrahã, & deus Iſaac, & deus Iacob non eſt mortuorum, ſed uiuorum. Si enim nunquam niſi ipſius eris, nunquam à laude ipſius tacebis. Audi Apoſtolũ, Nemo enim, inquit, ſibi uiuit & ſibi moritur. Siue enim uiuimus, domino uiuimus: ſiue morimur, domino morimur. Ad hoc enim iterum inquit: Chriſtus mortuus eſt, ut & mortuorum & uiuorum dominetur. Ergo quia magnitudinis eius nõ erit finis, laudis quoq; noſtræ qui deo placebimus, etiã cum mortui fuerimus finis non erit. INT. Cum Pſalmiſta dicat, Nõ enim qui operantur iniquitatem in uijs eius ambulabũt: quomodo credendus eſt Paulus apoſtolus in uijs domini ambulaſſe, cum de ſe ipſe confiteatur, dicens: Non enim quod uolo facio bonum, ſed quod nolo malum hoc ago: præſertim cum econtra idem Paulus in uijs domini ſe ambulaſſe fixis ſententijs proteſtatur, dicens: Nõnne eodem ſpiritu ambulauimus? Et ad Timotheum: Bonũ certamen certaui, curſum conſummaui. Quid eſt hoc? aut ergo ſancti domini non ambulant in uijs domini, aut ſi ambulant, non operantur iniquitatem? Si non operantur iniquitatem, non habent peccatum, quoniam peccatum iniquitas eſt: peccatum autem quomodo non habent, cum dicitur: Si dixerimus quia peccatum non habemus, noſipſos ſeducimus, & ueritas in nobis non eſt. RESP. Audiamus ipſum apoſtolum Paulum de hac quęſtione, ſi placet, imò quia placet interrogemus. Dic nobis Paule beatiſſime, utrum ambulaueris in uijs domini cũ in carne adhuc uiueres? Reſpondet: Nõnne eodem ſpiritu ambulauimus, nõnne iſdẽ ueſtigijs? & illud, per fidẽ enim ambulamus, non per ſpeciem: & illud, bonum certamen certaui, &c. Satis ergo ſint iſta reſponſa, quibus apoſtolum Paulum in uijs domini ambulaſſe didicimus. Sed ab illo & aliud inquiramus: Dic, obſecro, Paule, quando adhuc in carne uiuens in uijs domini ambulabas, habebas peccatum, an ſine peccato eras? Et hic ergo reſpondet: Nõnne legiſtis ubi confiteor, dicens: Non enim quod uolo facio bonum, ſed quod nolo malum hoc ago. Et hoc audiuimus: iam itaq; illud interrogamus: Quomodo in uijs domini ambulabas, ſi malũ quod nolebas hoc agebas, cum pſalmus ſanctus intonet, dicens: Non enim qui operãtur iniquitatem, &c. Audi continuo reſpondentem per ſententiam cõſequentem: Si quod nolo, hoc, inquit, facio: iam ego non operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Ecce quemadmodum qui ambulant in uijs domini, non

operantur peccatum,& tamen non ſunt ſine peccato:quia iam nõ ipſi operantur iniquitatem,ſed quod habitat in eis peccatum. Verum ita ſoluta eſt iſta quæſtio, ut facilior altera naſceretur, quomodo agat homo quod ipſe non agit:utrunq; enim dixit,& non quod uolo ago,& nõ ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Vnde intelligere debemus,quando peccatum quod habitat in nobis operatur in nobis, tunc nos id non operari, quando nequaquam ei uoluntas noſtra conſentit, & tenet etiam corporis membra ne obediant deſiderijs eius. Quid enim operatur peccatum nolentibus nobis, niſi ſola illicita deſideria, quibus ſi uoluntatis non adhibeatur aſſenſus,mouetur quidem nonnullus affectus, ſed nullus ei relaxatur effectus. Hoc præcepit idem Apoſtolus ubi dicit, Non ergo regnet peccatũ in ueſtro mortali corpore ad obediendum deſiderijs eius. Sunt itaque deſideria peccati quibus nos prohibuit obedire: operantur ergo peccatum hæc deſideria, quibus ſi obedimus,& nos operamur. Si autem obtemperantes Apoſtolo,non eis obedimus, non illud nos operamur, ſed quod in nobis habitat peccatũ. Si autẽ deſideria nulla haberemus illicita,nec nos nec peccatum mali aliquid operaretur in nobis. Motum porrò illiciti deſiderij, cui non obediendo non eum nos operamur,ideo & nos agere dicimur,quoniam non eſt naturæ uigor alienæ,ſed languor eſt noſter: à quo languore omnimodo ſalui erimus, cũ & animo & corpore immortales facti fuerimus: quapropter & quia in uijs domini ambulamus, non obedimus deſiderijs peccati: & quia non ſumus ſine peccato, habemus deſideria peccati:ac per hoc iam nos ea non operamur non eis obediendo,ſed quod in nobis habitat peccatum, eadem commouẽdo. Non enim qui operantur iniquitatem, id eſt obediunt deſiderijs peccati, in uijs domini ambulauerunt. Et quoniam tẽtatio eſt uita humana ſuper terram, etiã ſi à criminibus longe ſimus, non tamen deeſt ubi deſiderijs peccati,uel facto,uel dicto,uel cogitato obediamus: quando aduerſus maiora uigilantibus, quædam incautis minuta ſubrepunt: quæ ſi aduerſus nos colligantur, etſi non ſingula ſuis motibus conterunt, omnia tamen aceruo nos obruunt. Et propter hæc etiam ij qui ambulant in uijs domini, dicunt, Dimitte nobis debita noſtra: quoniã ad uias domini & ipſa oratio pertinet & ipſa confeſſio,quãuis non ad eas peccata pertineant. Itaq; in uijs domini, quas omnes fides una complectitur, quia in eum creditur qui iuſtificat impium,qui etiam dixit:Ego ſum uia,nemo peccatum operatur,ſed confitetur. Deuiat ergo cum peccat, & ideo peccatũ uiæ non tribuitur,quod à deuiante cõmittitur. Sed in uia fidei pro nõ peccantibus habentur,quibus peccata non imputantur. De quibus apoſtolus Paulus iuſtitiam fidei commendans in pſalmis ſcriptum eſſe monſtrauit: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata: beatus uir,cui non imputauit dominus peccatum. In hac autem uia, id eſt

D in fide

in fide pia,quiſquis ambulat, aut peccatum non operatur, aut ſi quid à deuiante cōmittitur,propter uiam non imputatur,& tanquam nō fuerit operatus accipitur:& ideo bene etiā ſic intelligitur: Non eñ qui operantur iniquitatem in uijs eius ambulauerunt, ut hanc iniquitatem ſignificauerit qui recedit à fide, aut non accedit ad fidem. Qui ergo operantur iniquitatem, id eſt infidelitatem,non in uijs eius ambulauerunt,quia Chriſtum non crediderunt. INT. Cum Pſalmiſta dicat, In corde meo abſcondi eloquia tua,&c.quomodo conſequens eſt,ut ſubiungere uideatur, dicens: Benedictus es domine, doce me iuſtificationes tuas? RESP. Quomodo adhuc ea quærit diſcere,quæ abſcondita iam cuſtodit in corde, quod utiq; nō feciſſet,niſi ea didiciſſet: niſi quia eas uult faciendo diſcere, non loquendo, uel memoria retinendo. Quoniā ergo,ſicut in alio pſalmo legitur, benedictionem dabit qui legem dedit: ideo benedictus es domine, doce me iuſtificationes tuas: qui enim in corde meo abſcondi eloquia tua,ut non peccem tibi:legem dediſti,da etiam benedictionem gratiæ, ut faciendo diſcam quæ intimādo iuſſiſti. INT. Quomodo Dauid dicit,In labijs meis pronunciaui omnia iudicia oris tui, cū Paulus apoſtolus dicat,inſcrutabilia eſſe iudicia dei,& inueſtigabiles uias eius. Quis omnia iudicia dei enuntiare poſſit,cum inueſtigare non poſſit. RESP. Nunquid iudicia dei neſcit eccleſia? ſcit planè,nam ſcit utiq; qualibus dicturus ſit iudex uiuorum & mortuorum, Venite benedicti patris mei,percipite regnum. Et qualibus dicturus ſit,Ite in ignem æternū.Scit inquam,neq; fornicatores,neq; idolis ſeruientes,neq; illos atq; illos quos ibi apoſtolus Paulus enumerat, regnū dei poſſeſſuros. Scit iram & indignationem, tribulationē & anguſtias in omnem animam hominis operantis malum,Iudęi primum & Græci:gloriam uero & honorem & pacem omni operanti bonū, Iudæo primū & Græco. Hæc atque huiuſmodi iudicia dei euidenter expreſſa nouit eccleſia, ſed non ipſa ſunt omnia, cū ſint quædam inſcrutabilia,& ſicut multa abyſſus profunda & occulta. An & ipſa nota ſunt quibuſdā excellentioribus membris hominis huius,qui cū ſuo capite ſaluatore totus eſt Chriſtus? Inſcrutabilia enim fortaſſe dicta ſunt homini,quia uiribus ſuis ea non poteſt perſcrutari. Sed cur non poſſit dono ſpiritus ſancti, cuicunq; hoc dominus conferre dignatur? Sic enim & illud dictum eſt, Deus habitat lucem inacceſſibilem:& audimus tamen,Accedite ad me & illuminamini:quæ utiq; quæſtio ita ſoluitur,ut inacceſſibilis ſit uiribus noſtris,accedatur autem ad eum muneribus ſuis.Quanquā & ſic nemini omnino ſanctorum,quandiu corpus quod corrumpitur aggrauat animam,omnia iudicia dei ſcire conceditur: quia reuera multum eſt ad hominem: cum profecto, ut aliquid exempli gratia dicam, unde iudiciorum dei conijciatur immenſitas, cum nemo ſine iudicio dei ſit tardus in animo, uel claudus in corpore. Habet tamen unde dicat ec-

clesia,

cleſia,hoc eſt populus acquiſitionis, & ueraciter dicat:In labijs meis enun/
tiaui omnia iudicia oris tui:id eſt nihil iudiciorum tuorum tacui, quæ mihi
per eloquia tua innoteſcere uoluiſti, ſed omnia prorſus in labijs meis enun
tiaui.Hoc enim ſignificatur, quia non ait, Omnia iudicia tua: ſed, Omnia
iudicia oris tui, id eſt quod mihi dixiſti:ut per os eius eloquium eius intel/
ligamus,quod factum nos in reuelationibus ſanctorum pluribus & Teſta
mentis duobus ſcimus,quæ omnia iudicia uſquequaque in labijs ſuis enun
tiare non ceſſat eccleſia. INT. Cum Pſalmiſta in centeſimo decimo
octauo pſalmo dicat,A iudicijs tuis nō declinaui: quomodo in ſubſequen
tibus ipſe quaſi econtrario expetere uideatur, dicens: Iudicia tua doce me:
quomodo ergo à iudicijs non declinauit,ſi ea non nouerat? Porrò ſi noue/
rat,quomodo ea doceri ſe petebat? RESP. AVGVSTINVS hoc
ita exponit,dicens: Vt intelligeremus uerba proficientis, & addi ſibi ad id
quod acceperat poſtulantis. INT. Quomodo concordantia approben
tur, quæ contraria ſibi uidentur de his quæ Pſalmiſta dicit, Euangelium
econtra reſpondit.Sic enim de charitate Pſalmiſta ſcribit: Latum manda/
tum tuum nimis.Et iterum:Statuiſti in ſpatioſo loco pedes meos. Si igitur
lata eſt charitas per quam pergitur ad deum, quomodo econtra in Euan/
gelio dominus dicit: Intrate per anguſtam portam. Item alia duo ſimilia
quæ ſibi uidentur eſſe contraria,dicit enim Pſalmiſta:Propter uerba labio/
rum tuorum ego cuſtodiui uias duras; & quaſi econtra dominus in Euan/
gelio dicit:Iugum meum ſuaue eſt,& onus meum leue: quomodo ergo la/
ta eſt charitas,ſi anguſtā porta? quomodo iugum ſuaue eſt & onus leue,ſi
in præceptis dei hæ uiæ duræ ſunt quę cuſtodiuntur? RESP. Sed hanc
nobis quæſtionem citius ipſa charitas ſoluit, quia uia dei & inchoantibus
anguſta eſt, & perfecte iam uiuentibus lata:& dura ſunt quæ contra uſum
ſpiritualiter in animo proponimus: & tamen onus dei leue eſt, poſtquàm
hoc ferre cœperimus, ita ut pro amore eius & perſecutio placeat, & omnis
pro eo afflictio in mentis dulcedine ueniat. Sicut ſancti quoque apoſtoli
gaudebant,cum pro domino flagella tolerabant. Ipſa ergo anguſta porta
amantibus lata fit, ipſæ uiæ duræ,ſpiritualiter currentibus mol[illegible]s & planæ
fiunt. Dum enim ſciat animus ſe pro temporalibus doloribus gaudia æter
na recipere, & hoc incipit per quod affligitur amare. INT. Cū Dauid
in pſalmo centeſimo quadrageſimo ſecundo dicat, Non iuſtificabitur in
conſpectu tuo omnis homo uiuens: quomodo quaſi econtrario Paulus ui/
detur dicere,Elegit nos in Chriſto ante conſtitutionem mundi,ut eſſemus
ſancti & immaculati corā ipſo. Aut enim ſancti & immaculati coram deo
Epheſij ſunt,quibus Apoſtolus ſcribit,& falſum eſt quod dicitur, Non iu/
ſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens. Aut ſi nemo iuſtificabitur in
conſpectu dei,falſum eſt quod præceſſit, ſanctos & immaculatos eſſe in cō

ſpectũ dei. RESP. Ad hæc bifarie reſpondendũ eſt, non enim ait Paulus: Elegit nos ante conſtitutionem mundi, cũ eſſemus ſancti & immaculati: ſed, elegit nos ut eſſemus: hoc eſt, qui ſancti & immaculati ante non fuimus, ut poſtea eſſemus: quia & de peccatoribus ad meliora cõuerſis dici poteſt, & ſtat illa ſententia, Non iuſtificabitur in cõſpectu tuo omnis uiuens: id eſt in tota uita ſua, in omni quod in mũdo iſto uerſatus eſt tempore. Nõ enim eliguntur Paulus & qui ei ſimiles, non quia erant ſancti & immaculati: ſed eliguntur & prædeſtinantur, ut in conſequenti uita per opera & uirtutes ſancti & immaculati fiant. Deinde & ſic ſentiẽdum eſt, quia dixerit, Nõ iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens, id eſt, non iuſtificabitur omnis, iuſtificabuntur aliqui. INT. Cum in CXLIIII pſalmo ſcribatur de deo, Magnitudinis eius nõ eſt finis: quomodo in pſalmo LXXXVIII quaſi econtrario dicitur, Deus qui glorificatur in cõſilio iuſtorum, magnus & terribilis ſuper omnes q in circuitu eius ſunt? Si ubiq; deus, qui poterunt eſſe in circuitu eius, ut ille quaſi in mediũ poſitus ab alijs circũdetur? Si enĩ habet aliquos in circuitu, quaſi undiq; finitus intelligitur. Porrò ſi uerũ dictum eſt de deo, magnitudinis eius non eſt finis, qui remanent, qui ſunt in circuitu eius? RESP. Niſi quia ille qui ubiq; eſt uoluit per carnẽ in uno loco naſci, in una gente conuerſari, in uno loco crucifigi, ex uno loco reſurgere, ex uno loco ad cœlũ aſcendere, ubi hoc fecit in circuitu eius gentes ſunt. Si ibi remaneret ubi iſta fecit, nõ eſſet magnus & terribilis in omnes qui in circuitu eius ſunt: quia uero ibi ſic prædicauit, ut inde ſui nominis mitteret prædicatores per omnes gentes toto orbe terrarum, faciendo miracula per ſeruos ſuos, factus eſt magnus & terribilis in omnes q in circuitu eius ſunt.

INT. Cũ Pſalmiſta dicat, Prope eſt dominus omnibus inuocantibus ſe in ueritate: quomodo Salomon dicit, Inuocabunt me, & non exaudiam? RESP. Multi dominũ inuocant, ſed nõ in ueritate, quærentes ab illo terrenarum rerũ lucra, uel prædia alia ab illo quærunt, & ipſum non quærunt. Qui autẽ dominũ ipſum à quo acceperunt de quibus gaudent, præponunt omnibus rebus quas acceperunt, & ipſum deum nõ propter aliud aliquid, ſed propter ſemetipſum quærunt, & amare uident: ij omnes qui in ueritate inuocant dominum, & prope eſſe eis dominus creditur: nõ omnibus ſcilicet qui & mala ab illo petunt, & tranſitoria quærũt: ſed hos tantũ omnes dicit quibus inuocantibus ſe in ueritate proximus fit, qui ea ſibi à domino dari expetunt, quæ ipſi domino placita ſunt. INT. Cũ in Prouerbijs Salomonis ſcriptura ex uoce dei loquatur, dicens: Inuocabunt me, & non exaudiã eos: quomodo in Pſalmo LXXXV ſcribitur, Tu domine ſuauis & mitis es, & multũ miſericors omnibus inuocantibus te. Si omnes inuocãtes ſe deus exaudit, quomodo hic dicit, Inuocabũt, & nõ exaudiã eos? RESP. Sũt enim qui deũ inuocãt propter deũ, & ſunt qui inuocãt propter aliud, quod

deus

deus dare nō uult. Illi qui ſecundū domini uoluntatē petunt quę deus ūtiꝗ
iuſſit, inueniunť in pſalmi huius uerſu quo ſcribiť, Multū miſericors inuo/
cantibus te. Illi aūt qui deū nō propter deū inuocāt, ſed aliquid ſibi dari cō
tra dei uoluntatē petunt, ij reprobanť domini uoce qua diciť, Inuocabūt, &
nō exaudiā eos. Quidam inuocātes nō inuocant dominū, de quibus diciť,
Dominū nō inuocauerūt: ſed propterea inuocāt, ut ueniat ad eos pecunia
hæreditas & ſecularis dignitas: qui ſic inuocat deū, ſibi adiutorē ponit cupi
ditatū, nō exauditorē deſideriorū. Vide inuocātē deū in alio pſalmo, Vnā
petij à domino, hāc reqrā. Quid eſt q̊d petijt? Vt inhabitē in domo domi
ni per oēs dies uitæ meæ. Vt quid hoc? Vt contempler delectationē domi/
ni. Si ergo amator es, ſi ſynceriſſimis medullis caſtisꝗ ſuſpiras, ipſum dili/
ge, ipſum ama, illi flagra, illi inhia, quo iucundius nihil inuenis. Si ergo ſic
diligis & ſic inuocas deū, pertines ad iſtū uerſum, Et multū miſericors om/
nibus inuocātibus ſe. INT. Cū Salomon in Prouerbijs de uia iniqui/
tatis loquať, dicens: Omnis qui ambulat in ea, nō reuerteť: quomodo Pau/
lus à perſecutione & blaſphemia rediens, dicit: Qui fui blaſphemus & per/
ſecutor. Et Petrus à negatione ad fletū cōuerſus, reſpectum Chriſti prome
ruit? RESP. Per ſeipſum homo poteſt in illa uia iniquitatis ambulare,
nō poteſt aūt per ſeipſum redire, niſi gratia reuoceť. INT. Cū Salomon
dicat, Iuſtus manducans replebit animā ſuā, animæ aūt impiorū in egeſta
te ſunt: quomodo Paulus apoſtolus, qui utiꝗ iuſtus erat, quaſi ecōtrario di
cebat, Vſꝗ ad hanc horā & eſurimus, & ſitimus: necnon & illud ubi dicit,
In fame & ſiti, & in ieiunijs multis. RESP. Iuſtus ſine intermiſſione ci/
bo ſermonis dei aliť, cū impius nō participať. Hoc pane cœleſti & iuſtus ſa
tiať. & impius abſtinetur: & ideo Paulus nō de iſto pane cœleſti ſe dicebat
eſurire, de quo plenius ſatiatus erat: ſed de iſto corporeo pane, quo uita ho
minis ſuſtentať. INT. Cū Salomon dicat, Cor regis in manu dei eſt, &
ubi uoluerit uertet illud: quomodo Daniel econtrario uidetur de Nabu/
chodonoſor dixiſſe, Quos uolebat interficiebat, & quos uolebat percutie/
bat, quos uolebat exaltabat, & quos uolebat humiliabat. Si in huiuſcemo/
di honoribus & percuſſionibus exaltatione & humiliatione nō eſt dei pro
uidētia, nec præceptū, ſed eorū uolūtas qui percutiūt quos uoluerint & exal
tant: quomodo ergo accipiť cor regis in manu dei eſſe? RESP. Niſi for
te ſanctū aliquē dicamus regē, cuius nō regnat peccatū in mortali corpore,
& cuius ideo ſeruať cor, quia in manu dei eſt. Quicquid aūt in manu dei pa
tris fuerit, nullus poteſt rapere ex ea: & quicunꝗ raptus fuerit, intelligiť in
manu domini nō fuiſſe. INT. Quomodo Salomon pro diuiſione aqua
rum utrunꝗ præcipiat, id eſt & in plateis aquas ſuas quiſquis ille diuidat,
& ecōtra ut ſolus eas habeat, ait em̄: Deriuenť fontes tui foras, & in plateis
aquas diuide: & ecōtra, habeto eas ſolus, &c. RESP. Aquā prædicator

de ciſterna ſua bibet,cũ ad cor ſuũ rediẽs prius audit ipſe quod dicit, Bibet ſui fluenta putei,ſui irrigatione infunditur uerbi. Vbi bene ſubiungiť,Deriuenť fontes tui foras,& in plateis aquas diuide. Rectũ quippe eſt, ut prius ipſe bibat,& tunc prædicando alijs influat. Fontes nãq; foras deriuare, eſt exterius alijs uim prædicationis infundere. In plateis autẽ aquas diuidere, eſt in magna auditorũ amplitudine iuxta uniuſcuiuſq; qualitatẽ diuina eloquia diſpenſare.Et quia plerunq; inanis gloriæ appetitus ſubrepit,dum ſermo dei ad multorũ notitiã currit,poſtq̃ dictum eſt, In plateis aquas diuide,recte ſubiũgitur, Habeto eas ſolus,nec ſint alieni participes tui.Alienos quippe malignus ſpiritus uocat,de quibus per prophetã tentati uoce hominis dicitur, Alieni inſurrexerunt in me.Ait ergo:Aquas in plateis diuide,& ſolus eas habe:ac ſi apertius dicat, Sic neceſſe eſt,ut prædicationi exterius ſeruias,quatenus per elationẽ te malignis ſpiritibus nõ coniũgas,ne in diuini uerbi miniſterio hoſtes tuos ad te participes admittas. Aquam ergo in plateis diuidimus,& tamen ſoli poſſidemus,quando exterius late prædicationem fundimus,& tamen per eam humanas laudes aſſequi minime ambimus. INT. Quomodo Salomon dicat, Peccatores perſequitur malũ, & econtra Hieremias,Bene eſt omnibus qui prępuaricantur & inique agũt. RESP. Propheta cũ deo ſuper hac impiorũ proſperitate diſceptans, anxius pro afflictione ſanctorũ, uidens eos ærumnis uarijs ac tentationibus ſubiacere: & econtra peccatores non ſolum abſq; ullo humiliationis flagello curſum mũdi iſtius pertranſire,ſed etiã affluentia diuitiarum, ac ſumma rerum omnium proſperitate gaudere,intolerabili zelo ac ſpiritus ſui feruore ſuccenſus exclamat, Quare uia impiorũ proſperatur, bene eſt omnibus qui præuaricantur & iniq; agunt? Hæc propheta dicendo nõ approbauit quia bona præſentia peccatores pro meritis cõſequanť: ſed cur eis qui male agunt hic bene ſit,quodãmodo anxioſe conqueritur. Duo itaq; ſuperiora ſibi contraria nõ ſunt,dum peccatores ſic in præſenti ſeculo bona præſentia ſequantur,ut tamen futurum eos malũ excipiat, dum male uiuentes & bene in præſenti ſeculo habentes,ſubito ad inferna deſcendere prædicunť.

INT. Quomodo Salomoni præcipienti, Laudet te os alienũ & non tuum,extranei magis quàm labia tua,uideatur Iob contraria dixiſſe,cum laudes ſuas ſic enumerat,dicens:Oculus fui cæco & pes claudo, &c. RESP. In eo quod dicit,Laudet te os alienũ & nõ tuũ,appetitũ uanæ gloriæ prohibet.id eſt cũ bona noſtra alijs nuntiamus, nõ dei, ſed noſtrã gloriã augere cupiamus:quia qui plauſibiliter facere intẽdunt, ut uere immundi à domino reprobanť.Scriptũ eſt enim: Immundus eſt apud deũ omnis qui exaltat cor.Iã uero cũ uiri ſancti de ſe bona pronũtiant, nõ cõtra ſuperioris præcepti regulã agunt,qui in uirtutibus quas de ſe prædicãt,& in bonis quæ ſe egiſſe cõmemorant,nõ ſuã,ſed dei gloriã narrãt: nec ut ipſi apud homines

ſua

ſua oſtenſione proficiant,ſed ut eos quibus prædicāt, & exēplo ſuo ad uitā trahāt.Ergo cū ſic ſuas laudes nūtiant,nō ore ſuo ſe laudāt,quia nō ſuā, ſed domini gloriā in ſe prędicāt: unde nō erūt prę cepto ſuperiori cōtraria,quia nō ore ſuo,id eſt uitio affectandæ laudis de ſe bona pronuntiāt: ſed ſpiritu dei quo introrſus agunť, dona dei quæ in ſe cernūt utiq; narrāt:& ideo alieno quaſi ore laudanť, cū ſpiritu dei qui alienus eſt utiq; à mūdano cōtagio bona taliū prædicanť. Vnde & Apoſtolus,Qui gloriať, in domino glorietur:nō enim qui ſeipſum cōmēdat ille probatus eſt,ſed quē deus cōmēdat. Nā & Moſes nō ore ſuo,ſed alieno laudaſſe ſe uiſus eſt,cū ſpiritus ſancti uegetatione cōpulſus,ſic de ſe tanquā ſi de alio laudē protulit,dicēs: Erat Moſes uir mitiſſimus,ſuper omnes homines qui morabanť in terra. INT. Cū Salomon dicat,Generatio præterit,& generatio aduenit , terra uero in æternū ſtabit:quō Iob dicit,omnia hæc humiliari & auferri. RES. Quod tamē facile diſcutimus ſi terra & cœlū uel qualiter trāſeat,uel qualiter maneat diſtinguamus:utraq; nāq; hęc per eā quā nūc habēt imaginē trāſeūt,ſed tamen per eſſentiā ſine fine ſubſiſtunt.Hinc nāq; per Paulū diciť,Præterit eñ figura huius mūdi,quę qdē nō alia cōdēda ſunt,ſed hęc ipſa renouanť: cœlū igiť & terra trāſijt,& erit,qa & ab ea quā nūc habet ſpeciē,per ignē tergiť,& tamē in ſua ſemper natura ſeruať. Vnde & per Pſalmiſtā diciť:Mutabis ea,& mutabunť,quā quidē ultimā cōmutationē ſuā ipſis nūc nobis uiciſſitudinibus nuntiāt,quibus noſtris uiſibus indeſinēter alternāt : nā terra à ſua ſpecie hiemali ariditate deficit,uernali humore uirideſcit, cœlū qtidie caligine noctis obduciť,& diurna claritate renouať. INT. Cū Salomon dicat,Nō permaneas in opere malo:quō in Apocalypſi angelus loquať ecōtra,qui nocet noceat adhuc,& qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc. RESP. Omnis qui deo ueraciter per timorē ſubdiť,nouit uolūtatē domini iubētis, ut declinet à malo,& faciat bonū.Ergo qa angelus Ioāni loquiť,dicēs: Qui nocet noceat adhuc,& qui in ſordibus eſt,ſordeſcat adhuc,nō præcipiendo ſed prædicēdo uel prophetādo id loquiť, nec præceptū inducit ut hominibus expediat nocere uel ſordidare, ſed prædicit potius uel prophetat, quid p cōſummata iniqtate talibus euenire poſſit.Ad hoc etiā pertinet uerſus ille Pſalmi ubi diciť,Cōſummeť nequitia peccatorū, qd Auguſtinus ita exponit,Cōſummeť,inquit,perficiať,ſecūdū illud quod eſt in Apocalypſi,Iuſtus iuſtior fiat,&c. Videtur enim cōſummata nequitia hominū qui crucifixerunt filiū dei,ſed eorū maior eſt qui nolunt recte uiuere,& oderūt præcepta ueritatis pro quibus crucifixus eſt filius dei . Conſummeť ergo,inquit, neqtia peccatorū,id eſt perueniať ad ſummā neqtiā,ut poſſit iuſtū iā uenire iudiciū. INT. Cū una ſit eccleſia,teſtāte Salomone,Vna eſt pfecta mea, una eſt colūba mea,dicēte quoq; Apoſtolo,Eccleſia dei uiui quę eſt colūna & firmamētū ueritatis:qmodo Ioānes in Apocalypſi ſeptē ſcripſit eccleſijs.

RESP. Niſi ut una catholica ſeptiformi plena ſpiritu deſignetur, ſicut & de domino nouimus dixiſſe Salomon: Sapientia ædificauit ſibi domũ,excidit columnas ſeptẽ,quæ tamen ſeptẽ una eſſe non ambigit͛,dicente Apoſtolo:Eccleſia dei uiui,quæ eſt colũna & firmamentũ ueritatis. INT. Cũ ſcriptũ ſit in libro Salomonis,Spiritus domini repleuit orbẽ terrarum:quõ econtrario in Ezechiele idẽ ipſe ſpiritus diſcurrens dicat͛, uel in libro ſapien tiæ modo mobilis,modo ſtabilis nominet͛. RESP. Cur iſte ſpiritus qui implet omnia ſimul mobilis & ſtabilis dicat͛,ſi ad uſum cõſuetudinis huma næ recurrimus,ſenſum citius loquẽtis inuenimus.Homo quippe quia in ea regione in qua eſt ubiq; diſcurrit,proculdubio ubiq; obuiã uenit, & repẽte ubi nõ credit͛ inuenit͛.Omnipotentis ergo ſpiritus ut ubiq; præſentia ſigna ret͛,& mobilis & ſtabilis dicit͛.Stabilis,quia per naturã omnia cõtinet.Mo bilis aũt dicitur,quia ubiq; etiã neſciẽtibus occurrit:tenens ergo omnia ſtabilis,præſentẽ ſe omnibus exhibens mobilis appellat͛.Poteſt & aliter intel ligi:in ſanctorũ quippe cordibus iuxta quaſdã uirtutes ſemp̱ manet, iuxta quaſdã uero receſſurus uenit,& uenturus recedit: in fide etem̃ ſpe atq; charitate,& in bonis alijs ſine quibus ad cœleſtẽ patriã nõ poteſt perueniri, ſicut eſt humilitas,charitas,iuſtitia,atq; miſericordia,perfectorũ corda nõ de ſerit.In prophetiæ uero uirtute,doctrinæ facundia,miraculorũ exhibitione electis ſuis aliquãdo adeſt,aliquãdo ſe ſubtrahit:adeſt ut eleuent͛ ad ſemet ipſum,ſubtrahit ut humilientur. INT. Cũ in utroq; Teſtamento ſpiritus dei bonus eſſe legatur, ſicut inter cætera illud in Salomone eſt, Spiritũ tuum bonũ dediſti eis domine:quomodo in libris Regũ ſcribitur, quia ſpiritus domini malus irruebat in Saul,utrunq; uidelicet ſonans,& domini & malus:ſi domini,cur malus: ſi malus,quomodo domini dicitur? RESP. Spiritus dei ſanctus qui tertia eſt in trinitate perſona,bonus eſt utiq;,de q̃ in libro Sapientiæ legitur,quod ſit multiplex,ſubtilis,mobilis,diſertus,inco inquinatus, certus, ſuauis, amans bonũ, acutus, qui nihil uetat benefacere. Hic aũt ſpiritus qui & domini dicitur & malus,nõ niſi diabolus debet intel ligi:domini uidelicet per licẽtiã poteſtatis iuſtæ,Malus autẽ per deſideriũ uoluntatis iniuſtæ.Omnis enim uoluntas diaboli iniuſta eſt,& tamen permittente deo,omnis poteſtas iuſta.Nam & ipſe dicitur ſpiritus malus,pro pter nequiſſimã uoluntatẽ:ſpiritus domini,propter acceptã iuſtiſſimã pote ſtatem. INT. Quomodo in Sapientiæ libro dicit͛ deo,Cũ ſis iuſtus,iuſte omnia diſponis:cũ ſtatim econtra ibidẽ ſubiungatur, Ipſum quoq; qui nõ debet puniri cõdemnas,& exterum extimas à tua uirtute:quomodo iuſtus eſt & omnia iuſte diſponit,ſi eũ qui nõ debet puniri cõdẽnat? RESP. Mediator eñ noſter puniri pro ſemetipſo nõ debuit,qa nullũ culpæ cõtagiũ perpetrauit:ſed ſi ipſe indebitã nõ ſuſciperet, nũquã nos à debita morte liberaret.Pater ergo cũ iuſtus ſit,iuſtũ puniẽs,omnia iuſte diſponit:quia

per hoc

per hoc cũcta iuſtificat,quo eum qui ſine peccato eſt, pro peccatoribus damnat:ut eo electa omnia ad culmen iuſtitiæ ſurgerent, quo is qui eſt ſuper omnia, damna iniuſtitiæ noſtræ ſuſtineret. INT. Cũ Salomon dicat, Eſt confuſio adducens peccatũ:quomodo idem quaſi econtrario ibi ſubiungit, Eſt cõfuſio adducens gloriã. RESP. Sicut uerecũdia laudabilis eſt in malo,ita reprehẽſibilis eſt in bono.Erubeſcere enim malũ ſapientiæ eſt, bonũ uero erubeſcere fatuitatis. Qui enim erubeſcit pœnitendo mala quæ fecit,ad uitæ libertatem peruenit: qui uero erubeſcit bona facere, à ſtatu rectitudinis cadit, atq; ad damnationẽ tendit. INT. Cum Salomon dicat, Ne iteres uerbum in tua oratione,quomodo Paulus quaſi econtra præcipit,dicens:Sine intermiſſione orate. RESP. Solerter debemus meminiſſe quod dicit̃,Ne iteres uerbũ in tua oratione, quo uidelicet dicto uir ſapiẽs nequaquã nos prohibet ſæpe ueniã petere,ſed culpas iterare:ac ſi aperte dicat,Cum male geſta defleueris, nequaquã rurſum facias quod in precibus iterũ plangas. Qui ergo uerbum in oratione iterari uetuit,nõ orationis frequentiã interdixit, ſed culpas iterare prohibuit. INT. Cum Ieſus filius Sirach dicat,Initium omnis peccati ſuperbia:quomodo item Apoſtolus dicit, Radix omniũ malorum cupiditas. RESP. Sermonẽ propheticum Paulus apoſtolus hoc dicendo, ut ſolet,expoſuit, quandoquidẽ ſiue initium omnis peccati,ſiue radicem omniũ malorum dicas,unũ idemq; ſignificas.Porrò cupiditas atq; ſuperbia intantũ unum eſt malum,ut nec ſuperbus ſine cupiditate,nec ſine ſuperbia poſſit cupidus inueniri. Siquidẽ & diabolus in quo tenet ſuperbiæ principatũ, propriæ poteſtatis ac perditionis humanæ cupidus fuit: & ipſe homo per appetitũ arboris interdictæ ac diuinæ ſimilitudinis affectationẽ, morboſæ affectum cupiditatis oſtendit: ideoq; ſi uolumus cõſummare noſtri certaminis curſum, caueamus in primis cupiditatẽ atq; ſuperbiã, non duo mala,ſed unũ,à quo trahunt omnes mali actus initium. Nã ſine ſuperbia quæ poſſunt ſaltẽ inchoari peccata, cũ dicatur, Initiũ omnis peccati ſuperbia: aut ſine cupiditate quæ eſt malorum omniũ radix,quę poſſunt fieri mala,cũ ſine radice omnia aut nulla deputent̃,aut mortua? Deinde ſi quodlibet peccatũ perpetrare nõ poſſum,niſi meæ delectationi conſentiã,quod cupiditatis eſt propriũ: & dei pręcepta contemnam,quod eſt ſuperbiæ malum: quomodo non ex cupiditate quæ eſt malorum omnium,& ex ſuperbia quæ initiũ omnis peccati, dicitur procedit omne peccatum? De hoc etiam quidã alius doctor ita dicit, ait enim: Cum ſuperbia ſit amor excellentiæ propriæ,inuidentia uero ſit odium felicitatis alienæ: quid unde naſcatur, ſatis in promptu eſt: amando enim quiſq; excellentiam ſuam uel paribus inuidet,qui ei coæquentur,uel inferioribus ne ſibi coæquentur,uel ſuperioribus,quia eis non coæquatur. Superbiendo igitur inuidus,non inuidendo quiſq; ſuperbus eſt: merito initium

omnis

omnis peccati ſuperbia. Cui teſtimonio non inconuenienter aptatur etiam illud quod Apoſtolus ait, Radix omnium malorum eſt auaritia: ſi auaritiam generalem intelligamus, qua quiſque appetit aliquid amplius quàm oportet, propter excellentiam ſuam, & quendam propriæ rei amorẽ: cui ſapienter nomen latina lingua indidit, cum appellauit priuatam, quod potius à detrimento quàm ab incremento dictum elucet, omnis enim priuatio minuit. Vnde itaque uult eminere ſuperbia, inde in anguſtias egeſtatem que contruditur, cum ad commune Reipub. damnum ſui amore redigitur. Specialis eſt autem auaritia, quæ uſitatius appellatur amor pecuniæ, cuius nomen Apoſtolus per ſpeciem genus ſignificans, uniuerſalem auaritiam uolebat intelligi, dicendo, Radix omnium malorum eſt auaritia. Hac enim & diabolus cecidit, qui utique non amauit pecuniam, ſed propriam poteſtatem. Proinde peruerſus ſui amor priuat ſancta ſocietate turgidum ſpiritum, cumque coartat miſeria iam per iniquitatem ſatiari cupientem.

INT. Quomodo in Eccleſiaſtico habetur, Si benefeceris, ſcito cui benefeceris, & erit gratia in donis tuis multa: cum contrarium illud uideatur eſſe præceptum, Ne eligas cui benefacias. RESP. Hoc loco in quo ſcribitur, Ne eligas cui benefacias, nihil mihi probabilius aliud occurrit, quàm quod Chriſtus in Euãgelio dicit, ubi ait: Cum facis prandiũ aut cœnã, noli uocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos tuos, neque uicinos diuites, ne forte & ipſi te inuitent, & fiat tibi retributio: ſed cum facis cõuiuium, uoca pauperes, debiles, claudos, cæcos, & beatus eris: quia non habent unde retribuere tibi. Ergo hoc eſt quod dicit, Ne eligas cui benefacias: quod & Chriſtus modo confirmat, dicendo, Noli uocare diuites. Dicitur ergo, Ne eligas cui benefacias: ac ſi diceretur, ne uſus eleemoſynæ tuæ in diuitum perſonis expendas, ne electione libitus tui non egentem conſiderando teſ cias, ſed perſonas eligendo diuitum paſcas. Nam, ut quidam ſapiens dixit, quid eſt aliud habenti dare, quàm perdere? Iam uero illud quod ait, Si benefeceris, ſcito cui benefeceris: ſic intelligitur, ut conſideretur in largiendo ætas, atque debilitas, nonnunquam etiam uerecundia, quæ ingenuos prodit natales: ut ſenibus plus largiaris, qui ſibi labore iam non queunt uictũ quęrere. Similiter & debilitas corporis, & hæc iuuanda promptius: tunc ſiquis ex diuite cecidit in egeſtatẽ, & maxime ſi non uitio ſuo, ſed aut latrocinijs, aut proſcriptione, aut calumnijs quæ habebat amiſit. Hæc ſi diligentius ſecundum quod dictum eſt conſiderentur, repugnari ſibi nullo modo uidebũtur: in uno enim eodemque præcepto domini utraque expoſita inuenimus: in eo enim q̃d dicit: Noli uocare amicos tuos, fratres, cognatos, uel diuites, intelligitur illud, Ne eligas cui benefacias. Quod autem in eadem Euangeli ca lectione ſubiungitur, Voca pauperes debiles, claudos, cæcos, ad hoc pertinet quod in Eccleſiaſtico ſcribitur: Si benefeceris, ſcito cui benefeceris. Ergo

go cum ſcribitur, Ne eligas, ſubaudire neceſſe eſt, habentes quibus beneſa/
cias. INT. Cum ſcriptum ſit in libro Ieſu filij Sirach, Da bono, & non
receperis peccatorem, beneſac humili, & non dederis impio, prohibe panes
illi dare: quomodo Chriſtus in Euangelio quaſi econtrario uidetur pręcipe
re dicens, Omni petēti te da. RESP. Hæc à beato Auguſtino ita reppe
rimus explanata, ait enim: Fac miſericordiam iniquo nō tanquam iniquo:
nam ipſum iniquum inquantum iniquus eſt ne ſuſcipias, id eſt ne quaſi in/
tentione & amore iniquitatis illius ſuſcipias eum. Occurrit enim tibi homo
peccator: cum dico occurrit tibi homo peccator, duo nomina dixi, hæc duo
nomina non ſuperflua ſunt. Duo nomina aliud homo, aliud quod pecca/
tor: quod homo, opus dei eſt: quod peccator, opus hominis eſt. Da operi
dei, noli operi hominis. Quid eſt dare operi hominis? Qui donat uenatori/
bus, qui donat hiſtrionibus, aurigis, meretricibus quare donat? nūquid do
mino & ipſis hominibus donant? non enim ibi attendunt naturam operis
dei, ſed nequitiā operis humani. Vis uidere quid honores in uenatore, quā
do illum ueſtis? Si tibi dicat, tales ſint filij tui, iniuria eſt inquis. Quare iniu
ria eſt, niſi quia illa iniquitas, quia turpitudo? nō ergo donas, cū donas, for
titudini, ſed turpitudini. Quoniam ergo qui uenatori donat, nō homini do
nat, ſed arti nequiſſimę: nam ſi homo tantū eſſet, & uenator nō eſſet, nō do
nares: honoras in eo uitium nō naturā. Sic cōtrà, ſi des iuſto, ſi des prophe
tæ, ſi des diſcipulo Chriſti aliquid cuius indiget, & nō ibi cogites quia diſci/
pulus Chriſti eſt, quia miniſter eſt dei, ſed cogites ibi aliquod cōmodū tem
porale, ut fortaſſe cauſæ tuæ neceſſarius quādoq; fuerit, quia ei aliquid por/
rexiſti: iam tu nō dediſti iuſto, ſi ſic dederis, quēadmodū ille non dedit ho/
mini quādo dedit uenatori. Qui tale miniſteriū de illo quæris, negabit tibi
dominus mercedē iuſti, niſi cū additamēto, ait enim: Qui receperit iuſtum
in nomine iuſti: id eſt ideo recipies, qui iuſtus eſt: amē dico uobis nō perdet
mercedē ſuā. Quomodo ergo intelligis, Qui receperit iuſtū in nomine iuſti,
mercedē iuſti accipiet: ſic intellige, qui recepit peccatorē in nomine peccato/
ris, perdet mercedē. Hoc ergo teſtimonio ſub generalitatē excepto q̊ præ/
cipit omni petenti te da, cætera nō erūt cōtraria, quia uolūtas dantis in his
attendit ſola: ſicq; & iuſtū & peccatorē paſcere nō erit cōtra præceptū, ſi &
iuſto propter quod iuſtus eſt, & peccatori nō propter hoc q̊d peccator eſt,
ſed propter hoc quia creatura dei eſt, ſalubriter & pie impendatur humani
tatis officiū. INT. Quomodo Salomon dicit, Ne crediderís inimico tuo
in æternū: cū dominus in Euangelio præcipiat, eſto conſentiens aduerſario
tuo, dū es cū illo in uia. RESP. Quod Salomon nō credēdū inimico prę
cepit, de diabolo accipitur, ne noſipſos ei unquam credamus: q̊d aūt domi
nus cōſentientes nos eſſe aduerſario præcepit, pro præcepto legis ſuæ hoc
dicit, ut cōſentiētes illi nō tradamur iudici, ab eo tanquā diſſidentes arſuri.

INT. Quomodo Salomon dicat, Beatus qui non eſt compunctus triſtitia delicti,cum Iacobus præcipiat,Miſeri eſtote,& lugete,& plorate. RESP. Beatum utiq; illum dicit, qui nullum attigit delictũ,cuius delicti triſtitia compũgeretur. Poteſt fieri ut nonnulli beate uiuentes,non triſtitia flagitiorum,ſed æternorum deſiderio compungantur.Hoc autem quod Iacobus lugendum & plorandum præcepit, in utrũq; accipi poteſt,ſeu in his qui mala ſua deplorant, ſeu in illis qui ſolum de cœleſtis patriæ amore ſuſpirant. INT. Quomodo Salomon præcipit,dicens: Fili, præter dominum ne timeas alium,cum Apoſtolus in Epiſtola ad Epheſios quaſi econtrario prædicet,dicens:Serui, obedite dominis carnalibus cũ timore & tremore,necnõ uxor timeat uirum. RESP. Cum uxores uiris,& ſerui dominis cum timore ſeruire iubẽtur,quid aliud quàm ad deum timor ipſe refertur,à quo eis ſubiectio ipſa præcipitur,& ut ſeruiant maritis ſuis & dominis imperatur. Sicut enim ſi bene obediatur dominis propter deũ,ad Dominum ipſa bona obſequia referuntur: ita ſi dominis contradicatur,nõ ad eos,ſed ad deũ ipſa iniuria refertur,dicente Moyſe:Nec contra nos eſt murmur ueſtrum, ſed contra dominum:nos enim quid ſumus? INT. Quomodo dicit Iob,Qui fundauit terram ſuper nihilum, cum Pſalmiſta dicat, Qui fundauit terram ſuper aquas? RESP. Vt hæc duo ſibi non uideantur eſſe contraria, id ex maiorum diſputatione collegimus. Dicit enim Ambroſius de terræ qualitate ſiue poſitione. Sufficiat ſecundum ſcripturam Iob,ſciendum quia ſuſpendit terram in nihilo:philoſophi quoq; ſimiliter opinantur aêre denſo terram ſuſtineri,& quaſi ſpongiam in media aëris mole ſua immobilem pendere:ſicque ut æquabili motu hinc atque inde ueluti alarum ſuffulta remigijs ex omni parte librata propendeat, nec in partem poſſit inclinari alteram. De hoc uero quod Pſalmiſta dicit, Qui fundauit terram ſuper aquas, ut ſuperiori intelligentiæ non uideatur eſſe contrarium: ſic beatus Auguſtinus diſputationis ſuæ texit oraculum, ait enim:Quid eſt,qui firmauit terrã ſuper aquas? Obſcura enim quæſtio eſt, quia terra grauior uidetur, ut non portari aquis, ſed aquas potius portare credatur.De qua re ne aduerſum eos,qui ſe putant iſta certis rationibus cõperiſſe,contentioſe ſcripturas noſtras defendere uideamur: ſiue illud ita, ſiue aliter ſit,habemus quod de proximo intelligamus: terra quæ habitatur ab hominibus,& terreſtria continet animalia, quæ alio modo in ſcripturis arida dicitur,ſuper aquas eſſe fundata dicitur,quia aquis circumfluentibus ſuperemineat. Non enim quæ dicitur litoraria ciuitas ſuper mare fundata, ita ſub ea mare eſt, quemadmodum ſunt aquæ ſub ſpeluncarum cameris, aut ſub nauibus ſupernatantibus.Sed ideo ſuper mare dicitur,quia inferiori mari ſupereminet.Sic dictus eſt Pharao exiſſe ſuper aquas, ita enim habet Græcus,quod quidam Latini habent,ad aquã.Sic dominus ſuper puteum

teum ſedebat,quod ambo ſuperiores eſſent,quàm flumen & puteus,ille iu xta flumen,iſte iuxta puteum. Ergo ſi hæc ſecũdum prædictum intellectũ timent, in nullo ſibi contraria erunt. INT. Quomodo Iob dicit, ſatan inter filios dei aſſiſtere coram domino, cum in Euangelio ſcribatur, quia niſi mundo corde deum uidere non poſſint:dicit enim, Beati mũdo corde, quoniam ipſi deum uidebunt.Satan mundo corde eſſe nõ poteſt:quomo/do uidendo domino affuiſſe poteſt? RESP. Intuendũ quia affuiſſe co/ram domino,non autem dominum uidiſſe perhibetur: uenit quippe ſatan ut uideretur à domino, nõ ut uideret dominum:ipſe in conſpectu domini, non autem in conſpectu eius dominus fuit:ſicut cæcus in ſole conſiſtit, ipſe quidem radijs ſolis perfunditur,ſed tamen lumen nõ uidet quo illuſtratur. Ita ergo etiam inter angelos in conſpectu domini ſatan affuit, quia uis di/uina quæ intuendo penetrat omnia in ordine ſubtilioris naturæ, non ſe ui/dentem immundum ſpiritum uidit. INT. Quomodo Iob dicat,Pecca/ui,quid faciam tibi ô cuſtos hominum.Vel illud,Conſumere me uis pecca tis adoleſcentiæ meæ:cum econtra idem uideatur dixiſſe, Neq; enim repre hendit me cor meum in omni uita mea: quo pacto à corde ſuo reprehendi ſe denegat, qui ſe peccaſſe ſuperius accuſat? RESP. Sciendum eſt quia ſunt peccata quæ à iuſtis uitari nõ poſſunt. Cuius enim cor in hac corrupti bili carne ſubſiſtens, in ſiniſtra cogitatione non labitur,uel ſi uſq; ad cõſen/ſus foueã nõ mergatur? Et tamen hęc ipſa parua cogitare,peccare eſt.Sed dum cogitationi reſiſtitur,à confuſione ſua animus liberatur:mens ergo iu ſtorum etſi libera eſt à peruerſo opere, aliquando tamen corruit in peruer/ſa cogitatione: ea in peccato ergo labitur, quia ſaltem in cogitatione decli/natur: & tamen unde ſemetipſam poſtmodum flendo reprehendat nõ ha bet,quia ante ſe reparat, quàm per conſenſum cadat.Recte ergo is qui pec catorem ſe faſſus eſt, nequaquam ſe à ſuo corde reprehendi cõfitetur, quia etſi qua illicita cogitando fortaſſe defuit unquam rectitudini, forti tamen mentis certamine reſtitit cogitationi. INT. Quomodo Iob deſperatio/nem præmittens dicat,Deſperaui, nequaquam ultra iam uiuam: cũ ſtatim ſubiungat,Parce mihi, nihil ſunt dies mei. Neq; enim duo ſibi hæc uerba cõueniunt,deſperaui,& parce. Nam qui deſperat,nequaquã ſibi parci iam poſtulat:& qui adhuc parci ſibi deſiderat,profecto minime deſperat. RESP. Aliunde eſt quod deſperat,aliunde uero quod parci ſibi ſanctus uir poſtulat:quia nimirum dum bona uitæ tranſeuntis per deſperationem deſerit,ad obtinenda quæ permanent,in ſpe robuſtior exurgit.Deſperan/do itaq; melius ad ſpem ueniæ ducitur,qui eo certius uentura appetit,quo p̃ſentia uerius & ex deſperatione derelinquit. Iuſto quippe deſperare eſt, præſentis uitæ bona æternitatis electione deſerere:manſura quærere, & in rebus temporalibus fiduciam non habere.Qui hæc agens nequaquã ſe ul/

tra uiuere aſſerit, quia uidelicet uiuificatrici morte quotidie à uita ſe paſſionis occidit:qui ergo tam ordinate deſperat,recte ſibi parci deſiderat.

INT. Quomodo utrunq; Iob dicat,Scio quod non parcis delinquenti:& econtra,Tu greſſus meos dinumeraſti,& parcis peccatis meis. Si delinquenti non parcitur, quis ab æterna morte eripitur,cum à delicto mundus nemo reperiť? RESP. Delinquenti dominus nequaquã parcit,quia delictũ ſine ultione nõ deſerit:aut enim ipſe hoc homo in ſe pœnitens punit, aut hoc deus cũ homine uindicans percutit.Nequaquã igiť peccatum parcitur,quia nullatenus ſine uindicta laxať:ab electis enim ſuis deus iniquitatum maculas ſtudet tẽporali afflictione tergere, quas in eis in perpetuũ nõ uult uidere.Parcit enim deus,& nõ parcit peccatis hominũ: nõ parcit enim in eo,quia delictũ ſine ultione non deſerit: parcit autẽ,cũ illatam ultionẽ ad expiationẽ delictorũ inducit.Bene ergo dicitur,quia deus delinquenti non parcat,quia delicta noſtra ſiue per nos , ſeu per ſemetipſum reſecat, etiã cũ relaxat. INT. Quomodo Iob qui iam ſuperius dixerat,nihil in terra ſine cauſa fit,uidetur poſt aliqua ecõtra ſubiungere,dicẽs: Multiplicauit uulnera mea etiã ſine cauſa. RESP. De hoc q̃d diciť,Nihil in terra ſine cauſa fit,Beatus Gregorius ita dicit,Idcirco enim ſæpe & deſidioſus ingenium accepit,ut de negligentia iuſtius puniať: quia quod ſine labore aſſequi potuit,ſcire cõtemnit:& idcirco ſtudioſus nõnunquã tarditate intelligẽtiæ premiť,ut eo maiora prẽmia retributionis inueniat,quo magis in ſtudio inuẽtionis elaborat.Nihil ergo in terra eſt ſine cauſa, quando ea ſtudioſo tarditas ad prẽmiũ proficit,& deſidioſo uelocitas ad ſupplicium creſcit.Ergo hic intelligendũ eſt,nihil in terra fieri ſine cauſa , id eſt ſine cauſa diuinæ diſtrictionis,uel promiſſionis. Illud autẽ quod dicit, Multiplicauit uulnera mea etiã ſine cauſa,hoc modo intelligiť . Beatus nãq; Iob uocẽ humani generis in ſe ſuſcipiẽs,pro illis hoc dixit,qui reatu culpæ originalis aſtricti ante moriuntur,quàm baptiſmi gratia expientur.Et qui prius à prẽſenti luce ſubtrahuntur,quàm ad promerenda bona maláue merita actiuę uitæ perueniãt. Quos quia à culpa originis ſalutis ſacramenta non liberant , & hic ex proprio nihil egerunt, illuc ad tormenta perueniunt.Quibus unum uulnus eſt corruptibiles naſci,aliud carnaliter mori. Sed q͂a poſt mortẽ quoq; æterna mors ſequiť,occulto eis iuſtoq; iudicio,quãtũ ad humanã intelligentiã attinet,etiã ſine cauſa uulnera multiplicanť. Qui itaq; nullũ propriũ adiũgens delictũ , ex ſolo originis reatu premitur , quid iſte niſi ſine cauſa uulnerať? Poteſt & aliter utrũq; intelligi.Beatus etem̃ Iob nequaquã percuſſus eſt,ut in eũ percuſſio uitiũ tergeret, ſed ut meritũ augeret.Nihil ergo in terra ſine cauſa fit,quãdo p̱cuſſio diuina hominẽ aut ad emũdationẽ ferit,aut ad probationẽ.Hic uero beatus Iob uulneratũ ſe ſine cauſa aſſerit,quia non eſt ad hoc percuſſus,ut in eo percuſſio uitium tergeret , & hoc de ſe foris loquitur,

quod

quod de illo ueritas in occulto teſtatur, dicens: Cõmouiſti me aduerſus eũ; ut affligerem illum fruſtra. INT. Quomodo Iob dicat, Ipſe nouit & decipientem, & eum qui decipitur, cum dominus in Euãgelio iniquis dicere uideatur, Nunquam noui uos, diſcedite à me qui operamini iniquitatem. RESP. Scire dei aliquando cognoſcere dicit, aliquãdo approbare: & ſcit iniquum, quia cognoſcendo iudicat, & neſcit cũ non approbat: neq; iniquũ quempiam iudicaſſet, ſi nequaquam cognoſceret: & tamẽ iniquum neſcit, quia eius facta non approbat: & nouit ergo quia deprehendit, & nõ nouit quia hunc in ſuæ ſapientiæ ſpeciem non recognoſcit. Sicut de ueraci quolibet uiro dicitur, quia falſitatem neſciat: non quia uel cum ab alijs falſum dicitur, hoc reprehendere ignorat: ſed eandem ipſam fallaciam & ſcit in examine, & neſcit in amore, ut uidelicet ipſe hanc non agat, cum actam ab alijs damnat. INT. Cum Iob dicat, Non ueniet in conſpectu dei omnis hypocrita: quomodo quaſi econtra Euangeliſta uidetur dicere, & congregabũtur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem, oues à dextris, & hœdos à ſiniſtris ſtatuens. RESP. Sciendum eſt, quia duobus modis in cõſpectu domini uenimus: uno quidem, quod hic peccata noſtra ſubtiliter perpendentes, in eius nos cõſpectu punimus, & flendo dijudicamus: nam quotiens cõditoris noſtri potentiam ad ſenſum reducimus, totiens in conſpectu illius ſtamus. Vnde rectè quoq; per uirum dei Heliam dicit: Viuit dominus deus Iſraël, in cuius conſpectu ſto. Alio quoq; modo in cõſpectu domini uenimus, cum in extremo iudicio ante tribunal eius aſſiſtimus. Hypocrita igitur per examen ultimum ante cõſpectum iudicis ueniet. Sed quia modo culpas ſuas conſiderare & deflere diſſimulat, in conſpectum uenire domini recuſat, qui dum placere humanis oculis concupiſcit, diſtrictionem dei ante ſuos oculos nõ ponit. INT. Quomodo Iob dicat, Homo cum dormierit nõ reſurgit: cum Paulus dicat, Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutamur. RESP. Hæc quidem non erunt ſibi contraria, ſi ſubiuncta ſtatim in Iob attendatur ſententia. Nam ubi dicit, Homo cum dormierit, non reſurget: ſtatim ſubiungit, Donec atteratur cœlum non euigilabit, nec conſurget de ſomno ſuo. Liquet enim quia nõ reſurgit, ſed donec atteratur cœlum: quia niſi mundi huius finis aduenerit, humanũ genus à ſomno mortis ad uitam non euigilabit. Non ergo quia omnimodo non reſurgat, ſed quia ante cõtritionem cœli humanum genus minime reſurgat inſinuat. INT. Cum Iob dicat pro angelis, Nunquid eſt numerus militum eius: quomodo Daniel præfixum numerum angelorũ ſtatuens dicit, Decies milies centena milia aſſiſtebant ei. RESP. In cognitione humanæ rationis ſupernorum ſpirituum numerus nõ eſt, quia quanta ſit frequentia inuiſibilis exercitus neſcit: ſupernorum nanque ciuium numerus & infinitus eſt, & definitus exprimitur, ut qui deo eſt numerabilis,

eſſe nobis innumerabilis demonſtret. INT. Si pax in ſublimibus ſumma tenetur, dicente Iob, Poteſtas & terror apud eum eſt, qui facit cõcordiã in ſublimibus ſuis, Quid eſt quod per angelum Danieli dicitur, Ego ueni propter ſermones tuos, princeps autẽ regni Perſarum reſtitit mihi XXI diebus, & ecce Michaël unus de principibus primus uenit in adiutoriũ mihi. Et paulo poſt, Nunc reuertar ut prælier aduerſus principem Perſarum, cum enim egrederer, apparuit princeps Græcorum adueniens. RESP. Quos itaq; alios principes gentium niſi angelos appellat, qui ſibi reſiſtere exeũti potuiſſent? Quæ ergo eſſe pax in ſublimibus poteſt, ſi inter ipſos angelicos ſpiritus præliandi certamen agitur, qui ſemper conſpectui ueritatis aſſiſtunt? Sed quia certa angelorũ miniſteria diſpẽſandis ſingulis quibuſq; gentibus ſunt prælata, cum ſubiectorum mores aduerſum ſe uiciſſim præpoſitorum ſpirituum ope merentur, ipſi qui præſunt ſpiritus contra ſe ueníre referuntur. Is nanq; angelus qui Danieli loquebat, captiuis Iſraëlitici populi in Perſida conſtitutis prælatus agnoſcitur, Michaël autem eorum qui ex eadem plebe in Iudææ terra remanſerant præpoſitus inuenitur. Vnde ab hoc eodem angelo paulo poſt Danieli dicitur, Nemo eſt adiutor meus in omnibus his, niſi Michaël princeps ueſter: de quo & hoc quod præmiſimus dicit: Et ecce Michaël unus de principibus primis uenit in adiutorium mihi: qui dum nequaquam ſimul eſſe, ſed uenire in adiutoriũ dicitur, aperte ei populo prælatus agnoſcitur, qui captus in alia parte tenebat. Quid eſt ergo angelum dicere, Ego ueni propter ſermones tuos, princeps autem regni Perſarum reſtitit mihi, niſi ſua ſub dicti opere nuntiare: ac ſi aperte dicat, Precum quidem tuarũ merita exigunt, ut Iſraëliticus populus iugo ſuæ captiuitatis exuatur: ſed eſt adhuc quod in eodem populo Perſarum dominio purgari debeat, unde ereptioni illius Perſarum princeps mihi iure contradicat, quamuis preces tuas eorum quoq; lachrymæ qui in Iudæa relicti ſunt adiuuent. Vnde hoc quoq; quod diximus adiũgit, Michaël princeps ueſter uenit in adiutorium mihi. Cumq; aduerſum Perſarum principem præliare egreditur, Græcorum ſibi princeps adueniens apparet. Qua ex re innuitur, quod aduerſum Græcos quoq; aliquid Iudæa commiſerat, quorum profecto cauſa ereptioni illius reſiſtebat. Prophetæ igitur preces angelus exaudit, ſed Perſarũ princeps reſiſtit: quia etſi iam uita iuſti deprecantis ereptionem populi exegit, eiuſdem tamen populi hanc uita contradicit: ut quia necdũ plenè ij qui in captiuitatem fuerãt ducti, purgati ſunt, iure eis adhuc Perſæ dominentur. Michaël adiuuat, ſed Græcorum princeps ad prælium uenit: quia mereri quidem ueniam tam longa oppreſſorum captiuitas poterat: ſed ereptionis eorum beneficio, hoc quoq; quia in Græcos deliquerãt obuiabat. Recte ergo dicitur, quod contra ſe angeli ueniunt, quia ſubiectarum ſibi gentium uiciſſim merita contradicunt: nam

ſublimes

ſublimes ſpiritus eiſdem gentibus principantes, nequaquam pro iniuſte agentibus decertant,ſed eorum facta iuſte iudicantes examinant: cumque uniuſcuiuſque gentis uel culpa,uel iuſtitia ad ſupernæ curiæ conſilium duci tur, eiuſdem gentis præpoſitus obtinuiſſe, uel non obtinuiſſe perhibetur: quorum tamen omnium una uictoria eſt, ſui ſuper ſe opificis uolũtas ſum ma,quem dum ſemper aſpiciunt, quod obtinere non ualent nunquam uo- lunt. INT. Cum paſtum diaboli Behemoth ad Iob loquens ſignificet, dicens:Fœnum ut bos comedit. Et de quo Eſaias, Leo quaſi bos comedet paleas: quomodo propheta de paſtu eius uideatur econtrario dicere, Eſca eius electa: quomodo Behemoth iſte fœnum uel paleas comedens, uitam ſpiritualium conſumere dicit̃: Si fœni & palearum nomine uita carnalium deſignatur.Eſca quoq; eius electa iam non erit,ſi fœnum comedens carna- les ſapit. RESP. Nõnulli hominum & apud deum fœnũ ſunt, & apud homines ſanctitatis nomine cenſentur:cum & ante humanos oculos aliud oſtendit uita,& ante diuina iudicia aliud intendit conſcientia.Ii itaq; apud humana iudicia electi ſunt, ſed ad ſubtile domini examen fœnum.

INT. Cum Iob à domino reprehenſus,ipſe quoq; ſe reprehenderit,di cens:Idcirco ipſe me reprehendo:quomodo item dominus eum præferens amicis ſuis locutus ſit, dicens: Non eſtis locuti corã me rectum,ſicut ſeruus meus Iob:quomodo ſuperius beatus Iob reprehenditur, ſi in comparatio- ne eius rectitudinis,amici illius nequaquam coram domino locuti rectum memorantur.An adhuc illa de eo ſententia confirmatur, qua antiquo ho- ſti dicitur:Vidiſti ſeruum meum Iob,quia non ſit ei ſimilis ſuper terram? RESP. Quid eſt hoc,quod laudatur hoſti,& in ſeipſo reprehendit̃ & ta men amicis loquentibus antefertur, niſi quia ſanctus uir cunctos merito- rum ſuorum uirtute tranſcendit:ſed eo ipſo quia homo fuit,ante dei oculos eſſe ſine reprehenſione nõ potuit.In ſancto quippe homine in hac interim uita commorãte,diuini examinis regula habet adhuc quod iudicet,quam- uis iam ex comparatione cæterorum hominum habeat quod laudet. Bea- tus igitur Iob pro culpa ſe credidit, & nõ pro gratia flagellari:reſecari in ſe æſtimauit uitia, non autem merita augeri: & in eo reprehenditur quo in- tentionem flagelli fuiſſe aliam ſuſpicatur, & tamen amicis reſiſtentibus in- terni iudicij definitione prælatus eſt. Vnde apte colligitur,quantæ iuſtitiæ fuerit,in eo quod contra amicorum uerba innocentiam ſuæ operationis ad ſtruxit, qui diuino iudicio etiam ipſis eiuſdẽ diuini iudicij defenſoribus an- tefertur. INT. Cum beatus Iob de ſe fateatur, Vias meas in cõſpectu dei redarguam: necnon & illud, Conſumere me uis peccatis adoleſcentiæ meæ:atq; illud, Signaſti quaſi in ſabulo delicta mea:quomodo quaſi econ tra uidet̃ ſubterius dixiſſe,Si fuero iudicatus,ſcio quia iuſtus inueniar:neq; enim ſimul conueniunt peccata & iuſtitia. RESP. Sanctus iſte uir ſibi

iniquitatem tribuens,& omnipotenti domino purgationem ſuam,& peccatorem ſe cognoſcit ex ſe,& iuſtum ſe factum nõ ignorat ex munere:quia in recto quoq; opere poſitus,ex abundantia gratiæ meruit flagella ſuſtinere: iamq; in iudicium iuſtum uenire gaudet, qui ante iudicium percuſſum uidet. Vnde & cũ longe poſt dicat,Signaſti quaſi in ſabulo delicta mea, ſtatim ſubdidit, Sed curaſti iniquitatem meam. Qui ergo iuſtũ inueniri ſe in iudicio memorat,nequaquam ſe iuſte flagellatum negat,quamuis in flagello eius dominus non peccata ſtuduit tergere, ſed merita augere.

INT. Cum omnipotens deus, iuxta plurimas ſcripturæ ſacræ ſententias,fruſtra nihil faciat,cur beatum Iob fruſtra ſe afflixiſſe teſtatur?

RESP. Iuſtus conditor noſter tot uerberibus in beatum Iob non uitia curauit extinguere,ſed merita augeri. Æquũ ergo fuit,quod fecit per augmentum boni meriti:nõ tamen uidebatur æquum,quia credebatur cauſam punire peccati. Vnde & beatus Iob peccata ſua illis flagellis deleri credidit,nõ merita augeri:& idcirco non æquum iudicium uocat,quia uitia ſua cum flagellis examinat. Ergo ſi uita & flagella penſantur, non æquum fuit quod beatus Iob per itam diſtrictionis ſibi fieri credidit. Si uero miſericordia iudicis attendatur,quia per pœnã iuſti uiri uitæ eius merita cumulant̃, æquũ uel potius miſericors iudicium fuit.

INT. Cum Iob clarificata carne reſurgere ſe ſperans dicat, In nouiſſimo de terra ſurrecturus ſum, & in carne mea uidebo deum, iuxta quod & Apoſtolus dicit: Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem: quomodo quaſi ecõtrario idem ipſe Apoſtolus dicit, Caro & ſanguis regnum dei non poſſidebunt? RESP. Adę peccata reſpiciens Apoſtolus,quæ ueniunt de corruptione carnis & ſanguinis, ait: Caro & ſanguis regnum dei non poſſidebunt. Nam utiq; ſecundum fidem ueram eiuſdem apoſtoli caro ita reſurget, iuxta illud: Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem,&c. Quia ergo corruptio iſta de peccato eſt,ipſius nomine appellantur & peccata. Ergo ſi nomine carnis & ſanguinis, corruptio uel peccata intelligantur,quæ de carne utique & ſanguine oriuntur, contraria ſibi non erunt. Ergo & caro noſtra in qua uiuimus,pro bene geſtis habitura dei regnum: & caro,id eſt corruptio quæ carnis & ſanguinis nomine nuncupata eſt, regnum non poſſidebit diuinum.

ANTICI-

EX NOVO TESTAMENTO.

EX EVANGELIO SECVNDVM MATTHAEVM.

INTERROGATIO

QVOMODO Chriſtus dicit, Attendite ne iuſtitiam ueſtram faciatis coram hominibus,ut uideamini ab eis. Et alibi dicit: Videant opera ueſtra bona, & glorificent patrem ueſtrum. RESP. Quid ergo quod opus noſtrū ita faciendum eſt ne uideatur, & tamen ut debeat uideri præcipitur: oſtendēda ſunt,ut laudem cœleſtis patris augeamus. Nam cū nos iuſtitiā noſtrā corā hominibus facere dominus prohiberet,ilico adiūxit ut uideamini ab eis. Et cū rurſum uidenda ab hominibus bona opera noſtra præceperit,protinus ſubdidit,ut glorificent patrem ueſtrū qui in cœlis eſt. Qualiter igitur uidenda eſſent, uel qualiter nō uidenda ex ſententiarū fine monſtrauit: quatenus operantis mens opus ſuum & propter ſe uideri non quæreret,& tamen hoc propter cœleſtis patris gloriā non cælaret. Vnde fit plerunq;,ut bonum opus & in occulto ſit,cum fit publice:& rurſus in publico,cum agitur occulte.

INT. Cum dominus in Euangelio docens nos orare præcipiat,ut dicamus,Ne inducas nos in tentationem: quomodo apoſtolus Iacobus uideť quaſi econtra prædicaſſe, dicens: Beatus uir, qui ſuffert tentationem. Nec non & illud quod alibi ſcribitur,Omnis uir qui non eſt tentatus,nō eſt probatus. RESP. Vtilem eſſe tentationem quæ probat, non quæ in tentationē inducat,quis fideliū neſciat? nam de his Caſſianus ita dicit, ait enim: Non ergo hoc ſonat,Ne inducas nos in tentationem,id eſt ut non permittas nos aliquando tentari, ſed ne permittas nos in tentatione poſitos ſuperari. Tentatus eſt enim Iob, ſed non eſt inductus in tentationem. Tentatus eſt Abraham & Ioſeph, ſed neuter illorum inductus eſt in tentationē, quia nullus illorum conſenſum præbuit tentatori. Denique ſequitur, Sed libera nos à malo, id eſt ne permittas nos à diabolo tentari ſupra id quod poſſumus, ſed fac cum tentatione & exitum ut ſuſtinere poſſimus.

INT. Quomodo dominus in Euangelio dicat, Non omnis qui dicit mihi,domine,domine,intrabit in regnum cœlorum:& econtra Paulus,Nemo in ſpiritu dei loquens dicit anathema Ieſu. Et nemo poteſt dicere dominum Ieſum, niſi in ſpiritu ſancto. RESP. Ecce neque aliquos habentes ſpiritū ſanctum poſſumus dicere, non intraturos in regnū cœlorū, ſi perſeuerauerint uſque in finem: neque illos qui dicunt, domine, domine, & tamen non intrant in regnum cœlorū, poſſumus dicere habere ſpiritum

ſanctum: quomodo ergo nemo dicit dominũ Ieſum, niſi in ſpiritu ſancto, niſi quia proprie Apoſtolus poſuit uerbũ, quod eſt dicit, ut ſignificet uoluntatem atq; intellectum dicentis: dominus uero generaliter poſuit uerbum quod ait: Non omnis qui dicit mihi domine domine, intrabit in regnũ cœlorum. Videtur enim dicere etiam ille qui nec uult, nec intelligit quod dicit. Sed ille proprie dicit, qui uoluntatem ac mentem ſuam ſono uocis enũtiat.

INT. Cũ dominus in Euangelio dicat, Nolite timere eos qui occidunt corpus, animã aũt non poſſunt occidere: quõ in pſalmo ex perſona Chriſti dicit, Repleta eſt malis anima mea? Audemus ne dicere animã Chriſti repletam malis, cum illa paſſionis afflictio in carne ualuerit quicquid ualuit? RESP. Occidi à perſecutoribus anima nõ poteſt, malis aũt repleri poteſt. Non enim uitijs per quæ homini dominat iniquitas, animã illã repletam poſſumus dicere, ſed forte doloribus quibus anima ſuæ carni in eius paſſione cõpatitur. Nõ enim uel ipſe qui dicit corporis dolor poteſt eſſe ſine anima, quẽ ineuitabiliter imminentem præcedit triſtitia, qui ſolius animæ dolor eſt. Dolere ergo anima etiã non dolente corpore poteſt, dolere aũt corpus ſine anima nõ poteſt. Cur itaq; nõ dicamus non humanis peccatis, ſed tamen humanis malis repletã fuiſſe animã Chriſti, de quo alius propheta dicit, quod pro nobis doluerit: & Euãgeliſta, Cœpit cõtriſtari & mœſtus eſſe: & ipſe dominus de ſeipſo, Triſtis eſt anima mea uſq; ad mortẽ. Hæc futura præuidens propheta pſalmi huiuſcemodi cõſcriptor, inducit eũ loquẽtem: quoniam repleta eſt, inquit, malis anima mea, & uita mea inferno appropinquauit. Nã ipſam omnino ſententiã uerbis alijs explicauit, quibus dictũ eſt: Triſtis eſt anima mea uſq; ad mortẽ. Quod enim ait, Triſtis eſt anima mea: hoc dictũ eſt, Repleta eſt malis anima mea. & quod ſequit, uſque ad mortẽ: hoc dictum eſt, & uita mea inferno appropinquauit.

INT. Quõ Chriſtus in Euãgelio utrũq; dicat, ſi uos perſecuti fuerint in unã ciuitatẽ, fugite in aliã: & ecõtrario, Paſtor bonus animã ſuam dat pro ouibus, mercenarius aũt & qui nõ eſt paſtor, cuius nõ ſunt oues proprię, uidet lupũ uenientẽ, & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit, & diſpergit oues. RESP. Has duas dominicas, uerasq; ſentẽtias ita intelligere debemus, ut cõtrarias inter ſe nullo modo prædicemus. Etenim ut breuiter exponatur: ſine culpa quiſq; corporaliter fugit, qui ſe à perſecutoribus nõ timore, ſed utilitate neceſſaria ſubtrahit: id eſt qui nõ ſpiritu fugit mortẽ, ſed ſe pro tẽpore utilitati corũ ſeruat: ſicut Paulus dicit, Manere in carne neceſſariũ ꝑpter uos. Hęc eſt fuga licita, & à dño nobis permiſſa. Qui aũt timore perſecutionis uel poteſtatis cuiuslibet, terrore ſpiritus ſuperatus, aut ueritatẽ refugit prædicare, aut loci elegit mutationẽ appetere: hic quaſi mercenarius arguit, & talis fuga omnino culpat. His enim uerbis has duas ſentẽtias à beato Auguſtino explanatas reperimus, ait enim: Audiuimus in Epiſtola Paulũ fugientem

per

pet murũ, & in ſporta ſubmiſſum, ut manus perſequẽtis euaderet. Nõ ergo illi cura fuit de ouibus, quas lupo ueniente deſerebat? Fuit planè, ſed eas paſtori in cœlo ſedẽti orationibus cõmẽdabat, ſe aũt ad utilitatẽ eorũ fugiẽdo ſeruabat: ſicut quodã loco ait, Manere in carne neceſſariũ propter uos: ab ipſo nanq; paſtore omnes audierãt, Si uos perſecuti fuerint in una ciuitate, fugite in aliã. Hanc quæſtionẽ nobis dominus dignet̃ exponere. Domine, tu dixiſti eis quos fideles paſtores eſſe utiq; uolebas, quos tua mẽbra eſſe formabas, Si uos perſecuti fuerint, fugite. Iniuriã ergo illis facis quãdo reprehẽdis mercẽnarios fugientes. Rogemus indicet nobis quid habeat altitudo quæſtionis. Pulſemus, aderit qui aperiat, ſed oſtiarius eſt oſtij quod eſt ipſe. Quis eſt mercẽnarius q uidet lupũ, & fugit? Qui ſua quærit, nõ Ieſu Chriſti, peccantẽ non libere audet arguere. Ecce neſcio quis peccauit, grauiter peccauit, increpandus eſt, excõmunicandus eſt. Sed excõmunicatus inimicus erit, inſidiabit̃, nocebit cũ potuerit. Iam ille q ſua quærit, non quæ Ieſu Chriſti, ne perdat quod ſectat̃ humanæ amicitiæ cõmoditatẽ, & inimicitiarũ humanarum incurrat moleſtiã, tacet, nõ corripit. Ecce lupus cui guttur apprehendit diabolus, fideli adulteriũ pſuaſit, tu taces, nõ increpas. O mercẽnarie, lupũ uenientem uidiſti & fugiſti. Reſpondit forte, & dicit: Ecce hic ſum, nõ fugi. Fugiſti, quia tacuiſti, quia timuiſti: fuga animi timor eſt. Corpore ſtetiſti, ſpiritu fugiſti: quod ille nõ faciebat, q dicebat, Etſi corpore abſens ſum, ſed ſpiritu uobiſcũ ſum. Quomodo enim ſpiritu fugiebat, qui etiã corpore abſens fornicatores literis arguebat? Affectiões noſtræ motus animorũ ſunt, lætitia, animi diffuſio, triſtitia animi, cõtractio, cupiditas, animi progreſſio. Timor animi fuga eſt, diffunderis enim animo cũ delectaris, cõtraheris animo cũ moleſtaris, progrederis animo cũ appetis, fugis animo cũ metuis. Ecce unde mercẽnarius ille uiſo lupo dicit̃ fugere. Quare? quia non eſt ei cura de ouibus. Quare nõ eſt illi cura de ouibus? quia mercẽnarius eſt. Quid eſt mercẽnarius? Temporalem mercedẽ quærit, in domo in æternũ nõ habitabit. INT. Quomodo Matthæus & Lucas cõmemorauerũt dixiſſe dominũ diſcipulis ſuis, ut nec uirgã ferrent: cũ dicat Marcus, Et præcepit diſcipulis ſuis, ne quid tollerẽt in uia, niſi uirgã tantũ. RES. Vtrũq; accipiendũ eſt à domino apoſtolis dictum. Hæc ergo loquẽs dñs diſcipulis, id agebat quod apoſtolus Paulus apertius ita explicat, dicẽs: Neſcitis, quod q in tẽplo operant̃ quæ de templo ſunt edũt: qui altari deſeruiunt, altari cõpartiunt̃? Sic & dominus ordinauit ijs q Euãgeliũ annũtiãt, de Euãgelio uiuere. Ego aũt nullius horũ uſus ſum. Cũ itaq; dicit, ita dominũ ordinaſſe, ſe aũt uſum nõ eſſe, utiq; oſtẽdit utendi poteſtatẽ datã, nõ impoſitã ſeruiẽdi neceſſitatem. Hoc ergo ordinãs dñs, quod eũ ordinaſſe dicit Apoſtolus, q Euangeliũ annũtiãt de Euãgelio uiuere: illa apoſtolis loqbat̃, ut ſecuri nõ poſſiderẽt, neque portarent huic uitæ neceſſaria, nec magna, nec minima. Ideo poſuit,

nec uirgam, oſtendens à fidelibus ſuis omnia deberi miniſtris ſuis, nulla ſuperflua requirentibus: ac per hoc addendo, dignus operarius cibo ſuo, prorſus aperuit & illuſtrauit, unde & quare hæc omnia loqueretur. Hanc ergo poteſtatem uirgæ nomine ſignificauit, cum dixit ne quid tollerent in uia niſi uirgam tantum. Potuit etiam ſic breuiter dici, Nihil neceſſariorum uobiſcum feratis, nec uirgam niſi uirgam tãtum, ut illud quod dictum eſt nec uirgam, intelligatur, nec minimas quidem res. Quod uero adiunctum eſt, niſi uirgam tantum, intelligatur quia per poteſtatem à domino acceptam, quæ uirgæ nomine ſignificata eſt, etiam quæ non portantur non deerunt.

INT. Cum Chriſtus in Euãgelio dicat, Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bona: quomodo ibi quaſi ecõtra uidetur dicere, Nemo bonus niſi unus deus? RESP. Nónne ſtimulauit nos ad quærẽdum & ad diſtinguendum quid ſit bonum, alio bono bonum, & bonum ſeipſo bonum. Ergo quàm bonũ eſt per quod ſunt omnia bona, ut omnino nullum inuenias bonum, quod nõ ab ipſo ſit bonum, bonũ bona faciens. Ita enim deus dicitur bonus, ut in eius comparatione ea quæ facta ſunt, bona penitus non ſint. Illo autem non comparato bona omnia dici poſſunt, quæ à bono autore ſunt facta, illi uero comparata bona penitus non dicenda ſunt.

INT. Cum diabolus ſciens Chriſtum filium dei eſſe, euidẽter in Euangelio per turbam dæmoniorum locutus ſit, Quid nobis & tibi fili dei, uenisti huc ante tempus torquere nos: quomodo econtra in illa tentatione ubi aſſumptus Chriſtus à ſpiritu legitur, dubitando eum an Chriſtus eſſet, explorauit & dixit: Si tu es Chriſtus filius dei, mitte te deorſum. RESP. Innotuit Chriſtus dęmonibus nõ per id quod eſt uita æterna, & lumẽ incõmutabile, quod illuminat pios, cum uidendo per fidem quæ in illo eſt corda mundantur: ſed per quædam temporalia ſuę uirtutis effecta, & occultiſſimę ſigna præſentiæ, quæ angelicis ſenſibus etiam malignorum ſpirituum potius quàm infirmitati hominum poſſint eſſe conſpicua. Deniq; quando ea paululum ſupprimenda iudicauit, & aliquanto altius latuit, dubitauit de illo dæmonũ princeps, eumq; tentauit an Chriſtus eſſet, & explorãs quantum ſe tentari ipſe permiſit, ut hominem quem gerebat ad noſtræ imitationis temperaret exemplum. Poſt illam uero tentationem cũ angeli, ſicut ſcriptum eſt, miniſtrabant ei, boni utiq; & ſancti, ac per hoc ſpiritibus immundis metuendi & tremendi, magis magiſq; innoteſcebat dæmonibus quantus eſſet, ut ei iubenti quamuis in illo contemptibilis uideretur carnis infirmitas, reſiſtere nullus auderet. INT. Quomodo Chriſtus in Euãgelio dicit, Angeli eorum in cœlis ſemper uident faciem patris mei: cum Paulus econtra uideatur dicere, Nónne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis: ſi ſemper aſſiſtunt, quomodo exterius mitti dicunť? RESP. Si angeli cõditoris aſpe

ctum

ctum exeūtes amitterēt,nec iacentes erigere,nec ignorātibus uera nuntiare potuiſſent.Et mittunt̃ ergo & aſſiſtunt, qa & ad nos ſpirituali pręſentia foras exeūt, & tamen ibi ſe unde receſſerāt per internā cōtemplationē ſeruāt.

INT. Cū dominus interrogāti ſe iuueni,dicēti:Magiſter bone,quid faciā ut habeā uitam æternā:reſponderit, Quid me dicis bonū,nemo bonus niſi ſolus deus,quaſi nolens ſe aut bonū,aut magiſtrū debere intelligi: quō quaſi ecōtrario ad apoſtolos dicit,Vos uocatis me magiſter & dn̄e,& bene dicitis,ſum etem̄.Necnō & illud,Ne uocemini magiſtri, quia magiſter ueſter Chriſtus eſt. RES. Iuuenis em̄ inſolens per obſeruātiā legis,& finē legis qui eſt Chriſtus neſciēs,tanquā eum omniū præceptorū & in lege ſcriptorū magiſtrū, interrogat dominū,hominē tantū illū,nō deū exiſtimans: Chriſtus tamē hāc de ſe irreligioſam fidei profeſſionē exprobrans, q̄d tanquā magiſter legis interrogaret:reſpōdit,Quid me uocas bonū? Atq; ut ſignificaret qualiter intelligēdus eſſet,ſubiecit, Nemo bonus niſi unus deus. Nō igit̃ bonitatis nomen refugit, neq; magiſtri honorē recuſauit: ſed fidē eius,qui in ſe nihil niſi corporeū & carnale ſapuiſſet,coarguit. Vbi em̄ Chriſtus cū fide magiſter eſt,ibi adeo laudat,ut & profiteat̃ hoc nomē. Hic uero boni magiſtri nomen nō recognoſcit, ubi nec dn̄s intellectus eſt eſſe nec Chriſtus. INT. Cū Chriſtus præcipiat diſcipulis,dicēs:Patrē nolite uocare uobis ſuper terrā , unus enim pater ueſter,qui in cœlis eſt: quō Paulus apoſtolus cōtra hoc audet dicere,Patres noſtri oēs ſub nube fuerūt? RES. In his duabus ſentētijs,niſi fallor,clatet,q̄d aliquādo ꝓpter naturā pater dicat̃.Nā Chriſtus mundū iſtū patrē hominū de imitamento uolens intelligi,dicit:Patrē nolite uocare uobis ſuper terrā,id eſt mūdū iſtū.Paulus aūt natura nominans patrē,ait:Patres noſtri ſub nube fuerunt.Pater enim hominū hic mundus eſt,de q̄ carnaliter naſcunt̃,quicūq; carnaliter generant̃: qui mūdus ſi cōtemnat̃,ut ueraciter quis dicere poſſit,Mundus mihi crucifixus eſt,& ego mūdo,iam huic tali pater eſt mortuus,id eſt iſte mundus, & fit ueraciter pupillus,cui pater eſt dominus. Ergo q̄d dicit Chriſtus, Patrē nolite uocare uobis ſup terrā,mūdū iſtū inſinuare uidet̃ patrē, à q̄ eos auertere cupiebat,ut Chriſtus ipſe unus illis pater efficeret̃. Quod aūt Apoſtolus dicit,Patres noſtri oēs ſub nube fuerūt,de carnali generatione iſtius mūdi loquebat̃.De qua & carnis originē mūdi trahebant, & hoīes nati de hominibus inter homines cōſiſtebāt.Docet quippe dn̄s pupillos fieri diſcipulos ſuos,quibus dicit:Ne uobis dicatis patrē in terris.Cuius rei exēplū præbuit ipſe dicēdo,Quæ mihi matres,aut qui fratres? De his nāq; pupillis dicit̃,Pupillo tu eris adiutor.De hoc Hieronymus ita dicit:Quærit̃ quare aduerſū hoc ꝑceptū doctorē gētiū ſe eſſe Apoſt.dixerit. Aut quō uulgato ſermone maxīe in Palæſtinę & in Ægypti monaſterijs ſeinuicē patres uocēt. Qd' ſic ſoluit̃,aliud eſſe patrē natura uel magiſtrū,aliud indulgentia:nos ſi

hominē

hominem patrem uocamus, honorem ætati deferimus, non autorē noſtræ oſtendimus uitæ. Magiſter quoq; dicitur ex conſortio ueri magiſtri. Et ne infinita replicem, quomodo unus pater natura deus & unus filius non præiudicat cæteris, ne per adoptionem dij uocentur & filij: ita & unus pater & magiſter non præiudicat alijs, ut abuſiue appellentur patres & magiſtri.

INT. Cum Euangelium dicat, triſtes fuiſſe diſcipulos in paſſione domini, mulieres quoq; fleuiſſe, ita ut & de diſcipulis dicatur, Erant oculi eorū grauati præ triſtitia, & mulieribus ipſe dominus reſponderit: Nolite flere ſuper me: quomodo quaſi econtrario in pſalmo LXVIII Chriſtus ipſe de tempore paſſionis ſuæ dicit, Suſtinui qui ſimul mecum cōtriſtaretur, & non fuit, & conſolantes, & non inueni. RESP. Diſcipuli enim uel mulieres de paſſione corporea domini uel morte triſtabantur, dominus tamen alia triſtitia urgebatur, qua dicit: Suſtinui qui ſimul mecum contriſtaretur, & non inueni. Quia ipſe dominus uolebat ſaluare, & perſecutores cupiebāt ſæuire. Ille ut eis parceretur orabat, illi ut phrenetici medico bono iniuriā faciebant: & ideo alia triſtitia erat diſcipulorum & mulierū, quæ moriturā carnem domini uel mortuam lugebant: ideo qui ſimul cū eo contriſtaretur, nō fuit, quia comitem huius triſtitiæ non inuenit: cum neq; diſcipuli, neq; mulieres ea triſtitia, qua dominus doluit cōtriſtarentur, ſed prorſus carnaliter de uita Chriſti mortali, quę mutata fuerat morte, & reparanda reſurrectione. Non enim ait, Suſtinui qui contriſtaretur, & non fuit: ſed, qui ſimul contriſtaretur, id eſt ex eą re qua ego contriſtatus ſum non inueni qui cōtriſtaretur: in qua tamen triſtitia quia perſequentium ſe Chriſtus cæcitatem dolebat, conſolantes non inuenit, quia proficientes non habuit: ipſi enim nos conſolantur, qui proficiunt, & ipſi ſunt ſolatio omnibus prædicatoribus ueritatis. INT. Cum domino in paſſione, ſecundum quod Euangeliū loquitur, acetum cum felle mixtum oblatum fuiſſet ad bibendum, nō eſca ad manducandum: quomodo in pſalmo LXVIII ex perſona Chriſti commemorat́, quod & utiq; in paſſione domini teſtimoniū ipſum aſſumitur, ubi dicit: Dederūt in eſca mea fel, & in ſiti mea potauerūt me aceto. RES. Si eſcam domini unitatem corporis ſui accipiamus, quā tunc ſignificare uoluit, quando paſcha illud cū diſcipulis ſuis comedit, ubi aptiſſime ſacramentum ſui corporis demonſtrauit: & in hanc eſcam, id eſt in unitatē corporis Chriſti iniectum fel acceſſiſſe, non aliud quàm contradictores Euangelij, tanquam perſecutores Chriſti ſub fellis nomine accipiamus: contraria ſibi non erunt, quæ ſuperius lecta ſunt: non ipſum nanque quod dederunt eſca erat (Potus enim erat) ſed in eſcam dederūt, quia dominus iam eſcam acceperat, & in ipſam iniectum eſt fel. Acceperat autē ipſe eſcam ſuauem quando paſcha manducauit cum diſcipulis ſuis, ibi ſacramētum corporis ſui demonſtrauit. In hāc eſcam tam ſuauem tam dulcem unitatis Chriſti, quam

commendat

commendat Apoſtolus,dicens:Quomodo unus panis unum corpus multi ſumus: in hãc eſcam ſuauem quis eſt qui det fel,niſi cõtradictores Euangelij,tanquam illi perſecutores Chriſti? Minus enim peccauerũt Iudęi crucifigentes in terra ambulantem, quàm qui contemnunt in cœlo ſedentem. Quod ergo fecerunt Iudæi, in eſcam quã iam acceperat dantes bibendum amarum illum potum: hoc faciunt, qui male uiuendo ſcandalum inferunt eccleſiæ. Hoc faciunt hæretici amaricantes,ſed nõ exaltentur in ſeipſis:dant fel ſuper tam iocundum cibum,ſed quid facit dominus? Non admittit ad corpus ſuum. Hoc ſacramento ipſe dominus quando illi obtulerunt fel, guſtauit,& noluit bibere. INT. Quomodo Chriſtus in Euangelio dicit, Ecce ego uobiſcum ſum uſq; ad cõſummationem ſeculi:cum alibi idem dicat,Pauperes uobiſcum habetis,me autem nõ ſemper habebitis. RESP. Quod dicit,Ecce ego uobiſcum ſum uſq; ad conſummationẽ ſeculi,de maieſtatis ſuæ præſentia dicit,qua eccleſiam ſuam uſque in finem nullo modo ſe relicturum promiſit. Quod uero ait,Me autem nõ ſemper habebitis, de præſentia ſui corporis dixit. Recte ergo accipitur dictum eſſe unum propter prę́ſentiam carnis,aliud propter præſentiã maieſtatis. INT. Cum Chriſtus in Euangelio diſcipulos pręmonens doceat,Ite,baptizate omnes gẽtes in nomine patris,& filij,& ſpiritus ſancti: quomodo in Actibus apoſtolorum Petrus Iudæos alloquens,dicit:Pœnitentiam agite,& baptizetur unuſquiſque ueſtrum in nomine Ieſu Chriſti. Nam & ij qui à Philippo & Paulo inibi baptizati leguntur,non dicitur quia in nomine patris,& filij,& ſpiritus ſancti,ſed in nomine Ieſu tantum baptizati ſunt. RES. Nunquid pręuaricatores mandati ſaluatoris apoſtoli effecti ſunt,& cõtradictione ſaluatoris baptizauerunt tantam multitudinem? Non enim ſcriptũ eſt, quia baptizauerunt in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti, ſed tantũ in nomine domini Ieſu. Sed non ſunt præuaricatores,abſit: nam licet filij nomen tantummodo dicatur, habet tamen patrem & ſpiritum ſanctũ ſecum pronũtiatum, ſicut in ſcripturis ſanctis ſatis probatum eſt. INT. Cum dominus dixerit diſcipulis,Ite,baptizate omnes gẽtes in nomine patris, & filij,& ſpiritus ſancti:cur Paulus ſolius Chriſti in baptiſmo nomen aſſumpſerit,dicens:Quicunq; baptizati ſumus in Chriſto:cum utiq; non habeatur legitimum baptiſmum,niſi ſub nomine trinitatis. RESP. Intuere prudentiam Pauli,quomodo quidem in præſenti loco non tam baptiſmatis rationem quàm mortis Chriſti diſcutere cupiebat:ad cuius ſimilitudinẽ etiam nos ſuaderet mori debere peccato, conſepeliri Chriſto: & non erat utiq; conueniens,ut ubi de morte dicebat uel patrem nominaret, uel ſpiritum ſanctum:uerbum enim caro factum eſt, & merito ubi caro eſt, ibi de morte tractatur:nec conueniebat ut diceret, Quicunq; baptizati ſumus in nomine patris uel ſpiritus ſancti, in morte ipſius baptizati ſumus.

INT. Cum iuxta Euangeliũ Matthæi dicatur, Venit Ioannes nõ man ducans neq; bibens, & dicunt, Dæmoniũ habet. Venit filius hominis man ducans & bibens, & dicũt, Ecce homo uorax, & uinarius, amicus publicano rum & peccatorum: quomodo econtra de Ioanne dicitur, Eſca autem eius erat locuſta & mel ſylueſtre? RESP. Ioannis quidem eſcam & potum nouimus. Non enim dictũ eſt quod omnino nõ biberet, ſed quod uinũ & ſiceram non biberet. Bibebat ergo aquam, cibus autẽ eius non omnis, non nullus erat, ſed locuſta & mel ſylueſtre. Vnde ergo dictum eſt, non mandu cans, neque bibens, niſi quia illo uictu quo Iudæi utebantur, nõ utebatur? Hoc ergo dominus niſi uteretur, non in eius comparatione, manducans bi bensq; diceretur. Non ergo dominus Euangeliſtæ dicenti, quod locuſtas & mel ſylueſtre comediſſet, contraria dixit, cum nõ de his, ſed de uictu quo Iudæi utebantur, nec comediſſe, nec bibiſſe illum narrauit. INT. Cum Marcus in Euangelio ſuo de Chriſto dicat, Sedet à dextris dei: quomodo econtrario Stephanus in Actibus apoſtolorũ dicit, Video cœlos apertos, & filium hominis ſtantem à dextris dei. RESP. Quid eſt quod hunc Marcus ſedentem, Stephanus uero ſtantem ſe uidiſſe teſtatur? Sed ſcimus quia ſedere iudicantis eſt, ſtare uero pugnantis uel iuuantis. Quia igitur re-demptor noſter aſſumptus in cœlum, & nũc omnia iudicat, & ad extremũ iudex omnium uenit, hunc poſt aſſumptionem Marcus ſedere deſcribit, quia poſt aſcenſionis ſuæ gloriam iudex in fine uidebitur. Stephanus uero in laboris certamine poſitus ſtantem uidit, quem adiutorem habuit. Quia ut iſte in terra perſecutorum infidelitatem uinceret, pro illo de cœlo illius gratia pugnauit. INT. Cum angelus in Euangelio de Chriſto expo-nat, Dabit illi deus ſedem Dauid patris ſui, & Chriſtus ipſe in multis ſcri-pturarum locis filius eſſe dicatur Dauid: quomodo quaſi econtrario Chri-ſtus ipſe quærit à Iudæis in Euangelio, dicens: Si filius Dauid Chriſtus eſt, quomodo in ſpiritu uocat eũ dominũ? RESP. Dictũ eſt hoc imperi tis, qui quamuis uenturũ Chriſtũ ſperarent, ſecundũ hominẽ tamen eũ ex-pectarent non ſecundũ quod uirtus & dei ſapientia eſt. Docet ergo ibi fidẽ ueriſſimam & ſynceriſſimã, ut & dominus ſit regis Dauid ſecũdũ quod eſt uerbum, in principio deus apud deum, per quod facta ſunt omnia: & filius, ſecundum quod factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundũ carnem. Nõ enim dicit, Nõ eſt filius Dauid Chriſtus: ſed, ſi iam tenetis quod filius eius ſit, di ſcite quomodo ſit dominus eius: ne teneatis in Chriſto, quod filius homi-nis eſt, ita eñ filius Dauid eſt: & relinquatis q̃d filius dei eſt, ita enim domi nus eius eſt. INT. Cũ dominus inter cętera dicat, Si quis non odit uxo rem ſuã, non poteſt meus eſſe diſcipulus: quomodo Paulus econtra uidetẽ dicere, Viri, diligite uxores ueſtras, ſicut Chriſtus eccleſiã. Nũquid aliud iu dex nuntiat, aliud præco clamat? an ſimul & odiſſe poſſumus, & diligere?

RESP.

RESP. Si uim præcepti perpendimus, utrunq; agere per diſcretionẽ ualemus, ut eos qui nobis carnis cognatione cõiũcti ſunt, & quos proximos nouimus, diligamus, & quos aduerſarios in uia dei patimur, odiẽdo & fugiendo neſciamus. Quaſi enim per odiũ diligitur, qui carnaliter ſapiens, dũ praua nobis ingerit nõ audit. Vt autẽ dominus demonſtraret hoc erga proximos odiũ nõ de inaffectione procedere, ſed de charitate, addidit protinus, dicens: Adhuc aũt & animam ſuã odiſſe. Itaq; præcipimur proximos odiſſe & animã noſtrã. Conſtat ergo quia amando debet odiſſe proximũ, qui ſic eum odit ſicut ſemetipſum: etenim bene noſtram animam odimus, cum eius carnalibus deſiderijs non acquieſcimus, cum eius appetitũ frangimus, eius uoluptatibus reluctamur. Quæ ergo contẽpta ad melius ducitur, quaſi per odium amatur: ſic nimirum exhibere proximis noſtris odij diſcretionẽ debemus, ut in his & diligamus quod ſunt, & habeamus odio quod in dei nobis itinere obſiſtunt. INT. Quomodo in Euangelio interrogãtibus ſe Ioannes dixerit, Non ſum Helias: cum dominus dicat, ipſe eſt Helias? RESP. Ioannes proprie reſpondit, dominus figurate dixit: Ioannes enim ſecundũ proprietatem perſonæ non ſe eſſe Heliam reſpõdit. Dominus autem ſecundũ præfigurationẽ ipſum Heliam prædixit, id eſt quia in eodem ſpiritu & uirtute Heliæ, Ioannes Chriſti aduentum uenerat nuntiare, quo Helias ſecundũ Chriſti aduentũ nuntiaturus adueniet. INT. Cũ Ioannes Baptiſta uenientẽ ad baptiſma dominũ oſtẽderit, dicẽs: Ecce agnus dei, &c. qui & humilitatẽ ſuã & diuinitatis eius potentiã conſiderans dicit: Qui eſt de terra, de terra loquit: q autẽ de cœlo uenit, ſuper omnes eſt. Cur in carcere poſitus mittens diſcipulos requirit, dicens: Tu es qui uenturus es, an alium expectamus? Tanquam ſi ignoraret quem oſtenderat, & an ipſe ſit neſciat, quem ipſum eſſe prophetando, baptizando, oſtendendo clamauerat. RESP. Hæc citius quæſtio ſoluitur, ſi geſtæ rei tempus & ordo penſatur. Ad Iordanis enim fluenta poſitus, quia ipſe redemptor mũdi eſſet aſſeruit. Miſſus uero in carcerem, utrum alium expectent an ipſe ueniat requirit: non quia ipſum mũdi redemptorem dubitat, ſed requirit ut ſciat, ſi is qui per ſe in mundo uenerat, per ſe etiã ad inferna clauſtra deſcendat. Quem enim præcurrens naſcendo mundo nuntiauerat, hũc moriendo ad inferos præcurrebat, ait ergo: Tu es qui uenturus eſt, an aliũ expectamus: ac ſi aperte dicat, Sicut pro hominibus naſci dignatus es, an etiã pro hominibus mori digneris inſinua: ut qui natiuitatis tuæ præcurſor extiti, mortis etiam præcurſor fiam: & uenturũ in inferno nuntiem, quẽ iam ueniſſe mundo enuntiaui. INT. Cum ueritas in Euangelio dicat, Nemo aſcẽdit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo filius hominis, qui eſt in cœlo: quomodo hæc eadem ueritas econtra uideatur dicere, cum ait: Pater, uolo ut ubi ego ſum, & ipſi ſint mecum. RESP. Hæc ſibi in uerbis ſuis non diſcrepant,

ſed ad requirenda hæc quaſi diſcordantia ſtudium noſtræ mentis inflam/mant. Omnes enim nos qui ad eius fidē nati ſumus,eius procuIdubio cor/pus exiſtimus.Quia igitur mira diſpenſatione pietatis membrorū ſuorum caput dominus factus eſt,repulſa reproborum multitudine ſolus eſt etiam nobiſcum.Nemo ergo aſcendit in cœlū,niſi qui de cœlo deſcendit filius ho minis qui eſt in cœlo.Quia dum nos unū cum illo iam facti ſumus,unde ſo lus uenit,ſic illuc ſolus redit etiā in nobis: & is qui in cœlo ſemper eſt,ad cœ lū quotidie aſcendit:quia q diuinitate ſuper omnia permanet,humanitatis ſuæ compage ſeſe quotidie ad cœlos trahit. INT. Quomodo Chriſtus dicat,Caro nō prodeſt quicquā:cum econtrario dicat, Niſi quis manduca/uerit carnem meam,& biberit ſanguinem meum,non habebit in ſe uitam. RESP. Caro quippe ſine uiuificante ſpiritu ita nō prodeſt quicquā, ſicut ſcientia ſine charitate inflat potius quàm ædificat. De hac fortaſſe Apoſto lus loquitur, Caro & ſanguis regnū dei non poſſidebunt. Iam uero quod ait,Niſi quis manducauerit carnem meam,& biberit ſanguinem meū,non habebit in ſe uitam:ſacramentum manducationis carnis ſuæ, & potationis ſanguinis ſui mauult intelligi, per quod & nos in illo maneamus, & ipſe in nobis. INT. Quomodo Chriſtus in Euāgelio dicat pro patre, Ego nō quæro gloriā meam,eſt qui quærat & iudicet: & contrà, Pater non iudicat quenquā, ſed iudicium omne dedit filio. RESP. Iudiciū in ſanctis ſcri/pturis duobus modis accipi ſolet,unū pro damnatione, aliud pro diſcretio ne.Pro damnatione iudicium ponitur,ſicut in Euangelio dicitur, Procedūt qui male fecerunt in reſurrectione iudicij. Item iudicium pro diſcretione in Pſalmis ponitur,ubi dicit:Iudica me deus, & diſcerne cauſam meā de gen/te non ſancta.Vnde hic quod ſaluator dicit,Ego non quæro gloriā meam, eſt qui quærat & iudicet,Iudiciū in hoc loco pro diſcretione poſuit, qua di/ſcretione iudicij pater gloriā filij ſui ab humana inflatione diſcreuit, & ſecū dum hoc iudicium dictū eſt quod iudicet pater.Nam illud quod dicit, Iu/dicium omne datum eſt filio,de futuro examinationis iudicio debet intelli gi. Ac per hoc cū & hic pater per iudicium diſcretionis gloriā filij ſui à glo/ria hominū ſecernat,& poſt filius iudiciū uiuorū & mortuorū potentialiter exerat, in nullo hæc quæ dicta ſunt uidētur ſibi eſſe cōtraria. INT. Cū Chriſtus in Euāgelio ſecundū Ioannem dicat Iudæis,Scio quia filij Abra/hæ eſtis:quomodo quaſi ecōtrario uidetur eiſdem Iudæis in eodē Euange/lio ſtatim ſubijcere, dicens: Vos ex patre diabolo eſtis? RESP. Quod enim Iudæos filios Abrahæ dicit,de generatione carnali teſtatur,de qua il li utiq; deſcendebāt.Quod aūt patrem eorū eſſe diabolum aſſerit, de ope/re quod illi imitabantur innotuit. INT. Quomodo in Euangelio Chri ſtus pro ſe dixerit,Ego in iudiciū in hunc mundū ueni:& econtra, Non ue/ni ut iudicem mundū. RESP. Hoc eſt quod dicit,Ego ueni, ut qui non uident

uident uideant,& uidentes cæci fiant: diſcretionem ſcilicet iſtam per quam
hoc fit, uocauit iudicium,quod diſcernit cauſam humiliũ credentiũ & confi
dentiũ,à ſuperbis ſe uidere putãtibus,& ideo grauius excæcans. Qui enim
uidere ſe putabant, de iuſtitia ſua confidentes,& ſuperbi & cæci erant,quia
medicũ non credebant.Humiles uero credentes, quia ſe non uidere cõfeſſi
ſunt,medicũ quæſierunt,ut uidere mereantur. Iam uero illo quod ait,Non
ueni ut iudicem mundũ,pro futuro iudicio poſuit:ac ſi diceret, miſericordiã
impartire ueni,nõ iudicio mundum diſcutere, ſicut in futuro agendum eſt.
INT. Cum dominus in paſſione ſua pro perſequentibus ſe, id eſt pro
peccatoribus orauerit,& ante paſſionẽ Iudæis ipſis dixerit: Nunc uero pec
catum ueſtrũ manet:quomodo Paulus apoſtolus, qui tanto poſt tempore
ad fidẽ Chriſti acceſſit,dicere uidet̃,Chriſtus Ieſus uenit in hũc mundũ, ut
peccatores ſaluos faceret,quorũ primus ego ſum.Si peccatores alij eũ præ-
ceſſerunt,quomodo iſte primũ ſe fuiſſe peccatorẽ eloquit̃:nunquid ante il-
lum non erant peccatores? RESP. Quid eſt ergo,Quorũ primus ego
ſum,niſi antecedẽs omnes,nõ tempore,ſed malignitate. INT. Quomo
do dominus dicit,Alias oues habeo quæ nõ ſunt ex hoc ouili:cũ dicat,Nõ
ſum miſſus niſi ad oues quæ perierũt domus Iſraël. RES. Quid eſt,Nõ
ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël, niſi quia præſentiam
ſuã corporalẽ nõ exhibuit,niſi populo Iſraël:illud tamẽ quod dicit,Et alias
oues habeo,pro gentibus hoc intelligi uoluit. Ad quas gentes nõ perrexit
ipſe,ſed miſit: ad populũ uero Iſraël,& miſit,& per ſe uenit. INT. Quo
modo utrunq; Chriſtus dicat,Ego & pater unũ ſumus: & quaſi ecõtra,Pa
ter maior me eſt. RESP. Cum unũ ex his ſecundũ diuinitatis naturã,
aliud ſecundũ humanitatis ſubſtantiã dixit,nequaquã cõtrarium prædica-
uit.Quod enim dicit,Ego & pater unũ ſumus,de ſubſtãtia diuinitatis egit,
qua deus de deo, filius de patre, perfectus de perfecto, ſine initio uel fine
natus eſt.Quod aũt dixit,Pater maior me eſt,de natura humanitatis egit,
per quã filius à patre minor accipit̃. INT. Cum Ioannes Euangeliſta
uerba illa quibus Eſaias ſcribit, Vade, dic:Aure audietis, & nõ intelligetis,
hũc ipſum qui ad Eſaiam loquebatur,in perſona filij dei ponat: quomodo
Paulus quaſi econtrario ſpiritũ ſanctum eum qui ad Eſaiã loquit̃ eſſe teſta
tus eſt? Nã ubi Ioannes filiũ dei uult intelligi,qui Eſaiæ ita dixiſſet, ſcribit:
Propterea non poterant credere,quia dixit Eſaias,excæcauit oculos eorũ,&
indurauit eorũ cor,ut non uideant oculis,& intelligant corde,& conuertant̃
& ſanem eos. Vbi etiam ipſam perſonam filij demonſtrans ſubiunxit, di-
cens:Hæc dixit Eſaias,quando uidit gloriam eius,& locutus eſt de eo.Pau-
lus autem in Actibus apoſtolorum hoc teſtimonium locutum fuiſſe ſpiri-
tum ſanctũ cõmemorat,ubi ait: Bene ſpiritus ſanctus locutus eſt per Eſaiã
prophetam ad patres ueſtros,dicens: Vade ad populum iſtum & dic,aure

audietis,& non intelligetis,&c. RESP. Hanc quæſtionem ſanctus Auguſtinus ſoluit, dicit enim contra hæreticos: Quem igitur hunc eſſe uolunt aſſerant. Dicent enim forte filium. In Euãgelio enim cata Ioannẽ ſcriptum eſt,& propterea nõ poterant credere in Ieſum, quia dixit Eſaias propheta: Excæcauit eorum oculos, & obdurauit eorum cor. Ne forte uideant oculis, & intelligant corde,& conuertant,&c. Hæc dixit Eſaias cum uidiſſet gloriã eius,& locutus eſt de eo.Et quid faciũt de Paulo, qui ſpiritũ ſanctum dicit in illa gloria uiſum eſſe Eſaiæ, & locutũ eſſe ei, & miſiſſe eum ad populum ſupradicta dicere? Scriptũ eſt enim in Actibus apoſtolorũ,Conuenientes autẽ alter ad alterutrum Iudæi dimittebant,dicente Paulo uerbum unum, quia bene ſpiritus ſanctus locutus eſt ad patres noſtros per prophetã Eſaiam,dicens: Vade ad populum iſtum,& dic ei,Aure audietis,& non intelligetis,&c.uſq; illos.Ecce Ioannes quidem filium, Paulus uero ſpiritũ ſanctũ eſſe dicit, qui ſit uiſus Eſaiæ, ſedens ſuper thronũ altum & eleuatum,qui & adoratur,& laudatur,& glorificatur à Seraphin. Eccleſiæ autem Chriſti omnes ab oriente uſq; ad occidentem,conuenienter patrem à Seraphin laudari profitentur in myſteriorum relatione. Dicant itaq; nobis,qui uenerationem ſpiritui ſancto abnegant, quid nam ex his cum dicit,aut quis fallit utrum Ioannes ân Paulus:an uero omnes eccleſiæ patrẽ profitent eſſe,qui adoratur à Seraphin,Ioannes filium,Paulus uero ſpiritũ ſanctum? Si uero nemo eorũ fallit,ſed omnes ueritatem dicunt:manifeſte probatũ eſt, quod & ſolius patris nomen dicatur: habent tamen patrẽ & filium,ſi uenerentur, qui ſic adorant, uenerationẽ cœleſtium animantiũ imitati,& non ſuas cogitationes ſequantur. INT. Quomodo Chriſtus in Euangelio utraq; dicit,quæ ſibi uidentur eſſe contraria, dicit enim, Pacem meam do uobis: & econtra,Nõ ueni pacem mittere in terra, ſed gladium. RESP. Alia eſt pax Chriſti quam diſcipulis dedit,alia mundi. Iſtã pacem quã habet mundus,negat ſe dare Chriſtus,dicit enim:Pacem meã do uobis,meã pacem relinquo uobis:non ſicut hic mũdus dat pacem & ego do uobis. Negat ergo ſe pacem mundi dare diſcipulis ſuis,quia & alibi dicit: Non ueni pacẽ mittere,ſed gladiũ. Vis ergo uidere,quã pacem dat deus ſuper terram noſtrã? Si terra illa bona,quæ affert fructum centeſimũ,aut ſexageſimum,&c,illã pacem ſuſcipiet à deo,quam dicit Apoſtolus: Pax aũt dei quæ ſuperat omnẽ mentem,cuſtodiat corda ueſtra,& ſenſus ueſtros. Hæc eſt ergo pax quam dat deus ſuper terrã noſtram. INT. Quomodo in Euangelio dicit, Omnia quæcunq; audiui à patre meo,nota uobis feci: cum ipſe item ibi poſt paululum dicat,Adhuc multa habeo dicere uobis,ſed non poteſtis ea portare modo. RESP. Quod dicit,Omnia quæ audiui à patre meo, nota uobis feci,non quia ea nota iam feciſſet,ſed ea quæ ad futurum nota facere debuit dixit:ac proinde contrarium non eſt loco iſti ubi dicit: Adhuc mul

ta habeo uobis dicere: quia utiq; multa nos utiliter neſcire in præſenti do/
minus uoluit, quæ tamen ſalubriter nobis in futurum ſcienda ſeruauit.

INT. Cum dominus in Euãgelio dicat, quodcunque petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis: quomodo Paulus ter ſe rogaſſe dominum di/cit, ut ſpiritus ſatanæ ab eo deberetur auferri, quod tamen impetrare non potuit. RESP. Si omne quod petimus in nomine filij dat nobis pater, quid eſt quod Paulus ter dominum rogauit, & exaudiri nõ meruit: ſed di/ctum eſt illi: Sufficit tibi gratia mea, nam uirtus, &c. Nunquid ille tam egregius prędicator in filij nomine nõ petijt? Quare autem nõ accepit quod pe tijt? Quomodo ergo uerũ eſt, quia quicquid petierimus in nomine filij dat nobis, ſi auferri à ſe angelũ ſatanæ petijt apoſtolus Paulus in nomine filij, & tamẽ quod petijt nõ accepit, niſi quia nomẽ filij Ieſus eſt, Ieſus aũt ſalua/tor, uel etiã ſalutaris dicit: ille ergo in nomine ſaluatoris petit, q ſalutaria pe/tit. Nã ſi id quod nõ expedit petitur, non in nomine Ieſu petitur pater. Vn de & eiſdẽ apoſtolis adhuc infirmantibus dominus dicit: Vſq; modo non petiſtis quicquã in nomine meo: ac ſi aperte diceretur, non petiſtis in nomi ne ſaluatoris, quia neſcitis petere æternam ſalutẽ. Hinc eſt quod & Paulus non exauditur, quia ſi liberaretur à tentatione, ei non proderat ad ſalutem.

INT. Cum in Euãgelio Ioannis agnoſcatur Chriſtum dixiſſe, Ego pa lãm locutus ſum mundo: quomodo quaſi econtra in eodem Euangelio ui/detur promiſiſſe, ad diſcipulos dicẽs: Hæc in prouerbijs locutus ſum uobis, uenit hora cũ iam non in prouerbijs loquar uobis, ſed palàm de patre meo annuntiabo uobis. Si ergo ipſis coniunctioribus diſcipulis non loquebatur palàm, ſed horam promittebat, quãdo palàm fuerat locuturus: quomodo palàm locutus eſt mundo? Deinde illis ipſis, ſicut aliorũ quoq; Euãgeliſta rum teſtatur autoritas, in eorũ comparatione qui diſcipuli eius non erant: multum utiq; manifeſtius loquebatur, quando cũ ſolis erat remotus à tur/bis: tunc enim eis & parabolas aperiebat, quas clauſas proferebat ad alios. Quid eſt ergo, In occulto locutus ſum nihil? RESP. Sed intelligẽdum ita eum dixiſſe, Palàm locutus ſum mundo: ac ſi dixiſſet, Multi me audie/runt: ipſum autem palàm modo quodam erat palàm: palàm quid fecerat quia multi audiebant: & quod ſeorſum diſcipulis loquebatur, non occulto utiq; loquebatur. Quis nanq; in occulto loquitur, qui coram tot hominibus loquitur: cum ſcriptum ſit, In ore duorum uel trium teſtiũ ſtabit omne uer/bum: præſertim ſi hoc loquitur paucis, quod per eos uelit innoteſcere mul/tis: ſicut ipſe dominus ait illis, quos adhuc paucos habebat: Quod dico uo/bis in tenebris, uſq; ſuper tecta. Ergo & hoc ipſum quod ab eo dici uideba/tur occulte, quodammodo non dicebatur in occulto, quia non ita dicebatur, ut ab eis quibus dictũ fuerat taceretur, ſed ita potius ut uſquequaque prędicaret.

EX NOVO TESTAMENTO.

EX EPISTOLIS PAVLI.

INTERROGATIO

QVOMODO Paulus apoſtolus utrunq; dicit de Chriſto, quæ ſibi uidentur eſſe contraria, id eſt qui natus ex ſemine Dauid ſecundum carnem, uel cætera talia: & econtra, Etſi noueramus Chriſtum ſecundum carnem, ſed iam nunc non nouimus. RESP. Quod filius dei ex ſemine Dauid homo natus eſt, nec idem Apoſtolus uno loco dicit, & ſanctæ ſcripturæ apertiſſime prædicant, Quod uero dicit, Etſi noueramus Chriſtum ſecundum carnem, ſed iam nunc non nouimus, ea ipſa circumſtantia ſcripturæ loci eius ſatis oſtendit quid loquitur Apoſtolus: ſuo quippe more uitam noſtram in futuram, quæ iam in ipſo homine mediatore Chriſto Ieſu capite noſtro reſurgente completa eſt, ita ſpe certa meditatur, tanquam iam adſit præſens quæ teneatur: quæ utique uita non erit ſecundum carnem, ſicut iam uita Chriſti non eſt ſecundum carnem. Carnem quippe hoc loco appellat, id eſt carnalem corruptionis qualitatem: quæ tunc iam nó erit, quia mutata caro non corrumpetur. Noueramus ergo Chriſtum ſecundum carnem, id eſt ſecundum carnis mortalitatem antequàm reſurgeret: ſed nunc iam non nouimus, quia, ſicut dicit idem Apoſtolus, Chriſtus reſurgens à mortuis, iam non moritur, &c. Ergo utrunq; in nullo ſibi repugnari uidetur, quod Apoſtolus dixit: quia & antequàm Chriſtus reſurgeret, carnem eum nouerat habuiſſe mortalem, & poſtquàm reſurrexit, nulla eum attingi credidit mortis corruptione.

INT. Cum Paulus Romanis ſcribat Iudęos & Gręcos omnes ſub peccato eſſe definiens, atq; ſub hac occaſione omne genus hominum ſub peccato eſſe deſignet: quomodo ipſe quaſi ecõtrario loquitur, dicens: Vbi non eſt lex, nec præuaricatio. Aut quomodo de ſe dicat, Viuebam aliquando ſine lege, qui rurſum de ſemetipſo dicit, quod circuncißionem octaua die ſecundum legem ſuſceperit. RESP. Apud Iudæos quidem legem Moſi eſſe manifeſtum eſt, apud gentiles uero legem naturæ non dubium eſt, quæ teſtimonio conſcientiæ arguat delinquentem. Vbi ergo quæremus hominem in quo non ſit lex, & qui per hoc non uideatur in præuaricatione peccati? quia & ipſe Paulus de ſemetipſo dicit: Ego autem uiuebam ſine lege aliquando. Et quando Paulus ſine lege uixit, qui rurſum de ſemetipſo dicit, circuncißionem octaua die ſe habere Hebræus ex Hebræis? Quomodo ergo uerum erit eum aliquando ſine lege uixiſſe, qui octaua die natiuitatis ſuæ ſignũ circũciſionis ex lege ſuſcepit? Vnde cõſtat tũc fieri hominẽ

ſub lege,quando ad id ætatis uenerit, ut eligere poſſit & diſcernere quid ſit lex,nec prius legis ullius extrinſecus iugum ſuſcipere, quàm interne & naturalis legis habere incipiat firmitatem. Deniq; in eo ubi dixit, Ego autē uiuebam ſine lege aliquando, addidit,ſed ubi uenit mandatum,peccatū reuixit. In quo hoc eſt quod oſtendit,quia in pueritia priuſquàm diſcretionem quis habeat boni & mali, ſine lege eſſe dicit̃: cū etiā ſi peccat, quia lex in eo non eſt, peccatū ei non imputatur: cū uero diſcretionem boni maliq; acceperit,uenisse ei dicitur lex,& uenisse mandata:ubi autē eſt uis mandati,hoc eſt cōſcientia redarguens peccatū,quod prius in eo mortuū erat dicitur reuixiſſe. INT. Cū Paulus apoſtolus ad Romanos ſcribat, Iudæos & Græcos omnes ſub peccato eſſe: quomodo idem in ſubſequentibus nō omnes, ſed multos per inobedientiam unius hominis peccatores conſtitui definit, dicens: Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, ita & per unius obedientiā iuſti conſtituentur multi. RESP. Peccatores quomodo multi, & nō omnes uideantur: cum idem Apoſtolus dicit,quia omnes peccauerunt,debemus oſtendere. Aliud eſt peccaſſe, aliud peccatorem eſſe. Peccator dicitur is, qui multū delinquendo in conſuetudinem,& ut ita dicam,ſtudiū peccandi iam uenit.Sicut econtrario iuſtus non dicitur is, qui ſemel aut bis aliquid iuſtitiæ fecerit, ſed ille qui ſemper iuſte agendo uſu & conſuetudine iuſtitiam habet. Nam ſi quis in cæteris ferè omnibus iniuſtus ſit, ſemel autem uel bis aliquid iuſti operis gerit, iſte in eo quidem opere in quo iuſtitiam tenuit, iuſte egiſſe dicetur, non tamen ex hoc iuſtus appellabitur. Ita & iuſtus peccaſſe quidem dicitur,ſi aliquid cōmiſerit aliquando quod non licet: nō tamen ex hoc peccator appellabitur, qui peccandi uſum & conſuetudinem non tenet. Sicut & medicus non ille dicitur, qui & leuiter ruptæ capitis cuti ſcit imponere araneam, aut qui tumorem uulneris aqua calida fouere,quamuis etiam hoc medicinæ eſſe uideatur.Sed ille dicitur medicus, qui uſum ac ſtudium & diſciplinam habet medendi.Ex quibus omnibus puto ſufficienter oſtendi, quod aliud ſit peccare,aliud peccatorem eſſe. Omnes enim poteſt fieri ut peccauerint, etiam ſi ſancti fuerint, quia nemo mundus à ſorde, nec ſi unius diei fuerit uita eius. Quis ēm̃ eſt quin aut in facto,aut in uerbo, aut qui cautiſſimus certe eſt,uel in cogitatione peccauerit: & ideo dixi, peccaſſe quidem merito omnes dicentur,peccatores autem facti non omnes,ſed multi. INT. Quomodo Paulus ad Romanos ſcribens,legem ſe non deſtruere,ſed confirmare teſtetur, dicens: Legem deſtruimus per fidem? abſit, ſed legem ſtatuimus:cum econtrario in ſecūda ad Corinthios Epiſtola deſtructionem eiuſdem legis prædicet,dicens:Si miniſterium mortis in literis formatum,in lapidibus factum eſt in gloria,ita ut non poſſint intendere filij Iſraël in faciē Moſi,propter gloriam uultus eius qui deſtruit̃: quomodo non magis mi-

niſterium

niſterium ſpiritus erit in gloria? Et paulo poſt, Si enim quod deſtruitur per gloriam eſt, multo magis quod manet in gloria eſt: quomodo ergo Apoſtolus teſtatur ſe legem non deſtruere, ſed confirmare, cum gloriam uultus Moſi, quam legem eſſe demonſtrat, deſtrui prædicet. RESP. Non eſt idem quod dixit, Legem deſtruimus, & lex deſtruitur. Paulus ergo in præſenti loco hoc pronũtiat, quod legem ipſe non deſtruat. Nam etſi deſtruit̃ lex, per eam quæ ſupereminet gloriã, & non per Paulum, neq; per aliũ aliquem ſanctorum deſtruitur. Vnde & ipſe dominus dicebat: Non ueni ſoluere legẽ, ſed adimplere. Nullus ergo ſanctorũ, nec ipſe dominus deſtruet legem, ſed gloria eius temporalis & pertrãſiens, à gloria æterna permanente deſtruitur & ſuperatur. INT. Cum lex quæ à deo data eſt, nõ omnibus tunc gentibus tradita fuiſſet, quando & Iudæis, & ex hoc dicere uideat̃ Apoſtolus, Vbi non eſt lex, nec præuaricatio. Quo pacto quod in Pſalmo legit̃, uerũ ſit, Præuaricatores exiſtimaui omnes peccatores terræ. RESP. Si non eſt præuaricatio ubi lex nõ eſt, cur præuaricatores à propheta dicũtur, qui legẽ nõ acceperũt? Sed ſi cõſideremus omne genus hominũ de primo parente trahere originale peccatũ, ipſum ſolum & primũ teſtamẽtum eſt ſub quo omnes homines etiã ſine alia lege præuaricatores eſſe dicũtur. Sed cũ lex euidenter poſtea data ſit, & dicat Apoſtolus, Vbi nõ eſt lex, nec præuaricatio: quo pacto in pſalmo quod legit̃ uerũ eſt, Præuaricatores exiſtimaui, &c. niſi quia omnes legis eius præuaricatæ ſunt rei, qui aliquo peccato tenent̃ obſtricti: quãobrem etiã paruuli, quod uera fides habet, naſcũtur nõ proprie ſed originaliter peccatores. Vnde illis gratiã remiſſionis peccatorũ neceſſariã cõfitemur pro peccato, eo modo quo ſunt peccatores etiã præuaricatores legis illius quæ in paradiſo data eſt agnoſcunt̃, ut uerum ſit utrunq; quod ſcriptũ eſt, Et peccatores exiſtimaui omnes peccatores terræ, & ubi lex non eſt, nec præuaricatio. INT. Vtrũ ſine lege Moſi credatur Paulus aliquãdo uixiſſe, per hoc quod dicit: Ego aũt uiuebam ſine lege aliquando: cũ ſpecialiter ſe fateat̃ Hebræum ex Hebræis, & octaua die circũciſum ſecũdũ legis præceptũ. RESP. Si lex naturalis à lege quæ Hebræo populo data eſt diſcreta agnoſcit̃, quid de qua lege dixerit facilius reperit̃. Origenes ſine lege peccatum mortuum eſſe in nobis oſtendit, hoc eſt ante quàm per ætatẽ rationabilis intra nos ſenſus uigeret: exemplũ quoq; pueruli percutientis patrem aut matrem, uel maledicentis adducens: in quo, ut aſſerit, ſecũdũ legem quidem prohibentẽ percuti uel maledici patrẽ aut matrem, peccatum fieri uidetur. Sed iſtud peccatũ mortuum eſſe dicit, quia lex nondum adeſt in puero, quæ eum doceat hoc quod facit fieri nõ licere. Sine hac aũt lege naturali, uel rationabili, & Paulum, & omnes homines certum eſt aliquãdo uixiſſe, hoc eſt in ætate puerili. Omnes enim ſimiliter per illud tempus nõdum capaces huius naturalis legis exiſtunt; nam utiq; non

uideretur

uideretur de hoc Pauli eſſe uera profeſſio qua dicit,Ego autem uiuebam ſine lege aliquãdo. INT. Quomodo dicat Apoſtolus,Lex quidẽ ſancta & iuſta,& bona:cum econtra uideatur dicere, Virtus peccati lex:quomodo bonam eam legem dicit,quam uirtutem peccati eſſe narrauit? RESP. A deo bona lex data, ſemper eſt bona:lex tamẽ ideo uirtus peccati eſt dicta, cum auget ipſius peccati noxiam delectationem per ſeueram exhibitionẽ, nec tamen etiã ſic mala eſt. INT. Cum Paulus dicat, Peccatũ nõ imputatur cũ lex nõ eſt,necnõ & illud quod dicit, quia per legẽ fit agnitio peccati:quomodo Cain cũ peccaſſet ait,Maius eſt peccatũ meum,q̃ ut remittatur. Sed & patriarchæ cũ ad Ioſeph deſcendiſſent in Ægypto, & ſimulata ab eo cõfutatione arguerent̃,ita ad alterutrum dicũt,In peccatis ſumus pro fratre noſtro, quia deſpeximus tribulationẽ animæ eius, cũ rogaret nos, & nõ exaudiuimus,en propter hoc uenit ſuper nos tribulatio hæc.Sed & Iob ante legẽ fuiſſe cõſtat,cũ ita dicit:Quod etſi peccaui inuitus,ſi occultaui peccatum meũ,aut confuſus ſum multitudine populi quo minus annuntiarem delictum meum: qui omnes euidẽter docentur agnouiſſe peccatum ſuum. RESP. Ex his colligitur Paulum apoſtolũ non de lege Moſi dixiſſe, ſed de naturali lege,quæ ſcripta eſt in cordibus hominũ.Secundum ergo hanc legem naturalem conſequenter Apoſtolus dixiſſe uidebitur,Omne os obſtruendum,& omnem mũdum obnoxium deo:iudicio enim legis quæ naturaliter hominibus ineſt,nullus eſt expers,neq; Iudæorũ,neq; gentilium.

INT. Quomodo Paulus apoſtolus duo hæc cõtraria ſibi dixiſſe uideatur,ut illic ubi de corpore mortis huius loquebat̃ diceret,Quod eñ operor non intelligo:& econtrario,Peccatum non cognoui,niſi per legem,& per legem cognitio peccati: quomodo enim peccatum ignorabat, quod per legem ſciebat? RESP. Illud ubi ait Apoſtolus, Quod enim operor ignoro,quid eſt aliud quàm nolo,non approbo, non conſentio,non facio: alioquin contrarium eſt his quæ ſuperius dixit, Per legem cognitio peccati, & peccatum non cognoui niſi per legem, & peccatum ut appareat peccatum per bonum mihi operatum eſt mortem.Quomodo enim peccatum per legem cognouit quod ignorat, quomodo apparet peccatũ quod ignoratur? Sic ergo dictum eſt,ignoro,non facio, quia nulla cõſenſione id ego ipſe cõmitto:quomodo dicturus eſt deus impijs, Non noui uos,quem proculdubio latere nemo poteſt.Et ſicut dictum eſt, eum qui nõ nouerat peccatum, quod eſt, non fecerat.Neq; enim nõ nouerat quod arguebat. INT. Cũ Paulus apoſtolus dicat in ſpiritu ſancto nos clamare,Abba pater:quomodo rurſum alio loco dicit, Dedit deus ſpiritum filij ſui in corda noſtra clamantẽ,Abba pater:quõ nos clamamus,ſi ipſe clamat in nobis? RESP. Niſi quia clamare nos facit dũ habitare cœperit in nobis:etiã hoc itaq; agit acceptus,ut largius accipiẽdus,petẽdo,quærẽdo,pulſando poſcat̃.Siue eñ

uita

uita bona petatur,ſiue ut bene uiuatur. Quotquot ſpiritu dei agũtur,ij filij dei ſunt.Siue ergo cum dicitur nos clamare per ſpiritum ſanctũ,ſiue ipſum in nobis clamare ſpiritum,non eſt contrarium: quia & cum nos clamare dicimur,non ex nobis,ſed ex illo clamare probamur: & cũ ille clamare in nos legitur, quid aliud niſi efficientia ſui operis quo nos agimus demonſtratur? INT Cum ad Romanos ſcribens Apoſtolus adoptionem filiorũ dei,& redemptionẽ corporis ſui expectare ſe dicat:quomodo ibi quaſi iam ſit filius dei,& non ſit quod ultra expectet,uelut econtrario dicit,Quia ſpiritus teſtimonium reddet ſpiritui noſtro,quia ſumus filij dei.Et iterum, quomodo redemptionẽ corporis ſperat, qui alijs dicit, Chriſtus nos redemit. RESP. Hæc interim Origenes ſic ſoluit,Vt mihi uidetur,inquit, ipſe hoc ſoluit eo ſermone,qui in cõſequentibus habet. INT. Cũ Paulus ad Romanos ſcribens,Si deus pro nobis,quis aduerſum nos, quaſi abſolute pronunciet neminem nobis eſſe aduerſarium: quomodo Petrus econtra uidet prædicare,dicens:Aduerſarius ueſter diabolus ſicut leo rugiens circuit quærens quem deuoret. RESP. Dicit quidem Apoſtolus:Si deus pro nobis, quis contra nos: non quo omnino nullum nobis ineſſe dicat aduerſarium:ſed hoc eſt quod oſtendit, quia deo agente pro nobis, cõtemptibilis & nullus efficitur aduerſarius noſter. INT. Dum Paulus dicat,Non eſt poteſtas niſi à deo: quomodo dominus per prophetam de quibuſdam loquitur,dicens:Ipſi regnauerunt,ſed non ex me. RESP. Quaſi diceret, non me propitio,ſed me irato. Vnde inferius per eundem prophetam dicit:Dabo,inquit, tibi regem in furore meo, quo manifeſtius elucet bonam malamq; ordinationem à deo ordinari:ſed bona propitius,mala iratus.

INT. Cum Paulus ad Romanos ſcribat, Vnuſquiſq; ueſtrum proximo ſuo placeat in bono ad ędificationem:quomodo in alijs dicit,Si hominibus placerem,Chriſti ſeruus non eſſem. RESP. Aliud eſt ſtudiũ habere placendi hominibus, ut laudem ab eis quærat: & aliud eſt ſtudiũ habere placendi hominibus,in eo quod uita ſua irreprehẽſibilis eſt apud homines:ſed proficiunt ex eo omnes,qui uel uident talem,uel audiunt. Ibi ergo placendum non eſt hominibus, ubi contra fidem, contra honeſtatem, contra religionem eſt in quo placeat,& ideo dicit: Quia ſi hominibus placerem,hoc eſt incredulis & infidelibus Iudæis,Chriſti ſeruus non eſſem.

INT. Cũ Paulus apoſtolus ad Corinthios ſcribens laudet eos in principio epiſtolæ ſuæ, dicẽs: Gratias ago deo meo ſemper pro uobis in gratia dei,quæ data eſt uobis in Chriſto Ieſu,Quia in omnibus diuites facti eſtis in illo, in omni uerbo & in omni ſcientia,ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in uobis,ita ut nihil uobis deſit in ulla gratia: quomodo contra laudem à ſe prolatam ſubiungere uidetur, dicens: Obſecro autem uos fratres per nomen domini noſtri Ieſu Chriſti,ut idipſum dicatis omnes,& nõ

ſint

ſint in uobis ſchiſmata, & illud: Significatū eſt enim mihi de uobis fratres mei ab his qui ſunt Cloës,quia cõtētiones in uobis ſunt, &c. RESP. Ecce quos in omni uerbo, & in omni ſcientia laudauerat, quibus nihil deeſſe in ulla gratia dixerat,pauliſper loquens ad increpādum leniter ueniens, diuiſos erga ſeipſos reprehēdit: & quorū prius ſalutem narrauerat, poſtmodum uulnera patefacit. Peritus enim medicus uulnus ſecandum uidens,ſed ægrum timidum eſſe cõſpiciens, diu palpauit,& ſubito percuſſit. Prius eñi blandam manum laudis poſuit,poſtmodū ferrum increpationis fixit. Niſi enim uerecundæ mentes fuerint palpando reprehenſæ,ita ut ex alijs rebus audiant quod in conſolationem ſumant, per increpationē protinus ad deſperationem cadunt. Sed nunquid mentitus eſt Paulus, ut prius eis nil deeſſe in omni gratia diceret,quibus poſtmodum dicturus erat,unitatem deeſſe? Abſit. Quis de illo talia uel deſipiens credat? Sed quia erāt inter Corinthios quidam omni gratia repleti,& erant quidam in perſonarū fauoribus excuſſi,cœpit à laudibus perfectorū, ut modeſta inuectione adprehenſionē pertingeret infirmorū. INT. Quomodo Paulus dicat,Nolite maledicere:uel illud,Neq; maledici regnū dei poſſidebunt:cū ipſe maledictionis ſententiā protulerit,dicendo, Alexander faber ferrarius multa mala mihi fecit,ſed reddet illi deus ſecundū opera ſua:uel illud quod Ananię dixit, Percutiet te deus paries dealbate. RESP. Sciendū eſt quod ſcriptura ſacra duobus modis maledictū memorat, aliud uidelicet quod approbat, aliud quod damnat. Aliter enim maledictū profertur iudicio iuſtitiæ,aliter liuore uindictæ. Maledictum quippe iudicio iuſtitiæ in ipſo primo homine peccante prolatū eſt,cum audiuit, Maledicta terra in operibus tuis. Et illud quod ad Abraham dicitur, Maledicam maledicentibus tibi. Et rurſum quia maledictū liuore uindictæ promitur,uoce Pauli prædicantis admonemur, Benedicite,& nolite maledicere. Deus ergo maledicere dicit,& tamen maledicere homo prohibetur:quia quod homo agit malitia uindictæ, deus non facit niſi examine & uirtute iuſtitiæ: cū uero ſancti uiri maledictionis ſententiā proferunt,non hanc ex uoto ultionis, ſed ex iuſtitia examinis erumpunt:intus enim ſubtile dei iudiciū aſpiciunt, & mala foras exurgētia quæ maledicto debeant ferire cognoſcunt, & eo in maledicto nō peccant, quo ab interno iudicio nō diſcordant. Hinc eſt quod Petrus in offerentē ſibi pecuniā Simonem ſententiā maledictionis intorſit, dicens: Pecunia tua tecū ſit in perditione. Qui enim non ait,eſt,ſed ſit,non indicatiuo ſed optatiuo modo ſe hæc dixiſſe ſignauit. Hinc Helias duobus quinquagenarijs ad ſe uenientibus dixit: Si homo dei ſum,deſcendat ignis de cœlo,& cõſumat uos. Quorū utrunq; ſententia quanta ueritatis ratione cõualuit, terminus cauſæ monſtrauit. Nam & Simon ęterna perditione interijt,& duos quinquagenarios deſuper ueniens flamma cõbuſſit. Virtus ergo ſubſequens teſtificat

ſtificatur qua mente maledictionis ſententia promitur. Cum enim & male dicentis innocentia permanet, & tamen eum qui maledicitur uſq; ad interitum maledictio abſorbet, ex utriuſq; partis fine colligitur, quia ab uno & intimo iudice in reum ſententia ſumpta iaculatur. INT. Quomodo diuiſiones gratiarum, quæ nobis per ſpiritum dantur, ad menſuram dicat Apoſtolus: cum in Euangelio dicatur, Deus non dat ſpiritum ad menſuram. RESP. In hominibus datur ſecundũ Apoſtolum ad menſuram ſpiritus, alij quidem per ſpiritum ſermo ſapientiæ, alij autem ſermo ſciẽtiæ ſecundũ eundem ſpiritum, &c. unico autem filio ſuo pater nõ dat ſpiritum ad menſuram, quia in ipſo omnis plenitudo diuinitatis corporaliter inhabitat.

INT. Cum Paulus in Epiſtola ad Corinthios prima de ſuis coapoſtolis dicit, Abũdãtius illis omnibus laboraui: quomodo in Epiſtola ad Epheſios extremũ ſe omniũ electorum exiſtimans, dicit: Mihi infimo omnium ſanctorum data eſt gratia hæc in gentibus euangelizare. RESP. Non puto apoſtolum Paulum cum mentis ſuæ cõcordaſſe ſecreto, ut uere omnibus ſanctis infimum ſe eſſe dixerit. Verbi cauſa his qui erant Epheſi, qui Corinthi, qui Theſſalonicæ, uel qui in toto orbe crediderãt. Quod cum humilitatis indicium ſit, ſe omnibus ſanctis infimum dicere, mendacium eſt reatus, aliud in pectore clauſum habere, aliud lingua promere: reperiendum ergo eſt argumentum, quod & Paulus uere omnibus ſanctis infimus fuerit, & tamen de apoſtolica nõ ceciderit dignitate. Loquitur dominus in Euangelio ad diſcipulos: Qui uult in uobis maior eſſe, ſit omnium minor: & qui uult eſſe primus, ſit omnium nouiſſimus. Quod Paulus opere complebat, dicens: Puto eñ quia deus nos apoſtolos nouiſſimos oſtendit quaſi morti deſtinatos. Omnibus igitur qui ſe propter Chriſtum infimos eſſe cupiebant, apoſtolus Paulus infimior erat, & idcirco maior. Omnibus enim, inquit, plus laboraui, non autem ego, ſed gratia dei quæ mecum eſt. Propter quam humilitatem, dum omnium ſanctorũ eſt infimus, data eſt hæc ei gratia in gentibus, ut euangelizaret inueſtigabiles diuitias Chriſti, & doceret diſpenſationem Chriſti myſterij, abſconditã à ſeculis in deo, qui uniuerſa creauit. INT. Cũ Paulus dicat de ſemetipſo in Epiſtola ad Corinthios, Non ſecundũ carnẽ uiuimus, neq; ſecundũ carnẽ militamus: quomodo ad Romanos ecõtrario ſcribit, dicens: Ego autẽ carnalis ſum: & cum alio loco dicat uiuere in ſe Chriſtũ & ſpiritũ ſanctũ, dicendo, propter inhabitantẽ ſpiritũ eius in nobis: quomodo quaſi ecõtrario loquitur, Quia nõ habitat in me, hoc eſt in carne mea bonũ. RESP. Si cui iſta quę dicuntur, cõtraria apoſtolicę dignitati eſſe uidentur, ſi dicta accipiat, ut Apoſtolus hæc ipſa non de ſua perſona, ſed perſonam infirmorum in ſe ſuſcipiens dixerit, hæc fortaſſe contraria non putabit: qui & carnalem ſe nominans, & nõ habitare in ſe bonũ pronũtians, iuxta quod Origenes refert, nõ in ſua perſona

Apoſtolus

Apoſtolus dixit,ſed tanquam doctor eccleſiæ,perſonam in ſemetipſo ſuſci piens infirmorum,elicuit:iuxta quod & alibi idem Apoſtolus dicit. Factus ſum infirmis infirmus,ut infirmos lucrarer.Quanquam & beatus Auguſti nus ad Bonifacium Papam ſcribens, hoc ipſum de perſona Apoſtoli acci pi poſſe teſtetur quod dicit, Ego autem carnalis ſum,uenundatus ſub pec cato:quia nondum ſpirituale corpus habebat Apoſtolus, ſic ut poſſit dice re,Ego autem mortalis ſum: quod utiq; non niſi ſecundum corpus intelligi tur dixiſſe,quod nondum fuerat immortalitate ueſtitum: quod etiā etſi iu xta hunc modum ſentiatur,nec ſic erit bene intelligenti contrarium.

INT. Cum Paulus dicat,Deus erat in Chriſto,mundum reconcilians ſibi:quomodo Chriſtus in paſſione ſua clamauit, Deus deus meus, quare me dereliquiſti? RESP. Vox iſta qua Chriſtus clamauit, Deus deus meus,&c. non ex perſona uerbi qua unus cū patre & ſpiritu ſancto perma net deus,ſed ex ueteri homine,non quem ipſe ſuſceperat,accipienda eſt. Ille nāq; qui per potentiā magnæ diuinitatis, qua patri æqualis eſt, reſuſcita uerat mortuos,ſubito in manus inimicorum infirmus factus eſt,& quaſi ni hil ualens apprehenſus eſt. Sed quando prenderetur, niſi primo illi in cor de ſuo dicerent,deus dereliquit eum? Vnde illa uox eſt in cruce,Deus deus meus,ut quid me dereliquiſti. Nunquid deus dereliquit Chriſtum,cū deus eſſet in Chriſto, mundum reconcilians ſibi,cum eſſet & Chriſtus deus, ex Iudæis quidem ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia deus benedictus in ſecula, deus dereliquit illum? Abſit, ſed in ueteri noſtro uox noſtra eſt: quia ſimul crucifixus eſt uetus homo noſter cum illo,qui de ipſo ueteri no ſtro corpus acceperat,quia Maria de Adam erat:ergo quod illi putauerūt, hoc de cruce dixit,Quare me dereliquiſti. INT. Quomodo Paulus apo ſtolus dicat,Si adhuc hominibus placerem,Chriſti ſeruus non eſſem:cum idē alio loco præcepit, Placete omnibus per omnia, ſicut ego omnibus per omnia placeo. RESP. Hæc qui non intelligunt, cōtraria putant,ſed nō eſt ita:nam & non ſe placere hominibus recte dicebat, quia in eo ipſo non ut hominibus,ſed ut deo placeret intuebatur.Item placendum eſſe homini bus recte præcipiebat,non ut hoc appeteretur, tanquā merces recte facto rum:ſed quia deo placere non poſſit,qui non ſe his quos ſaluos fieri uellet, præberet imitandum. Placet ergo Paulus,& nō placet:quia in eo quod pla cere appetit,non ſe,ſed ipſe hominibus placere ueritatem quærit.

INT. Cum Paulus apoſtolus in Epiſtola ad Galatas referat per ordi nem,ubi primum poſt conuerſionem ſuam acceſſerit, dicens: Abij in Ara biam,& iterum reuerſus ſum Damaſcū: quomodo Lucas in Actibus apo ſtolorum eundem Paulum poſt acceptam fidem Chriſti nō in Arabiam, ſed in Damaſco prius commoraſſe teſtatur. RESP. Hæc à beato Hie ronymo ſic explanata reperimus,de eo quod Apoſtolus dixit,Abij in Ara

biam,& iterum reuerſus ſum Damaſcū,non ſibi uidetur hiſtoriæ ordo conuenire, referente Luca in Actibus apoſtolorum, quod cū Paulus poſt fidē Chriſti per dies multos Euangelium Damaſci loqueretur audenter, factæ fuerint ei inſidiæ,& in ſporta per murū nocte dimiſſus ſit,& uenerit in Hieruſalem tentans ſe coniungere diſcipulis:à quibus cū uitaretur, & timerent ad eum accedere,à Barnaba ad apoſtolos illū eſſe perductum, & ibi narraſſe quomodo dominū uiderit in itinere,& Damaſci fiducialiter egerit in nomine Ieſu.Erat,inquit,cum illis intrans & exiens in Hieruſalem,& fiducialiter agens in nomine domini. Loquebatur quoq; & diſputabat cum Græcis,illi autē quęrebant occidere eum.Quod cū cognouiſſent fratres,deduxerunt eum Cæſaream, & dimiſerunt Tarſo. Hic autē dicit ſe primum iſſe in Arabiam,& iterū reuerſum Damaſcum, poſt triennium ueniſſe Hieroſolymam,uidiſſe Petrum,& cū eo manſiſſe diebus XV, nec pręter Iacobū fratrem domini alterum cognouiſſe.Quæ ut uera credantur (dubia quippe uideri abſentibus poterant) ſub teſtatione cōfirmat,dicēs: Quæ autē dico uobis,ecce corā deo,quia non mentior. Poſſumus æſtimare iſſe quidem Paulum ſecundū Lucæ hiſtoriā in Hieroſolymā, nō quaſi ad anteceſſores apoſtolos,ut aliquid ab illis diſceret,ſed ut perſecutionis impetū declinaret,qui ſibi Damaſci propter Euangeliū Chriſti fuerat cōcitatus:& ſic ueniſſe Hieroſolymā,quaſi ad quamcunq; aliā ciuitatē:& inde eum ſtatim propter inſidias receſſiſſe,& ueniſſe Arabiā ſiue Damaſcū: atq; inde poſt trienniū ad uidendū Petrū Hieroſolymā reuertiſſe. Vel certe ita:ſtatim ubi baptizatus ſit,& accepto cibo confortatus,fuiſſe cū cū diſcipulis qui erant Damaſci per dies aliquot, & ſtupentibus cunctis in ſynagogis Iudæorū prædicaſſe continuo,quod Ieſus eſſet filius dei, & tūc iſſe in Arabiā,& de Arabia Damaſcum reuertiſſe,& ibi feciſſe trienniū.Poſt dies multos ſcriptura teſtatur,dicens:Cum implerentur aūt dies multi, conſiliū fecerunt Iudæi ut eū interficerent:notæ aūt factæ ſunt Paulo inſidiæ eorū, & cuſtodiebant portas die ac nocte,ut eum interficerent.Accipientes ergo diſcipuli eius nocte per murum dimiſerūt eum,ſubmittentes in ſporta.Cum aūt ueniſſet Hieruſalem, tentabat cōiungere ſe cū diſcipulis. Lucā uero idcirco de Arabia præteriſſe, quia fortaſſe nihil dignū apoſtolatus in Arabia perpetrarat, & ea potius compendioſa narratione dixiſſe, quæ digna Chriſti Euangelio uidebantur: nec hoc ſegnitiæ apoſtoli deputandū, ſi fruſtra in Arabia moratus ſit, ſed quod aliqua diſpenſatio & dei præceptum fuerit ut taceret. INT. Cum Paulus apoſtolus de ſe dicat, Viuo iam nō ego, uiuit uero in me Chriſtus: quomodo quaſi econtrario uidetur ſibi reſpondere,dicens:Scio quia nō habitat in me,hoc eſt in carne mea bonum. RESP. Hæc quæ ſibi uidentur contraria,ita à beato Auguſtino ſoluuntur,ubi contra Iulianum diſputans ait:Non eſt contrarium ſicut putas,ut qui dicit, Viuo iam non ego,uiuit uero in

cto in me Chriſtus. Dicat etiam, Scio quia non habitat in me, hoc eſt in carne mea bonum. Inquantum quippe in illo uiuit Chriſtus, intantum expugnat & ſuperat quod non habitat bonum in eius carne, ſed malum. Neque enim recte cuiuſquam ſpiritus concupiſcit aduerſus carnem ſuam, niſi habitaret in illo ſpiritus ſanctus. INT. Cum Paulus Galatis prædicet, Si circumcidamini, Chriſtus uobis nihil prodeſt: quomodo quaſi ecõtrario Romanis prædicare uidetur, Circuncíſio quidem prodeſt, ſi legem cuſtodias. Et infra, Quid ergo amplius eſt Iudæo, aut quę utilitas circunciſionis? Multum per omnem modum, primum quidem quia credita ſunt illis, &c.

RESP. Hæc duo quæ ſibi uidentur eſſe cõtraria, ita à beato Hieronymo ſoluuntur. Si enim his qui circumciſi ſunt Chriſtus nihil prodeſt, quomodo legem cuſtodientibus prodeſt circumciſis: quod quidẽ hac reſponſione ſoluitur, ut dicamus Epiſtolam quæ ad Romanos ſcripta eſt, ad eos eſſe dictam, tam qui ex Iudæis gentibusq; crediderant, & hoc egiſſe Paulum, ut neuter populus offenderetur. Quo ſcilicet ſuũ utraq; plebs priuilegium poſſideret, ut nec gentiles circumciderentur, nec circumciſi adducerent præputium. Ad Galatas autem ſcribens alio uſus eſt argumento. Nõ enim erant ex circumciſione, ſed ex gentibus qui crediderant. Nec poterat eis prodeſſe circuncíſio, qui poſt Euangelij gratiam iterum ad legalia reuerterentur elementa. Et in Actibus apoſtolorum narrat hiſtoria, cum quidam de circumciſione ſurgentes aſſeruiſſent eos qui ex gentibus crediderant debere circũcidi, & legem cuſtodire Moſi: ſeniores qui in Hieroſolymis erãt, & apoſtolos pariter congregatos ſtatuiſſe per literas, ne ſuperponeretur eis iugum legis, nec amplius obſeruarent, niſi ut cuſtodirent ſe tantũ ab idolothytis, & à ſanguine, & à fornicatione, ſiue, ut in nonnullis exemplaribus ſcriptum eſt, & à ſuffocatis. Et ne reſideat ulla dubitatio quod circumciſio nihil proſit, ſed propter eos qui ex Iudęis crediderant, ad Romanos de circunciſione ſentẽtiam temperarit, paulatim ad epiſtolæ eiuſdẽ poſteriora deſcendens, nec circumciſionem, nec præputium aliquid ualere monſtrauit, dicens: Circumciſio itaq; nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſeruatio mãdatorum dei: intantum enim circumciſio nihil eſt, ut Iſraëliticæ quoque domui ſe circumciſione iactanti nihil profuerit: propheta memorante, omnes gentes in circumciſæ carne, domus autem Iſraël incircumciſa corde: & incircumciſus Melchiſedec circumciſum benediceret Abraham. INT. Cum Paulus apoſtolus in Epiſtola ad Galatas prædicet, dicens: Quia ſi circumcidamini Chriſtus uobis nihil prodeſt: cur in Actibus apoſtolorũ contra ſuam prædicationem uideatur egiſſe, cum Timotheum ipſe diſcipulum circumcidit.

RESP. Vtraq; prudenti ſalubriq; conſilio in principio naſcentis eccleſiæ acta ſunt, ut & carnalis circumciſio in Chriſto impleta prædicante Apoſtolo iam ceſſare deberet, & tamen in primis illis Chriſtianis qui ex circumci

ſione crediderant,contra diuturnam conſuetudinem non ſtatim carnis circumciſio prohiberetur:ne ex hoc ſcandalum eccleſiæ naſceretur, ſed paulatim perſuadendo ad intellectum perfectum ducerentur. Sic enim de eiuſmodi quæſtione in libris contra Fauſtum beatus Auguſtinus diſputat: ait enim,Primos illos Chriſtianos,qui ex Iudæis crediderant,qui ſecũdum legis ueteris præcepta nati erant, atque inſtituti, iuſſerunt eos apoſtoli patrium ritum traditionemqúe ſeruare:& eos quibus hoc opus erat,congruerent illorum tarditati moribusqúe monuerunt. Inde eſt quod Timotheum Iudæa matre & Græco patre natum propter illos ad quos talis cum couenerat, etiam circumcidit Apoſtolus: atque ipſe inter eos morem huiuſmodi cuſtodiuit, non ſimulatione fallaci, ſed conſilio prudenti. Neque enim ita natis & ita inſtitutis noxia erant iſta, quamuis iam non eſſent ſignificandis futuris neceſſaria: magis quippe noxium erat hęc tanquam noxia prohibere in his hominibus uſque ad quos durare debuerunt: quoniam Chriſtus qui omnes illas prophetias implere uenerat, ſic eos initiatos inuenerat, ut iam de cætero qui nulla tali neceſſitudine tenerentur, ſed ex diuerſo ueluti pariete, id eſt pro præputio ad illum angularem lapidem. qui Chriſtus eſt conuenirent, ad nulla talia cogerentur. Si autem his qui ex circunciſione uenerant,talibusqúe ſacramentis adhuc dediti erant,ultro uellent, ſicut Timotheus,conferre congruentiam non prohiberentur. Verum ſi in huiuſmodi legis operibus putarent ſuam ſpem ſalutemqúe contineri, tanquam à certa pernicie uitarentur. Vnde eſt illud apoſtoli: Ecce ego Paulus dico uobis,quia ſi circumcidamini, Chriſtus uobis nihil proderit. INT. Quomodo Paulus qui Galatis præceperat, Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto,ut in ſpiritu manſuetudinis inſtrueretur. Iterum in conſequentibus quaſi econtrario his ipſis uidetur dixiſſe,Quid uultis?in uirga ueniam ad uos,an in charitate & ſpiritu manſuetudinis.

RESP. Si enim ibi ad peccatores non ſpiritu manſuetudinis, ſed in uirga uenire ſe dicit,Quomodo nunc illis qui in aliquo peccato præuenti fuerint, non uirgam adhibet, ſed ſpiritum manſuetudinis? Verum ibi ad eos dicitur, qui poſt peccatum non ſentientes errorem ſuum, nolebant maioribus ſubdi & pœnitentia corrigi. Vbi uero peccator intelligens uulnus ſuum, tradidit medico ſecandum,ibi non eſt uirga neceſſaria,ſed ſpiritus lenitatis.

INT. Cum in Epiſtola ad Galatas præcipiat Paulus,dicens: Alter alterius onera portate: quomodo quaſi econtrario uidetur in ſubſequentibus dicere, Vnuſquiſque onus ſuum portabit. Si enim unuſquiſque onus ſuum portabit,alter alterius onera portare non poterit.

RESP. Sed uidendum quod ibi præceperit, ut peccantes nos in hac uita inuicem ſuſtentemus,& in præſenti ſeculo alterutrum auxilio ſimus. Hic autem de domini dicat in reſurrectione iudicio,q̃d non ex alterius peccato &

comparatione deterioris, iuxta noſtrum opus aut peccatores ab eo iudice-mur, aut ſancti, recipiente unoquoq; ſecundum opus ſuum. Obſcure licet, docemur per hanc ſententiolam nouum dogma quod latitat, dum in præſenti ſeculo ſumus, ſiue orationibus, ſiue conſilijs inuicem poſſe nos adiuuari. Cum autem ante tribunal Chriſti uenerimus, nec Iob, nec Daniel, nec Noë rogare poſſe pro quoquam, ſed unumquenq; portare opus ſuum.

INT. Cum Paulus dicat, Mihi abſit gloriari, niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti: quomodo inuenitur in multis rebus alijs gloriaſſe, ſicut in loco illo ubi dicit, Libenter gloriabor in infirmitatibus meis. RESP. Quomodo nunc dicit, Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Chriſti, cum in alio loco de alijs glorietur, ut ibi: ita per ueſtram gloriam quam habeo in Chriſto Ieſu. Sed ſciendum, quod omnis illa gloriatio ad crucem relata gloria crucis ſit, & quicquid dignum in uirtutibus perpetratur, hoc fieri ob domini paſſionem. INT. Cum Paulus Epheſios imitatores dei ſuadeat fieri, dicens: Eſtote imitatores dei, ſicut filij chariſſimi: quomodo Corinthijs dicit, Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti? RESP. Corinthij etenim non poterant ſtatim imitatores Chriſti fieri, ſed grande illis erat, ſi imitatores poſſint eius exiſtere. Epheſijs uero quaſi his quos iã myſteria tanta docuerat, non ait, Imitatores mei eſtote, nec imitatores Chriſti, ſed imitatores dei. Non quod minus ſit imitatorem Chriſti eſſe quàm dei, deus quippe Chriſtus eſt: ſed quod aliud ſit ſecũdum hominem illum imitari, aliud ſecundum deum. Nam etſi Chriſtum ſecundum carnem antea noueramus, nunc iam nequaquam eum nouimus ſecundũ carnem. Nec enim puto, quod in cæteris quęcunq; deus fecit, homo deum poſſit imitari: ſed uerbi cauſa, ut quod ille clemens eſt, & pluit ſuper bonos & malos, &c. ſi etiam nos bonitatem noſtrã ſuper omnes homines effundamus: quod cum fecerimus, filij dilecti, uel imitatores, ſiue ipſius Pauli, ſiue dei erimus.

INT. Cum in Epiſtola ad Epheſios Paulus de Chriſto dicat, quod pater omnia ſubiecerit ſub pedibus eius: quomodo ibi Paulus alibi dicit, Necdũ ei uidemus omnia ſubiecta: necnon & illud, Oportet eum regnare, donec ponat omnes inimicos ſub pedibus eius. Si necdum ſubiecta ſunt ei omnia, & oportet eum regnare donec ſubijciantur: quomodo nunc ſub pedibus eius deus uniuerſa ſubiecit, maxime cum & in alio loco Paulus ipſe teſtetur, Cum autem ei ſubiecta fuerint omnia, tunc & ipſe filius ſubijcietur ei, qui ſibi ſubiecit omnia, ut ſit deus omnia in omnibus.

RESP. Ergo aut ſecundum præſcientiam id quod futurum eſt quaſi iam factum eſſe commemorat. Aut certe, ſi de præterito ſentiendum eſt, ſic debemus accipere, quod etiam ea quæ non ſunt ei uoluntate ſubiecta, naturæ conditione deſeruiant. Verbi cauſa, dæmones, Iudæi, & gentiles: non enim ſeruiunt Chriſto, nec ſubiecti ſunt pedibus eius, & tamen quia ab eo

in bonam partem creati ſunt, ſubditi ſunt poteſtati eius inuiti, tametſi aduerſum eum repugnent liberi arbitrij uoluntate. INT. Cum ſecũdum omnes ſcripturas diuinas mundi rectorem,ſicut creatorem deum ſolum accipiamus: quomodo econtrario uidetur Paulus apoſtolus dicere, Non eſt uobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem,ſed aduerſus principes & poteſtates, & rectores mundi tenebrarum harum. RESP. In eo quod diabolus uel angeli eius in membris ad ſe pertinentibus,regnum ſuum extendunt, rectores utiq; mundi ab Apoſtolo nominantur. Rectores enim eos mundi dixit,quia ipſi regunt dilectores mundi. Non enim regũt mundum,ut rectores ſint cœli & terræ, ſed mundum peccatores dicit. Vnde & in Euangelio ſcribitur,Et mundus eum non cognouit. INT. Quomodo Paulus apoſtolus dixit,Cupio diſſolui,& eſſe cum Chriſto. Necnon & illud,Mihi uiuere Chriſtus eſt,& mori lucrum:cum ecõtrario dicere uideatur,Qui ſumus in hoc habitaculo ingemiſcimus grauati,eo quod nolumus expoliari,ſed ſuperueſtiri, ut abſorbeatur quod mortale eſt à uita.

RESP. Miramur hic Paulum quomodo amet quod refugiat, refugit quæ amet.Ecce enim & mori deſiderat, & tamẽ carne exſpoliari formidat. Cur hoc?quia etſi uictoria in perpetuum lætificat,ipſa nihilominus ad præſens pœna perturbat: & quamuis uincat amor ſubſequentis muneris, tangit tamen non ſine mœrore animum pulſus doloris. Sicut enim uir fortis cum uicino iam belli certamine cum armis accingitur, palpitat & feſtinat, tremit & ſæuit,quaſi pauere per pallorem cernitur, ſed per iram uehementer urgetur.Ita uir ſanctus cum paſſioni propinquare ſe conſpicit,& naturę ſuæ infirmitate concutitur,& ſpei ſuæ ſoliditate roboratur,& de uicina morte trepidat,& tamen quod moriendo uerius uiuat exultat:ad regnum quippe non poteſt niſi interpoſita morte tranſire: & idcirco & confidendo quaſi ambigit,& quaſi ambigendo cõfidit, & gaudens metuit, & metuens gaudet: quia ſcit quod ad brabium quietis non perueniat, niſi quod interiacet cum labore tranſcendat.Sic nos cum morbos à corpore repellere cupimus, triſtes quidem amarum purgationis poculum ſumimus, certi autem de ſubſequenti ſalute gaudemus: quia enim peruenire corpus aliter ad ſalutem non ualet,in potu libet etiam quod tædet,cumq; amaritudini ineſſe uitam animus conſpicit,mœrore turbatus hilareſcit.

INT. Quomodo apoſtolus Paulus quaſi per contrarium loquens, modo perfectum, modo imperfectum ſeſe teſtetur, dicit enim in Epiſtola ad Philippenſes,Non quod iam acceperim, aut iam perfectus ſim. Vbi ſubiungit,Quicunque ergo perfecti ſumus. RESP. De hac igitur gemina perfectione hoc beatum Ambroſium ſenſiſſe reperimus,Videmus,inquit, impoſſibile eſſe,ut perfecte quis immaculatus eſſe poſſit in corpore conſtitutus,cum etiam Paulus imperfectum ſe dicat: ſic enim habet, Non quod

iam

iam acceperim, aut iam perfectus ſim. & tamen poſt paululum ait: Qui-cunque ergo perfecti ſumus: niſi forte quia eſt perfectio alia in hoc mundo alia poſt hanc uitam, illum intelligamus perfectum, de quo dixit ad Corinthios, Cum uenerit quod perfectum eſt. Et alibi, Donec occurramus omnes in unitate fidei, & agnitionem filij dei in uirum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.

INT. Cum Paulus apoſtolus de reſurrectione ultima loquens, inter cætera dicit: Mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. Deinde nos qui uiuimus ſimul cum illis rapiemur obuiam Chriſto in aëra, & ſic ſemper cum domino erimus: quia dicit, Sic ſemper erimus: quomodo Ioannes in Apocalypſi de regno ſanctorum præfinitum tempus poſuit, dicens: Et regnabunt cum Chriſto mille annis. RESP. Nunquam diceret ſanctus Apoſtolus de ſe, uel de hominibus alijs ſanctis, Simul rapiemur in nubibus obuiam Chriſto, & ſic ſemper cum domino erimus: ſi aliquos ſanctos noſſet, receptis iam cum beata immortalitate corporibus, cum Chriſto regnaturos ad tempus: non enim ſemper cum domino erunt, ſi tantum mille annos cum eo reſurrectione facta regnabunt: ac per hoc ſi id quod dicitur ſemper, non habet finem, non erunt mille anni, qui cum finiti fuerint faciunt finem. Sed ut hæc ſibi contraria non putentur, breuiter hęc dicta lector intelligit. Quod enim Apoſtolus dicit, Sic ſemper cum domino erimus, utique de futuri iudicij tempore dicit, Ex quo cum Chriſto ſine fine regnabimus. Quod autem Ioannes in Apocalypſi de regno ſanctorum dicit: Et regnabunt cum Chriſto mille annis, de tempore huius uitæ iſti mille anni accipiuntur: quod interiectũ eſt inter duos Chriſti aduentus, unum incarnationis, & alterum iudicij ſui: quod tempus medium quantorumcunq; annorum ſpatijs extendatur, propterea mille annos appellauit, ut aut à toto partem tropice cogat intelligi: aut plenitudinem ipſius numeri qui dicitur mille, inter aduentum primum Chriſti & ſecundum, quicquid erit temporis comprehendat. Cum Chriſto enim ſancti mille annis regnare dicuntur, propter eccleſiam dei quę in regno fidei à tempore incarnationis Chriſti uſque ad tempus iudicij ſuperuenturi, in fide & opere dilatata extenditur. Nam hoc eſt dicere pro ſanctis, quod cum Chriſto mille annis regnabunt, quaſi pro fidelibus electis, qui intra eccleſiam per totum hoc tempus, quod inter duos aduentus interiacet, cum Chriſto in eccleſia fideliter uiuunt. INT. Quomodo Paulus dicit, Qui omnes homines uult ſaluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire: cum econtra ſcriptura dicat, Deus, cui uult miſeretur, & quem uult indurat. RESP.
Si deus omnes homines ſaluos fieri uult, quomodo omnes ſalui non fiunt: & ſi omnes ſalui fiunt, quod utique non eſt, quomodo alibi ſcriptum eſt, Deus cui uult miſeretur, & quẽ uult indurat. Sed ita debemus intellige-

re,quod ſcriptum eſt, quia omnes homines uult ſaluos fieri, tanquam di/ceretur, nullum hominem fieri ſaluum, niſi quem fieri ipſe uoluerit: non quod nullus ſit hominum, niſi quem ſaluum fieri uellet, ſed quod nullus fiat niſi quem uelit: ac proinde quod dicit omnes, à toto partem intelligi uoluit: ſcilicet quod omnes eos ſaluos fieri uelit, quos ex omni genere hu-mano ſaluandos eſſe elegerit:ac per hoc contrarium non eſt illi ſententiæ, Deus cui uult miſeretur,& quem uult indurat: quia & cui miſeretur,per mi ſericordiam ſaluatur:quem induraſſe dicitur,per iudicium relinquetur. In/durare enim dicitur deus eum, quem mollire noluerit:ſicut etiam excæcare dicendus eſt eum,quem illuminare noluerit,uel repellere eum quem uoca/re deſtiterit. INT. Cum Paulus apoſtolus dicat, Iuſto lex non eſt poſi ta: quomodo Pſalmiſta legem ſibi dari poſcit, dicens: Legem pone mihi domine uiam iuſtificationum tuarum,& exquiram eam ſemper.

RESP. Quid eſt hoc quod orat,ut ſibi lex à domino ponatur? Non po/nitur iuſto. An eo modo nõ ponitur iuſto, quomodo poſita eſt populo cõ/tumaci in tabulis lapideis,non in tabulis cordis carnalibus ſecundum teſta mentum uetus in monte Sina, quod in ſeruitute generat. Non ſecundum Teſtamentum nouum, de quo ſcriptum eſt per Hieremiam prophetam, Ecce dies ueniunt, dicit dominus, & conſummabo domui Iſraël & domui Iuda teſtamentum nouum: non ſecundum teſtamentum quod diſpoſui patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti: quoniam ipſi non permanſerunt in teſtamento meo, & ego negligam eos dicit dominus. Quomodo hoc eſt teſtamentum, quod conſtituam domui Iſraël? Poſt dies illos, dicit dominus, dabo leges meas in mentes eorum, & in cordibus eorum ſcribam eas. Ecce quomodo uult iſte legem ſibi poni à domino, non ſicut iniuſtis & non ſubditis, ad uetus teſtamentum pertinentibus, poſita eſt in talibus lapideis: ſed ſicut ſanctis filijs liberæ,hoc eſt ſupernæ Hieruſalem,filijs promiſſionis,filijs hæredita/tis æternæ, ſancto ſpiritu tanquam digito dei in mentem datur, & in cordi bus ſcribitur: non quod memoria teneant, & uitam negligant, ſed quod ſciant intelligendo, faciant diligendo, in latitudine amoris, non in timoris anguſtijs. Cur ergo iſte adhuc poſcit ſibi legem poni, quæ utique ſi non ei poſita fuiſſet, non uiam mandatorum dei in cordis latitudine cucurriſſet: ſed quia proficiens loquitur, & dei donum nouit eſſe quod profecit, quid aliud petit cum ſibi legem poni petit,niſi ut in ea magis magisq́ proficiat? qui utique legem ſecundum literam nouerat,ſed quia litera occidit,ſpiritus uiuificat,orat,ut per ſpiritum faciat quod per literam ſciebat.

INT. Cum Paulus in Epiſtola ad Timotheum prima mulieres in ec/cleſia tacere præcipiat, dicendo: Docere autem mulieribus non permitto: quomodo ad Titum ſcribens, docendi fœminis tribuat poteſtatem, id eſt

ut

ut bene docentes ſint, & prudentiã doceant. RESP. Quæ ita à maioribus ſoluuntur, ut contraria ſibi nullo modo uideantur. Sic enim intelligendum eſt, ut in uiros fœminis ſit doctrina ſublata, cæterum adoleſcentulas doceant quaſi filias ſuas: & ideo cum mulieres iubet Apoſtolus, ut bene docentes ſint, & prudentiam doceant, docere illis quidem permiſit, ſed fœminas non uiros: & hoc non in eccleſia, ſed priuatim, ut non ſit præcepto illi ſuperiori contrarium, quod iubet ut mulieres in eccleſia taceant.

INT. Cum Apoſtolus de deo dicat, Qui lucem habitat inacceſſibilem, quem uidit nullus hominum, ſed nec uidere poteſt: quomodo Pſalmiſta dicit, Accedite ad dominum, & illuminamini: quomodo ergo accedendo illuminatur, ſi ipſam lucem qua illuminari poſſumus, non uidemus. Si uero accedendo ad eum ipſa qua illuminatur luce uidemus, quomodo inacceſſibilis eſſe perhibetur. RESP. Qua in re penſandum eſt, quod inacceſſibilem dixit, ſed homini, ſed humana ſapienti. Scriptura quippe ſacra omnes carnalium ſectatores, humanitatis nomine notare ſolet. Vnde eiſdem Apoſtolus quibuſdã diſcordantibus dicit: Cũ enim ſit in uobis zelus & cõtentio, nónne carnales eſtis, & ſecũdum hominem ambulatis. Quibus paulo poſt ſubijcit: Nónne homines eſtis. Et unde aliâs teſtimonium protulit, quod oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit deus diligentibus ſe. Et cum hoc hominibus dixiſſet abſconditum, mox ſubdidit, Nobis autem reuelauit per ſpiritum ſuum, ipſum ſe ab hominis uocatione diſcernẽs, qui raptus ſupra hominem diuina iam ſaperet. Ita etiam hoc loco cum lucem dei inacceſſibilem perhibet, ut oſtenderet quibus, ſubdidit, Quẽ uidit nullus hominũ, ſed nec uidere poteſt, more ſuo homines uocãs, omnes humana ſapiẽtes. Quia qui diuina ſapiũt, uidelicet ſupra homines ſunt. INT. Cũ Paulus Timotheo præcipiat, dicẽs: Noli uerbis cõtẽdere: quõ quaſi ecõtrario uidet Tito iterũ præcepiſſe, in loco illo ubi qualis debet eſſe epiſcopus inſtituit, dicẽs, ut potẽs ſit in doctrina ſana, & cõtradicẽtes reuincere. RES. Hæc duo quæ uident cõtraria, quã differentiã habeãt, in libris ſancti Auguſtini de Doctrina Chriſtiana ſic inueniuntur expoſita: ait eñ, hoc ipſum teſtimoniũ Pauli ponẽs, Noli uerbis cõtẽdere, ad nihil eñ utile eſt niſi ad ſubuerſionẽ audiẽtiũ. Vbi ſtatim ſubiũxit, Nec eñ hoc ideo dictũ eſt, ut aduerſarijs oppugnãtibus ueritatẽ nihil nos ꝓ ueritate dicamus. Et ubi erit ꝙ cũ oſtẽderet qualis eſſe epiſcopus debeat, ait inter cætera, ut potẽs ſit in doctrina ſana, & cõtradicẽtes redarguere: uerbis enim cõtẽdere, eſt nõ curare, quõ error à ueritate uincat, ſed quõ tua dictio dictioni ꝑferat alterius. Porrò q nõ uerbis cõtẽdit, ſubmiſſe, ſiue tẽperate, ſiue grãditer dicat, id agit uerbis, ut ueritas pateat, ueritas placeat, ueritas moueat. Cũ ergo ueritas cõtendit, uanitatis eſt uitiũ. Cum aũt miniſter uerbi dei poteſt eſſe, iubet in doctrina ſana ut contradicentes reuincantur:

ſpiritualis

ſpiritualis doctrinæ eſt magiſterium,quod ueritati,non uanitati ſeruitur.
INT. Quomodo Paulus Timotheum admoneat, Argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina:cum econtrario Tito præcipiat,Argue cum omni imperio. RESP. Quid eſt quod doctrinam ſuam tanta arte diſpenſat ut ex his duobus, alteri imperiū atq; alteri patientiam præponat: niſi quod manſuetioris ſpiritus Titum,& paulo feruentioris uidit eſſe Timotheum:illum per æmulationis ſtudium inflammat, hunc per lenitatem patientiæ temperat. INT. Cum in Epiſtola ad Hebræos ſcriptum ſit,Omnia nuda & aperta ſunt oculis eius:quomodo dominus mala Sodomorum increpaturus, quaſi ignorans de eis dicere uidetur, Deſcendam,& uidebo utrum clamorem qui uenit ad me opere compleuerint, an non eſt ita, ut ſciam. RESP. Vt nos autor uitæ noſtrę à præcipitata ſententiæ prolatione compeſceret,cum omnia nuda & aperta ſint oculis eius,mala tamen Sodomorum noluit audita iudicare:quia,ait,clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus eſt,& peccatum eorum aggrauatum eſt nimis,deſcendam,& uidebo utrum clamorem qui uenit ad me,opere compleuerint,an non eſt ita,ut ſciam. Omnipotens itaque dominus, & omnia ſciens,cur ante probationem quaſi dubitat, niſi ut grauatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante præſumamus credere quàm probare. Ecce per angelos ad cognoſcenda mala deſcendit, moxq; facinoroſos percutit: atque ille patiens, ille mitis, ille de quo ſcriptū eſt:Tu autem domine cum tranquillitate iudicas, ille de quo rurſum ſcriptum eſt: Dominus patiens eſt redditor, in tanto crimine inuolutos inueniens, quaſi patientiam pretermiſit,& diem extremi iudicij expectare ad uindictam noluit, ſed eos igne iudicij ante iudicij diem præuenit. Ecce malum & quaſi cum difficultate credidit cum audiuit, & tamen ſine tarditate percuſſit, cum uerum cognoſcendo reperit:ut nobis uidelicet daret exemplum,quod maiora crimina & tarde credenda ſunt,cum audiuntur:& citius punienda ſunt, cum ueraciter agnoſcuntur. INT. Quomodo Iacobus dicat,Fides ſine operibus mortua eſt:cum econtrario uideatur Paulus dicere,Ei uero qui nō operatur,credenti autem in eo qui iuſtificat impium, reputatur fides eius ad iuſtitiam ſecundum propoſitum gratiæ dei. Sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis,cui deus accepto fert iuſtitiam ſine operibus.
RESP. Si iuxta Iacobum fides ſine operibus mortua eſt, quomodo ſequens eſt iuxta quod Paulus ait, ut fides ſine opere iuſtificet impium. Sed hæc diligenter conſiderata non erunt ſibi contraria, illos quippe iuxta Paulum fides ſine opere ſaluat, quos fides Chriſti primum ab infidelitate diſſociat, utique ſine bonis præcedentibus meritis. Si quis in Chriſto crediderit, remiſſis iniquitatibus cunctis poteſt per ſolam fidem ſaluari. Deinde ſi iam credens, & ueraciter ſacramenta Chriſti percipiens,
bona

bona operari refugiat, huius fides iuxta Iacobum mortua eſt. Ergo quod Paulus dicit, ſine opere ſaluari poſſe credentem, de illis utique dixit, quos fides primũ credituros acceperit, quibus utiq; non imputatur peccatum an teactum, quod baptiſmatis unda deletur. Nam quod Iacobus fidem mortuam ſine opere dicit, de illis utiq; loquitur, qui poſt acceptam fidem ſaluari ſe poſſe ſine operibus iuſtitiæ credunt: initium nanq; iuſtificati à deo fides eſt, quæ credit in iuſtificantẽ: & hæc fides cum iuſtificata fuerit, tanquã radix imbre ſuſcepto hæret in animo ſolo, ut cũ lege dei excoli cœperit, ſurgãt ex ea rami qui fructus bonorũ operũ ferũt. Nõ ergo ex operibus radix iuſtitiæ, ſed opera ex radice iuſtitię, quã deus accepto fert, etiã ſine operibus in hoc quoq; capitulo Pauli apoſtoli, quod ait: Ei uero qui nõ operatur, credenti autem in eo qui iuſtificat impiũ, reputatur fides eius ad iuſtitiã: ita ut quidam doctor ediſſerens dicat, cõuertentem impium per ſolam fidem iuſtificat deus, non per opera bona quæ non habuit, alioquin per impietatis opera fuerit puniendus. Simul attendendum, quia nõ peccatorem iuſtificari per ſolam fidem, ſed impium, hoc eſt nuper credentem aſſeruit, ſecũdum propoſitum dei, quo propoſuit gratis per ſolam fidem peccata dimittere.

INT. Quomodo Petrus de deo dicat, In quem deſiderant angeli proſpicere: cum in Euangelio Chriſtus dicat, Angeli eorum ſemper uident faciem patris mei qui eſt in cœlis. RESP. Nunquid aliud ueritas, aliud prædicator inſonat ueritatis? Sed ſi ſentẽtia uera quæ cõfertur, quia ſibi nequaquam diſcordet, cognoſcitur. Deum quippe angeli & uident, & uidere deſiderant, ut effectu ſui deſiderij minime defraudentur. Deſiderium ſine fructu anxietatem habet, & anxietas pœnam. Beati uero angeli ab omni pœna anxietatis longe ſunt, quia nunquam ſimul pœna & beatitudo conueniunt. Rurſus cum eos dicimus dei uiſione ſatiari, quia & Pſalmiſta ait: Satiabor dum manifeſtabitur gloria tua: conſiderandum eſt nobis quomodo ſatietatem ſolet faſtidium ſubſequi. Vt ergo recte ſibi utraque conueniant dicat ueritas, quia ſemper uident: dicat prædicator egregius, quia ſemper uidere deſiderant. Ne enim ſit in deſiderio anxietas, deſiderantes ſatiantur. Ne autem ſit in ſatietate faſtidium, ſatiati deſiderant: & deſiderant igitur ſine labore, quia deſiderium ſatietas comitatur: & ſatiantur ſine faſtidio, quia ſua ſatietas ex deſiderio ſemper accenditur.

INT. Quomodo Ioannes in Epiſtola ſua de dilectione ſcribens dicit: Dilectiſſimi, non mandatum nouum ſcribo uobis, ſed mandatum uetus: cum dominus in Euangelio dilectionem ipſam mandatum nouum appellet, dicens: Mandatũ nouum do uobis, ut uos inuicẽ diligatis. RESP. Quod mandatũ uetus dixit, quod habebatis, inquit, ab initio: ideo ergo uetus, quia iam illud audiſtis: alioquin contrariũ erit domino, ubi ait: Mandatum nouum do uobis, ut uos inuicem diligatis: ſed mandatum uetus, quod

habebatis

habebatis ab initio. Mandatū uetus, uerbum quod audiſtis. Ideo ergo uetus, quia iam audiſtis: & ipſum nouum contendit, dicens iterum, Mandatū nouum ſcribo uobis, nō alterum, ſed idem ipſum quod dixi uetus, idem eſt nouum. Quare quod eſt uerum in ipſo & in nobis. Iam quare uetus audiſtis? quia iam illud noueratis. Quare autem nouū? quia iam tenebræ tranſierunt, & lux uera iam lucet. Ecce unde nouum, quia tenebræ ad ueterem hominem pertinent, lux uero ad nouum. Quod dicit Paulus apoſtolus, Exuite ueterem hominem, & induite nouum. Et iterum, Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino. INT. Quomodo Ioannes dicat, Omnis qui natus eſt ex deo nō facit peccatum, quia ſemen eius in ipſo manet, & non poteſt peccare: cum econtra dicat, Si dixerimus quia peccatū nō habemus, noſipſos ſeducimus. RESP. Quod eſt hoc peccatum, niſi facere contra mandatum, quæ Chriſti dilectio uocatur. Nam non generaliter ſecūdum omne peccatum eſt dictum, quia ſi omne peccatū intellexerimus, contrarium erit huic ſententiæ quæ dicit, Si dixerimus quia peccatum non habemus, noſipſos ſeducimus. Ergo quod dicit, Qui natus eſt ex deo, non facit peccatum, id eſt non habet in fratrem odium, nec poteſt peccare, quia non facit cōtra dilectionem. Hoc autem quod dicit, Si dixerimus quia peccatum non habemus, de generalibus peccatis licet intelligi.

INT. Quomodo Apoſtolus dicat, Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem: & econtra Pſalmiſta, Timor domini caſtus permanet. RESP. Quomodo perfecta charitas foras mittit timorem, ſi timor domini caſtus permanet in ſeculum ſeculi? Eſt ergo timor ſeruilis, eſt & timor caſtus: timor ſeruilis eſt, ne patiaris pœnam: timor caſtus, ne amittas iuſtitiā. Ergo quod Apoſtolus dixit, de ſeruili timore egit. Quod autem Pſalmiſta loquitur, de caſto illo timore, quo in æternum domino copulabimur, ſentiendum eſt. INT. Cum Ioannes apoſtolus in Epiſtola ſua dicat, Omnis qui natus eſt ex deo, non peccat: quomodo Eſaias ex uoce domini dicit, Filios genui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me?

RESP. Si non peccat qui ex deo naſcitur, quomodo ſpreuerunt dominum, qui ex ipſo utiq; geniti memorantur. Vnde apparet, quia melius eſt iuxta Hebraicam translationem legere, filios enutriui, quàm genui, ne uideatur illi dicto, quod in Ioannis Epiſtola legitur eſſe contrarium, Omnis qui natus eſt ex deo, nō peccat. Ergo ſi nati ex deo, quomodo peccare potuerunt, cum omnis qui ex deo natus eſt peccare non poſſit.

INT. Cum in Actibus apoſtolorum ſcriptum ſit, quod dominus poſt reſurrectionem ſuam quadraginta dies cum diſcipulis cōmoratus ſit: quomodo tam contrarie eiſdem diſcipulis in Euangelio idem dominus dicit, Hæc ſunt uerba quæ locutus ſum ad uos, cum adhuc eſſem uobiſcum.

RESP. Neq; enim cum ipſis non erat, quibus præſens corporaliter apparebat,

parebat,ſed tamen iam ſe eſſe cum ipſis denegat,à quorum mortali corpo/re carnis immortalitate diſtabat. INT. Omnis homo mendax:cui re/ſponderi poteſt, Si omnis, & tu, falſaq́; iam erit ſententia quam mendax ipſe protuliſti.Si uero ipſe non mendax, uera iam ſententia non erit: quia dum tu uerax,non omnis homo cognoſcitur mendax. RESP. Sed no/tandum quid præmittitur, Ego dixi in exceſſu mentis meæ. Per exceſſum ergo mentis etiam ſemetipſum tráſijt, cum de hominis qualitate definiuit: ac ſi patenter dicat:de falſitate omnium hominum inde ueram ſententiam protuli, unde ego ipſe ſuper hominem fui: intantum uero & ipſe mendax, inquantum homo:intantum autem omnino non mendax,inquantum per exceſſum mentis ſuper hominem. INT. Apoſtolus qui Corinthijs uir/gam minatur:quomodo ad Galatas ſcribit, ut corripiant delinquentem in ſpiritu lenitatis. RESP. Corinthij poſt peccatum non ſentientes erro/rem ſuum,nolebant pœnitétia corrigi, inde eis uirgam minatur. Vbi uero peccator intelligens uulnus ſuum,tradit me dico ſe curandum, ibi nó eſt uirga neceſſa/ria,ſed ſpiritus lenitatis.


FINIS.

BIBLIOTECA NA. ROMA VITTORIO EMANUELE

SERIES CHARTARVM

α a b c d e f g h i k A B C D E F G Omnes ſunt Terniones,præter k Duernionem,& G Quaternionem.

BASILEAE, IN OFFICINA FROBENIANA PER IOANNEM HERVAGIVM, HIERONYMVM FROBENIVM, ET NICOLAVM EPISCOPIVM, MENSE AVGVSTO, ANNO M. D. XXX


FRO
BEN

4-3-5

4-3-5